EPISTOLAE ET POEMATA

Marcus Zuerius Boxhorn, Roberto Marucelli




BIBLIOTECA NAZIONALE
7
9 G
11
VITTORIO EMANUELE

Ad usum Roberti Marucelli

V. Cl.

MARCI ZUERII BOXHORNII EPISTOLÆ & POEMATA.



AMSTELODAMI,

Ex Officinâ Caspari Commelini,

CIↃ IↃC LXII.



Amplissimo Consultissimoque Viro,

Dº. ROCHO HOFFERO, JCᵗᵒ.

Toparchæ in Bommenedâ &c. Inclytæ Zirizeensium Reipublicæ Senatori & Thesaurario,

CASPARUS COMMELINUS S. P. D.



Uod Epistolæ & Poëmata Boxhorniana ad te eant potissimum, Vir Amplissime, Consultissime, ingeniosissimeque, nemo sanus atque æquus defuncti tuive æstimator vel admirari, vel rectè ordineq; factum esse poterit inficiari. Qualis Vir quantusque fuerit ὁ μακαρείτης noster, quem nitidissime scribentem, canentem suavissimè, etiam post funera exhibemus, quàm ab ingenio, eruditione, moribus candidissimis nunquam satis laudatus, (sed quis Herculem unquam vituperavit?) inter paucos optimè potes judicare; discipulus quondam ejus domesticus, & qui tot cænas cum eo Platonicas Socraticasque sumsisti, quas non in crastinum duntaxat sapuisse, sed adhuc sapere palato tuo eruditorum avidissimo sermonum, extra omnem quidem dubitationis aleam ponendum arbitror. Quanta, ubi jam firmata virum te fecerat ætas, amicitia Boxhornio nostro tecum, quanta ante cum summæ, dum vixit, & dignitatis & eruditionis, & probitatis ingeniique cultissimi viro

D. Adriano Hoffero, Consule in Urbe Patria, & Quæstore Zelandiæ, quæ Orientalem Scaldim spectat Generali, amicitia ac necessitudo intercesserit mutæ hæ Cadmi filiæ passim loquuntur, ita ut magna horum operum pars non ad te ire, quam postliminio reverti videatur. Quod si hic non tot tam clara arctissimæ, inter vos familiaritatis monumenta extarent, Historia Boxhornii Zelandica, (ad quam contexendam plurima antiquitatis monumenta scriptori Parens tuus tuque suppeditastis, quamque elegantissimis uterque versibus illustrastis) publici jamdudum à vivente ipso juris facta, abundè testaretur. Quare & nos, si amicitiam, vestram, quasi post funera quoque prorogatam, reipublicæ literariæ, pro virili ostenderemus, & nostrarum partium fuisse neque tibi ingratum fore existimavimus. Vale, Vir Amplissime, & me favore tuo complecti dignare,

Virtutibus famæque tuæ dicatissimum

CASPARUM COMMELINUM,
Amstelod. &c.

In Clarissimi Viri

MARCI ZUERI BOXHORNI

SCRIPTA POSTHUMA,

Nominatim

EPISTOLAS & POEMATA,

Nunc primum edita.

SCripta dedit quot magna gravis Boxhornius olim,
Edidit ingenii tot monimenta sui.
Non exhausta tamen plena hæc est copia cornu:
Hinc orbis toties Posthuma scripta legit.
* *Illa docent populos quæ Gallæ gentis Origo;*
Quæque Britannorum lingua vetusta fuit.
Hæc porro tradunt quæ sint arcana, tuetur
Queis etiam vastum providus imperium.
Mox orator habet sibi quo sit more loquendum,
Quod didicit priscis disposuisse modis.
Post nova lux oritur. sublimis Epistola, quã nunc
Ut splendere prius, sic sine nube, jubet.
Sed quam prorsa meret, vorsa hæc oratio, laudẽ,
Quin superet mecum nemo negare potest.
Nam loquitur breviter congestos vincta lepores,
Quos sparsim graviter lingua soluta docet.

JACOBUS BASELIUS, 1659.

* Origines Gallicæ & antiquæ linguæ Britannicæ Lexicon Brit. Lat. 1654. Institutiones Politicæ 1657. Ideæ orationum 1658.

HISTORIA
VITÆ & OBITUS,

Viri Celeberrimi

MARCI ZUERII
BOXHORNII,

Eloquentiæ primùm dein Historiarum & Politices in Academia Lugduno-Batava Professoris dignissimi.

Ad Amplissimum Doctissimumque Virum

ROCHUM HOFFERUM,

J.C. Dominum in Bommeneda &c. & Reip. Ziriczeanæ Senatorem,

AUCTORE

JACOBO BASELIO,

Ecclesiaste Kerckverviensi.



Um te indies magis magisque magnum Boxhornii, Præceptoris olim nostri, æstimatorem lætus deprehendam, Roche Hoffere, Vir amplissime &, quod mihi gratulor, amicissime, non possum non sive tuæ petitioni satisfacere, sive promissis meis stare, certe viro illi debitum quasi solvere, conscriptione vitæ & obitus ipsius qualiscunque historiæ. Quam proinde sine ullâ ambage & apparatu exordiar ab ejus exordio, seu nativitate. quæ incidit in annum hujus seculi duodecimum & mensem Septembrem, 1612. cujus 25. die sacro baptismate tinctus est. natus autem Bergizomii, in Brabantiæ, Zelandiam versus, confiniis, ut ita dicam litoralibus: à quibus, non autem

tem ut vulgo putatur à fluvio Zoma, quia nunquam extitit, civitas in montibus sita, * nomen suum cum aliis in Belgio nostro civitatibus, à montibus nomen habentibus, commune sortita se discernit. Parentes ipsi fuerunt Jacobus Zuerius Ecclesiæ ibidem Belgicæ & Gallicæ Pastor fidelis, & mater Anna Boxhornia, filia Henrici Boxhornii, Ecclesiæ Bredanæ Pastoris. Vtrique orti ex nobili non minus quam antiqua præstantique apud Brabantos Zueriorũ & Boxhorniorum familiâ Gemellus & quidem natu major Marco huic Henricus. qui paternis insistens vestigiis Ecclesiæ pastoratum desideravit & gessit primum à Fortalalitiis à Cruce & Frederico Henrico nomen habentibus ad bus, ad Scaldin fluvium in Brabantiæ, versus Flandriam, inde Neussæ in Flandriæ, versus Zelandiam, item confiniis. Hunc ornavit non fidelis cura modo in pastoratu, sed pietas, modestia &, quod rarum est, præter Theologicam magna literarum orientalium, Arabicæ imprimis, cognitio. Quæ ipsa dum indies maturescebat mors præpropera & longa eam procurans tabes, ex nimio studio contracta, in flore ætatis, annum unde trigesimum vix ingressum Henricum abstulit, spem de ipso conceptam decidit, & fratrem admodum lugere fecit. Sed ut secundum seriem vitæ procedamus, utriusque hujus gemelli pater vix elapso sexennio vitam cum morte, ingenti suorum damno & Ecclesiæ luctu, commutavit, eoque orbatus linguæ Latinæ rudimenta primùm uterque didicit in Patriâ, sub Richardo Lubbæo, ingeniorum moderatore indefesso nec infelici, verùm Matre Bredam secedente Avo materno in diciplinam traditus est. Quo insuper ut præceptore usus multum profecit in cognitione tum veritatis, tum elegantiæ linguæ Latinæ. Quæ dum indies augetur sedulâ discentium curâ accidit famosa & annua ferme urbis obsidio, quâ Regis Hispaniarum auspiciis ab Ambrosio Spinola undique obsessa, fame non ar-

* *Docuit hoc Jacobus Baselius, Junior, Avus meus præfatione ad commentarium suum de Urbis obsidione quæ incidit anno* 1588. *edit.* 1603. 4.

mis victa, Ordinibus Fœderatis & Nassoviis suis erepta Ecclesia cum suis tribus Pastoribus dissipata est, 5. Junii, 1625. Itaque Henricus Boxhornius cum Nepotibus suis & reliquâ familiâ, matre ipsâ jam vita functa, Lugdunum in Batavis, quietem ministerii quidem, non studiorum & institutionis, quæsivit & invenit. Cum autem ei proles mascula nulla superstes esset, ipso volente, uterque Nepos Boxhornii cognomen assumpsit, retinuit ad finem vitæ usque Marcus. Qui simul ac Lugdunum Batavorum venit, annos vix tredecem natus, publicas lectiones Academicas cum fructu audivit, & sic biennium ferme ante tempus Curatoribus recipiendis studiosis Academicis constitutum, inter studiosos illius Academiæ adscriptus, sedulo sese in Philosophicis, sub magno illo Philosopho Francone Burgersdicio exercuit, in literatura usus institutione πολυμαθέ© illius Gerard Johannis Vossii & Danielis Heinsii, Academiæ ocelli. In cujus notitiam non modo, sed & familiaritatem assumptus, hoc Magistro sic profecit ut anno 1629. ætatis vixdum decimo septimo, in victorias insignes & varias ejusdem anni, nominatim ob captam ab Arausionensium Principe Frederico Henrico Sylvam Ducis triumphos tres cecinerit. Quos cum quatuor Academiæ tum primariis Professoribus dignos & Avus judicabat publicam lucem adspicere, & Lugduni eodem anno editos omnium applausu lectos fuisse non semel audivi. Interea temporis Philologicum & Philosophicum studiorum cursum absolvit, & ad Theologiam, cui destinabatur, animum applicuit. in qua sub illius facultatis Professoribus, nominatim Johanne Polyandro à Kerckhoven, sic & cum laude profecit ut progressûs non illaudanda specimina ediderit, qua publicè, quà privatim. Sed cum ingenium ad literaturam quasi natum videretur, illam deserere nequiit; etiam tum quando cum fructu cœpta Theologica studia absolvere poterat. Hinc illa ipsa non intermissa modo, sed plane relicta, solum Philologicum tractatum fuit. Cujus mox alterum specimen publicum edidit, scriptione Encomii Granatarum, horrendæ, ut titulus habet,

habet, & stupendæ in bello virtutis. Quod anno sequenti editum & Patriæ suæ, Civitatis Bergobzomanæ Magistratui inscriptum ivit. Post quæ tamen mox alia ut majoris momenti, ita & diligentiæ & ingenii monumenta posteris dedit: & illius quidem digestione Reipublicæ Moscoviæ, hujus vero editione Historiæ Augustæ Scriptorum IV. Tomis in 12. quos à se recensitos & animadversionibus illustratos Viris Celeberrimis inscripsit, eoque magnam non nominis & eruditionis famam modo, sed & apud eosdem aliosque gratiam quam meruit consecutus est. Inter quos & Claudius Salmasius. qui juveniles hosce conatus sibi adeo probari tum temporis literis ad Boxhornium datis, significavit, ut maxima quæque ab ipso non tantum sperare, sed sibi, & eruditorum orbi, & quidem ex vero, promittere adeoque præsagire fuerit ausus. quæ illius * Herois verbis ipsis publice alibi leguntur. eo nempe loco quo Boxhornius ipse postmodum hæc ipsa aliaque Juvenilia damnavit, ac, proinde inter scripta sua vix numeravit. Interea crevit juveni cum eruditione laus & hominum favor. quem naturalis ipsi & ingenita plerumque Brabantis humanitas & gratia valde augebant. Unde amici & studiorum promotores de eo ad Professionem literarum promovendo cogitarunt, & tantum effecerunt, apud Nobilissimos Academiæ Curatores & Amplissimos Urbis Lugduno Batavæ Consules, ut Professio Eloquentiæ ei designaretur & conferretur, qui jam ante dicendi egregium specimen publicum exhibuerat, habita oratione funebri in excessum Justini Nassovii, Gubernatoris Bredani. qui & ipse post captam Bredam Lugduni in Batavis domicilium fixerat & ibidem paulo ante vitâ functus erat. Cæterum illud Professoratus munus auspicaturus habuit orationem inauguralem de Polymathia, seu disciplinis veterum, 6. Septemb. 1632. In hoc autem munere adeo diligentem & sedulum, se gessit, ut fama eruditionis

* *In Apologia pro Commentario ad Agricolam Taciti adversus Dialogistam.*

& eloquentiæ ad exteros perveniret. Quorum plerosque Lugdunum appulsos, & suâ post Heinsium famâ huc allectos instituit, maximam partem non vulgaris sortis studiosos, sed Patritios sed Nobiles, interque eos quamplurimos, Barones, Comites, Principes, imo & Duces ipsos, regum consanguineos, uno verbo tales, qui in spem Reip. nati erant & educati, & Boxhornio præceptore, nec alio hîc, præter privatos & domesticos usi, ut summo suo jure ei regundæ, ita & commodo ejusdem sunt admoti. Horum catalogum si texerem longus esset. Nam præteritis etiam Magnatum & opulentiorum in Rep. nostra filiis & propinquis quamplurimis, legeres in eo Noblitatis & Juventutis peregrinantis & studiosæ florem Germanicum, Polonicum, Zuecicum, Danicum, Bohemicum, Borussum &c. Sed & quia non omnium nomina aut occurrunt aut mihi cognita sunt, malo ea reticere, quàm ex parte referre. Ex quibus plurimi æternitati consecrati sunt ab ipso Boxhornio. Qui eis aut sua aut aliorum scripta dedicavit & sacra, quod ajunt, fecit. Præ cæteris gratia valuit apud Zuecos: quorum regni Procerum aliorumque Magnatum filios & propinquos cum sedulo nec sine fructu institueret, ab Axelio Oxenstierna, regni Cancellario Fœderis Germanici Directore, ad Fœderatos Belgas Legato extraordinario, Reginæ & eorundem Procerum nomine, ad amplissimas dignitates in Zueciam evocatus fuit. Sed, ut sæpius dicere solebat, illi Septemtrioni amorem prætulit Patriæ. quare eas recusavit, & apud suos mediocri in conditione esse maluit, quam apud exteros alto in fastigio collocari. Non diu posthæc cum Reip. Dordracenæ Proceres illustre suum & vetustissimum à Reformatione in fœderato Belgio Gymnasium anno quidem undeoctagesimo superioris seculi erectum sed collapsum restaurarent anno 1634. omnium calculis Boxhornius dignus judicatus & habitus est, cui res literaria in eo promovenda committeretur; lautiori quam in Academia hactenus fruebatur stipendio. ei, per communem Scholæ & Academiæ Curatorem Amplissimum Jacobum Catzium, oblato. Verum ille stationem ut non negligere, ita nec

deferere voluit. Quare & Academiæ Curatores probatam Boxhornii induſtriam & virtutem novo prœmio pariter & titulo honorarunt. Quippe non ſemel orationibus dicendis cum glorioſè vacaſſet, Collegii oratorum publici Præſidem in locum Petri Cunæi ad majora vocati, ipſum crearunt. quod munus auſpicatus eſt oratione inaugurali, de Majeſtate Eloquentiæ Romanæ: quâ & ſe eam aſſecutum eſſe oſtendit. Ab illo tempore variæ ſub ipſo à ſtudioſis habitæ ſunt orationes, è quibus inſigniores publice proſtant. Hic ipſe annus Boxhornio quidem lætus, (erat enim trigeſimus quintus hujus ſeculi) at civitati & Academiæ luctuoſus, imo pene fatalis, fuit, ob graſſantem in ea luem, quâ tota civitas infecta, ferme extingui videbatur, Academia præſertim, cum quos peſtis non conſumebat ſtudioſos, eos metus mortis & præſens periculum tum veteres alio migrare cogebat, tum novos huc venire abſterrebat. Huic malo pro modulo & munere ſuo medendo, aut leniendo, inter cæteras de immortalitate animarum luculentam & immortalitate ipſa dignam habuit orationem. Cæterum præter publicas etiam privatas à ſtudioſis ſub ipſo habitas, tibi Hoffere Ampliſſime, non minus conſtat quam mihi, qui & illorum magna pars fuiſti. Quibus, ut item non ignoras, ad artis normam componendis diſcipulis ſuis in privatis collegiis certis diebus deſcribendas ad calamum dictare ſolebat, orationum Ideas, quas vocabat, eaſque argumenti varii, ut maximam partem politici, ita ex hiſtoria veteri deſumptas. Ex quibus præter alias hujus generis lucubrationes in Bibliothecâ meâ triginta à me deſcriptas, auctoris manu emendatas ad-ſervo. ſecundum harum normam orationes compoſitæ à ſtudioſis haberi ſolebant. quibus dictis ipſe Cathedram ſuperiorem adſcendens in eaſdem habebat diſſertationem, κρίσιν eam vocabat, , in quâ multa egregia oratoriæ artis præcepta, graviter & nervoſe proponebat. Tempus eſt ut de lectionibus ejus publicis aliquid dicam ſicut & de privatis collegiis. De quibus cum jam dicere cœperim prius pergam. Hæc ergo frequentia habebat, tum numero tum auditoribus, maximam partem

in Cornelium Tacitum, quem delicias suas vocare solebat, & sic sibi familiarem reddiderat, ut in succum & sanguinem, quod dicunt eundem versum habens ejus verbis & phrasibus sæpe loqueretur, sæpius item scriberet. Sed & Politicam discipulos suos docebat: non vulgarem modo & tritam, nudis præceptis consistentem, (quam à se conscriptam suis tradebat, & cujus libri duo nuper in Germania editi & Lugduni Batavorum recusi sunt) sed & ex Historiis desumptam adeoque practicam, imo παραδειγματικὴν. Hinc natæ disquisitiones Politicæ, postmodum juris publici factæ, sed tacito authoris nomine, quæ & sæpius recusæ sunt. Hinc & natus commentariolus de statu fœderati Belgii, eodem modo editus, sæpius item recusus & in Belgicam linguam versus. Cæterum si quis studiosorum privatim aliquid discere expeteret libenter & humanè eum juvabat, & boni instar sui erat communicativus, ut barbare loquar, sed significanter, Sapientem inter Hebræos imitatus, * qui quam sine dolo didicerat sapientiam, sine invidiâ communicasse ejusque divitias minime cœlasse testatur. Quod utinam multi eruditi aut scirent aut observarent, ut nec cum ipsis sapientia moreretur, ita locum non inveniret similitudo, quâ comparantur illis avaris qui nummos suos in arca reponunt, nec fœnori exponunt. Sed ad Boxhornium revertatur oratio. Loquebatur autem ille ut tersè & Romanè, ita graviter non minus quam facundè, quod ut maxime convenit Eloquentiæ Professori, ita talis audiit non solum sed & depræhensus est. Unde quàm & meritò tam eleganter Amplissimus parens tuus ubi primos cnm ipso commutasset sermones de ipso judicium ferens, non ut olim illius *minuit* sed contra *auxit præsentia famam*, cæterum ipsa Latina lingua adeo ipsi familiaris, ut promptius eâ uteretur quam ipsâ ferme vernacula, quam ipsam ita excoluit ut puram putam, maxime in scribendo, proferret exoticis vocabulis procul & ad suos ire jussis. Inter hæc in ordinarium Professorum

* *Sapient. cap. 7. vers* 13.

nume-

numerum dignitatemque assumptus, paulo post Danieli Heinsio, primum præceptori; dein collegæ rude ob meritum non minus quam senectutem donato successit in professione Historiarum & Politices. cujus utriusque specimina egregia omnis ævi maximam partem medii ut vocant & obscurioris semper dederat in lectionibus publicis non modo litteratoriis, sed & in scriptis variis, imo & disputationibus. quas tandem etiam anno 1643. instantibus discipulorum precibus habere cœpit; non aliâ ratione hactenus ab iis se abstinens, quam quod philosophici barbari termini, in disputationibus usurpare soliti, admodum ipsi displicebant, qui ita loqui & scribere solebat ut iis temporibus, quibus illi plane incogniti, adeoque non modo barbari & parum Latini, sed & recens nati. Cum autem disputationibus publicis habendis vacaret, fecit id tantâ cum auditorum gratia & applausu, ut ordinarium & sic satis capax Philosophicum & Philologicum auditorium non sufficeret recipiendis auditoribus, quando illæ haberi solebant. Quare earum multæ in auditorio maximo, quod & Theologicum est, haberi ut necesse habebant, ita & habitæ. Adeo non acutè modo sed & graviter & tanquam alter Cicero (cui ut prænomine & cæterorum nominum numero, uterque enim trinominis fuit, ita & facundiâ similis fuisse audivit, adeoque & multis non Marcus Zuerius Boxhornius, sed Marcus Tullius Cicero vocatus) disserebat, & argumenta objecta, non distinctionibus philosophicis, quas, ut dixi, ob barbariem odio habebat, præscindebat, ut ille nodum Gordium, sed libero discursu labefactabat, solvebat & plane evertebat. Accedebat argumentum disputationum; quæ plerumque ex Historiâ Romanâ desumptæ Reipubl. illius vicissitudines quam nudè tam succinctè ob oculos ponebant, intermixtis passim politicis præceptis. Eadem frequentia auditorum erat ut semper, ita maxime quando sub finem vitæ suum Tacitum prælegens in stuporem raperet pendentes ab ejus ore studiosos. Sic transacta vita publica, sic & privata, quatenus Academiam & studiosos spectat, quorum commodum quæsivit magis quam suum,

fuum, & maluit doctos eos facere, quam, quod multi faciunt, ſine eorum profectu ex illis divitias accumulare. Et licet aliquot torques, annulos aureos cæteraque argentea vaſa pretioſa & utenſilia à magnatibus diſcipulis pleriſque acceperit, tamen iis ut præter ſpem votumque oblatis, ita non tam delectatus fuit, quam quidem præter diſcentium profectum eorum ſuorumque gratiâ & favore.quem & facetiâ non illiberali conſecutus eſt, quâ delectare etiam ſeverum Catonem poterat ubi volebat. ſed hiſce jocis minime ſe dedit, verum ſtudiis, iiſque ſolis. quæ indies ſedulo tractavit, etiam morbo vexatus, ut dubium ſit utrum doctior fuerit & eloquentior, an diligentior. Ego ſane eum ſingularis diligentiæ exemplar fuiſſe fidenter dico. Quod & tu non ignoras, Vir ampliſſime, qui eodem præceptore & quidem domeſtico inter cæteros uſus es, & cum laude profeciſti. Sed hæc aliûs loci ſunt. Quare pergamus in iis quæ dicenda reſtant. Inter quæ omiſeram fere, Urbis Patriæ Magiſtratum ut ſignificatum iret, quanti faceret hunc indigenam ſeu civem ſuum publico epulo anno 1637. excepiſſe. quo quidem honore affectus, publicâ & memoratione & dedicatione Monumentorum & Elogiorum Virorum illuſtrium ſequenti anno agnovit eundem & prædicavit. qui & rurſum aureo maximi ponderis & magnitudinis nummo in memoriam poſtremæ ſolutæque item urbis obſidionis eum donavit. Coſſ. Thoma de Rouck & Guilielmo Bollardo. Cæterum memoratæ virtutes ſcilicet humanitas, affabilitas, comitas & candor, adhæc ex ſummâ eruditione conſecutus honor aliaque gratiam ipſi conciliarunt apud notos non modo ſed & ignotos. qui aut eum prius litteris compellabant, aut ab ipſo compellati amicitiam cum eo coluêrunt & familiaritatem. quales ex eruditis quamplurimi (exceptis Daniele Heinſio & Petro Scriverio, quibuſcum in una eademque civitate vivebat & quos colebat ut promotores ſtudiorum, quique illum ut amore ſuo dignum ſemper æſtimabant) Theodorus Graſwinckelius, Nicolaus Berneggerus, Joannes Freinshemius, Joannes Loccenius, Fredericus Gronovius, Auguſtus Brucknerus,

Bern-

Bernhardus à Malinkrot (qui ex adversario in sententia de loco inventionis Typographiæ, quod rarum, amicus ipsi factus & mansit, & plures alii, quorum nomina nunc non occurrunt. Taceo alios præsentes amicos viros sane magnos, puta Abrahamum Heydanum, Adolphum Vorstium, Jacobum Golium, Anthonium Thysium, F. Janum Bodecherum Benningium, ut studiorum commilitionem olim, ita conjunctissimum postmodum in philosophicis collegam & in poësi quasi Achatem, denique &, quem amores suos vocare solebat, Heinsii filium unicum Nicolaum, vere patrissantem. Cum Claudio Salmasio, ex quo Lugduni vixit simultas quædam primum orta dein in publicum erupit. Sed ut postmodum sopita, ita docuit quam noxium viros magnos, inter se diffidere, cum junctis operis & communicatis consiliis Remp. litterariam non tantum promovere possunt, quam mutuis altercationibus, destruere solent. quod maximam partem propter realia ut vocant orta, in personalia desinant. quare reconciliatione factâ ad pristinam & vere eruditis familiarem, certè omnibus, qui studia graviora tractant, eoque aliquid moliuntur, utilem, mutuam communicationem redierunt. Quod, vel editio Plauti, Boxhornio accurante, loquitur. cæterum Boxhornius ipse aliis, ut dixi sæpius sua communicavit. Quod non voce modo, sed & manu, id est scripto imò & librorum rariorum usu, ut ipse expertus ita & alios experiri fecit. Præ cæteris multis aliis loquitur id expertus & ipse Valerius Andreas in secundâ editione Bibliothecæ Belgicæ tum passim, tum præcipue sub finem. Adhæc ex Bibliotheca suâ eruit nonnulla antiqua & rariora scripta, quæ aut cum aut sine notis, prout res postulabat edita scimus. Etiam Typographos & consilio & re juvit, adornando editionibus exemplaria non minus, quam bonæ notæ authores indicando. quorum plurimis præfationes etiam præmisit. Verum paulisper digressi sumus à recensione amicorum; quos non eruditos modo habuit sed & pariter magnos: è quibus ut in Rep. nostra dignitate, ita sua eruditione non minus quam favore in Boxhornium excelluerunt partim, partim

adhuc

adhuc excellunt, præter Amplissimum parentem tuum Adr.Hoff.vere litterarum litteratorumq; Mœcenatem,
Olim & dulce decus præsidiumque meum,
Adrianus Ploos ab Amstel, Bernh.Coenders ab Helpen, Joh.Forestus, Const.Hugenius à Zuylichem,aliiq; prę-ter omnes Acad.Curatores nominatim Mylios,Catzios, Schapios. Ex quibus Corn.vander Myle in hâc cum cæteris dignitate vitam deponens oratione funebri à Boxhornio est adscriptus æternitati. Habuit idem noster & funebres in alios illustres & principes viros.Quales præ cæteris,ordine temporis recensiti, sunt Dominicus Molinus; Patritius Senatorque Venetus, Constant.Alex.Ostorogiæ &c. Dux,Guilel. II. Auriacus Belgarum verus in vita & morte Phœnix, nisi quod nimium juvenis obiit. Æquum autem erat ut & ejus exequias tristes vel unus hic celebraret, qui cum multis regalibus ejusdem nuptiis fausta Panegyrico acclamarat. Quo item in dicendi genere pluriesBoxhornius excellere auditus est,ut suâ quidem facundiâ,ita temporũ felicitate quâ deBredâ subactâ, pace denique armis non minus quàm hostium petitione acquisitâ est triumphatum primum quidem in campo Martis,dein in Academia, non minus quam urbium theatris.Nunc hisce finem imponerem,nisi paucis dicendum esset de iis quæ super Dea Nehaleniâ 1647. primum in Walachriæ oris inventâ est commentatus, & inde ad Scythicę gentis linguam,antiquitatem& mores indagandos multa ingeniosè sane scripsit & scripturivit nõ vernacule modo,prout inceperat sed & Latine. nominatim librum originum Gallicarum.in quo Gallos à Germanis ortos ex veteri ipsorum lingua asserere conatur qui tamen non nisi à morte authoris & alia ejusdem,prodiit in lucem,obstetricante Georgio Hornio in professione Historiarum non indigno successore. Porro inter cætera varia quæ scripsit tum Historica, tum politica,tum litteratoria, tum denique critica. Delectabatur & illo scribendi genere,quod χαρακτηριστικὸν Græci vocant. in quo sicut inter veteres Græcos quidem excellit Theophrastus,ita inter recẽtiores Josephus Hallus,Exoniensis in Anglia Episcopus; qui uterq; virtutum & vitiorum characteres scripsit. Dedit & Boxhornius hujus

speci-

ſpecimen non unum, oratione vorsâ non minus quam prorsâ, linguaq; nō vernaculâ modo ut illi ſed & Latinâ conſcriptum. Vernacule proſaiceq; ſcripſit characterem militis, ſubjunctū orationi Panegyricæ à ſe præter alias ejuſdem verſæ editæque de Bredę expugnatione. Latinè vero dedit characteres Amoris, cauſarum Patroni & Fortunæ, quibus inter poëmata ſuus locus debetur. Hęc quidem aliaque perfecta edidit ipſe. reliquit autem affecta non pauca. præ cæteris eſt, ut de iis, quæ illuſtrandæ linguæ Scythicæ multa ſunt, nunc non dicam, Opus ſeu Bibliotheca eruditione & ſcriptis illuſtrium fœminarum. item Commenrarius de ſupellectile Romana. Quod quidem ut ei commune fuit cum pleriſq; mortalium, ita nō aliunde evenit, quā ex magna hominis occupatione, prę negotiorum tum varietate tum mole aliiſq; ex aliis inde naſcentibus avocamentis, & præter hæc adverſâ ſub finem vitæ valetudine. Quâ tamen ad annum trigeſimū quintum & ultra ſic ſatis firma uſus eſt. excepto uno alterove graviori morbo, quo decubuit. Atque ex his omnibus de ſubtilitate & promptitudine ingenii Boxhorniani judicare licet. quod & loquuntur varia ejus poëmata, nominatim, epigrammata; quæ prolixiora primū, dein curta &, ut ſuo veroq; nomine ea indigetem, σχέδια, quæ ex tempore & aliud agens fundere ſolebat. Et licet in poëſi excelluerit, major fuiſſet, ſi eam plus excolere voluiſſet. adeoque eam merito inter πάρεργα quæ vocant, rejiciebat, minime illud ignorans,

Sæpe pater dixit, ſtudium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipſe reliquit opes.

Non dico de aliis animi dotibus, addito hoc uno quod cum Brabantus & quidem Bergizomius eſſet referretq; genium gentis ſuę, Martiale quiddam & heroicæ indolis ſpirabat ut inquit in Oratione qua ei parētavit Lambertus Barlæus Græcæ ling. in Acad. tum Profeſſ. Statura corporis ipſi fuit longa & erecta, & quā cum ſubfuſcâ facie crines efficiebant qualemcunq; deformem nigredinem eam candore animi ſui albicantē reddere ſolebat. Unde cum Bredâ captâ inter exeuntiū Hiſpanorū ſpectatores & ipſe eſſet, & à noſtrate quodā milite ipſo audiente pro Hiſpano ob dictam nigredinem habitus, illi homini facetè nō

, mi-

„ minus quam vere respondebat, Tu me ex vultu & „ crinibus Hispanum judicas, sed malè: nam si can- „ dorem animi Belgici mei nosses, qui tam magnus „ est ac nigri sunt mei crines; & in mea esset potestate, „ pro amore in communem patriam vel hodie Hispa- „ niarum Regem febri affligerem lectoque alligarem & „ metu sic terrerem, ut imposterum abstineret ab inju- „ sta liberorum Belgarum oppressione & oppugnatio- „ ne. Quod tu mecum ipsum narrasse & nos, vidisse meministi. Sed ad finem vitæ accedo, paucis de conjugio ejus præmissis quod sub finem anni 1639. cum lectissimâ virgine Susannâ, Amplissimi & optimi viri Petri Duvelarii Medioburgensium Consulis filiâ contraxit, & secundâ prole utrâque femellâ beatum vidit. Tertiùm uterum gerens illa maritum amisit, & paulo post obitum mariti partum enixa, ut inaudivi masculum quidem sed mortuum aut moribundum, utrumque deinde secuta est. Sub finem ergo vitæ Boxornius domui primum, dein lecto affixus officium suum facere pro morbo & imbecillitate impediri tum pedes tum manus, tum stomachus. Sola mente linguâque, quod quam rarum tam salutare est, si utraque officium suum faciat, illa se ad Deum elevando, hæc sacra meditata eloquendo, ad extremum usque vitæ spiritum integris manentibus. Quare & ipse tum meditatione, tum locutione ad mortem se præparavit in tempore, quam constanti animo amplexus, sisus non propriis quod nullis, sed Christi solius meritissimis meritis, sæpius occinuit illud Simeonis mortem meditantis effatum, quod corda & ora morientium præ cæteris occupatum „ habere debere judico, Nunc dimitte servum tuum in „ pace, ô Domine, secundum verbum tuum, nam oculi „ mei viderunt salutem tuam. Et sic cum dolore de peccatis suis secundum Deum dolens, obiit Lugduni in Batavis Anno 1653. Octobris die III. ætatis suæ quadragesimo primo vix elapso, professionis vero vigesimo secundo currente: Cæterum obiit illo ipso die quo & in Patria urbe æque ac Leydæ ob liberatam ab obsidione utramque urbem; illam ante annos unum & triginta, hanc undeoctuaginta annis elapsis læta, undique

ex more personarent. quæ sua, Leydenses præcipuè, si bona norunt, haud denegabunt læta in tristia, & dulcia in amara, excessu hujus viri, esse versa, cum tam diligentem, eruditum, affabilem, comem, celebrem amiserit Academia. quæ & honorem solitum parentationis publicæ à funere ipsi decernens luctum suum testata est. Sicut & universa studiosorum cohors, è qua nonnulli Epicediis præceptorem suum prosecuti postremum ipsi honorem præstiterunt. Tu quoque, Vir amplissime, Præceptoris nostri mortem non uno epigrammate deflevisti, imprimis autem Bergopzomium nostrum consolatus es, ob amissum illum virum, qui nativitatem suam ei debebat & quam præter militarem gloriam, ex illustri quorundam ingeniorum, interque ea Soceri tui Godefridi Udemanni, Theologi celeberrimi doctissimique, nativitate aut cultu habet, laudem, eam quasi profecit & ad culmen evexit. Et hæc quidem de magni hujus Bergopzomani nostri vitâ, morte laudibusque dicenda habebã qui hoc quicquid est officii memoriæ illius viri me debere existimavi. Tum quod studia mea si quæ sunt humaniora non alii post Deum accepta referre debeam (Domestica quippe institutione ejus ab anno decimo quarto ad decimum octavum usus) tum quod quæ Zueriis olim cum Baseliis intercessit, necessitudo consuetudoque, privata postmodum conversatione eque uxore mea subsecuta cognatione, non intermortua sed aucta sit. Tu vero, Vir Doctissime, in iis elegantiam desiderabis meritò, non veritatem aut sinceritatem quam propositam habere debet is, qui vitas clarorum virorum, non infimam Historiæ partem, conscribit. ut sine ira & odio libere judicandum est de quibus agit, ita & sine amore aut affectu. Nec vitia tetenda sunt aut virtutes. Illa ut alii vitent, hæ, ut imigentur. Vale vir Amplissime & me amare perge, qui te virtutes tuas magni facio. Kerckwerviæ in Scaldia 10. Sept. 1659.

Amplissimo nomini tuo

Obstrictus dicatusque

JACOBUS BASELIUS.

Sequi-

SEQUITUR

CATALOGUS LIBRORUM

Quos

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS,

Aut ipſe ſcripſit, aut ab aliis ſcriptos Commentariis illuſtravit. vel additamentis auxit.

Plerique ſecundùm ſeriem temporis diſpoſiti.

I. In Historicis.

Theatrum ſive deſcriptio Comitatus & Urbium Hollandiæ cum tabulis Geographicis. 4. 1632. Typis H. Hondii, Amſtel. In Belgicum vertit Petrus Montanus, apud eundem item in 4.

Monumenta illuſtrium virorum æri inciſa & Elogia. Fol. Amſtel. apud Joan. Janſſonium 1638.

Hiſtoria obſidionis Bredanæ & rerum anno 1637. in Belgio aut alibi geſtarum Lugd. Bat. apud J. Commel. 1640. Fol.

Diſſertatio de Typographicæ artis inventione & inventoribus ibid. apud eund. 1641. 4.

Diſſertatio de Trapezitis, vulgo Longobardis, qui in fœderato Belgio fœnebres menſas exercent, apud eund. 1641. 8.

Nederlandtſche Hiſtorie eerſte boeck, behelſende de eerſte veranderingen in den Godſdienſt en leere tot de tijden van Keyſer Karel de V. tot Leyden by C. Banheyning. 1644. 4.

Hiſtoria Univerſalis ſacra & profana à nato Chriſto ad annum 1650. quo excuſa eſt Lugd. Batavor. apud P. Leffen. 4.

II. In

II. *In Politicis, litteratura antiquitateque Romanâ & Belgica.*

Apologia pro navigationibus Hollandorum adversus Pontum Heuterum, prodiit cum Mari libero H. Grotii, item Clauso J. Seldeni in 24. 1633. & 8. 1638.

Emblemata Politica,& Orationes, de quibus mox separatim Amstel. apud J. Janssonium 1635. in 12.

Quæstiones Romanæ, in quibus causæ antiquorum rituum explicantur Lugd. Bat. apud D. L. de Haro, 1637. 4.

Spiegeltjen van 't lanckhayr ende hayrlocken by de Hollanders ende Zeelanders gedragen tot Middelb. by J. Fierens, 1644. 12.

Spiegeltjen vertoonende 't kort hayr by de Hollanders en Zeelanders jonghst gedragen en van de vremde ontleent. ibid.

Dissertatio de successione & jure primogenituræ in adeundo Principatu ad Car. II. Magnæ Britanniæ Regem. Lugd. Bat. 1649. 4.

De Majestate liber singularis adversus J. B. cogitationes subitaneas in præcedentem dissertationem ibid. 1649. 4.

Commentariolus de statu confœderatarum Provinciarum Belgii prodiit II. edit. J. Verhoeve Hagæ Com. 1650. 12.

Disquisitiones Politicæ, id est LX. Casus Politici ex omni historia selecti, apud eund. prodiit II. edit. 1651. in 12.

Bediedinge van tot noch toe onbekende Afgodinne Nehalennia; over ettelijcke hondert jaren onder 't sant begraven ende onlanghs ontdeckt op het strandt van Walcheren. Tot Leyden by W. C. vander Boxe. 1647. 4.

Antwoort op de vragen voorgestelt over de bediedinge van de Afgodinne Nehalennia, in welcke de gemeyne herkomste van der Griecken, Romeynen ende Duytsche tale uyt den Schythen duydelijck bewesen ende verscheyden outheden van dese volckeren ontdeckt ende verklaert worden. ibid. 1648.

Originum Gallicarum liber, in quo Veteris & nobilissimæ Gallorum gentis origines, antiquitates, mores & linguæ aliaque eruuntur aut illustrantur. Cui accedit antiquæ linguæ Britannicæ Lexicon Britannico-Latinum, insertis explicatisque passim Adagiis Britannicis. Prodiit Amst. ap. J. Janss 1654. 4.

Dissertatio de Græcæ, Romanæ & Germanicæ linguarum Symphonia, subjuncta Grammaticæ Regiæ quæ 2. prodiit Lugd. Bat. 1650. 12.

Orationes varii argumenti Amstel. apud J. Jans. 1652. 12. in qua editione ex undetriginta orationibus ab ipso habitis & impressis, vel separatim in folio & 4. vel cum aliis tractatibus in 4. 8. aut 12. puta de Polymathiâ seu disciplinis veterum; de Vitâ & moribus Trajani, de Eversionibus Rerump. de Constitutione Tragœdiarum & sapientiâ Civili, de Poësi veterum, de Satyricâ veterum sapientia, de Sapientiâ Æsopi, de verâ Nobilitate, de ineptiis sæculi, de Theologiâ Paganorum, de Fabulis Poëtarum, de animarum immortalite, In *Obitum Dominici Molini*, de *Majestate Eloquentiæ Romanæ*, de Breda expugnata, in obitum Danielis Synapii, de somniis, *de Classe Hispanorum profligata*, in *Nuptias Principis Guilelmi & Mariæ Britanniæ Regis Filiæ*, in *adventum Henricæ Mariæ in urbem & Academiam*, in *Obitum Constantini Alexandri*, in *Obitum Cornelij vander Myle*, *ad Belgas Hispano adhuc parentes*, *post Zassam expugnatam*, de *Belgarum pace*, de *Historiarum lectione ac usu*, de *Cornelij Taciti Annalibus*, de *Trajano Cæsare & Panegyrico Plinii*, in *obitum Adriani Falcoburgii*, in obitum Guilelmi Principis Auriaci, non aliæ quàm quæ hic alio Charactere expressæ sunt, præter duas allocutiones Nuptiales, leguntur.

Ideæ orationum ex selectiori materia moderni status politici desumptæ, accurante I. G. Nesselio Lugd. Bat. 1657. in 12. editæ.

Institutionum Politicarum lib. 2. Goslariæ primum, dein Lugd. Bat. 1657. in 12. à morte item authoris editæ sunt.

Præter alias Orationum & Epistolarum, Ideas MS. extant

extant & ejusdem Disputationes Politicæ de Romanorum imperio & variis argumentis in Acad. habitæ editæque in 4.

Latent & alibi ejusdem Decisiones Politicæ in libros Historiarum Taciti, ut & notæ uberiores in eosdem & Annales præter alia juvenilia in vita memorata. quibus adde quæ nunc eduntur, Epistolas & Poemata selectiora.

Sequuntur Commentaria & additamenta.

I. HISTORIA.

Chronijck van Zeelandt eertijdts beschreven door Joh. Reygersbergen, nu verbetert ende vermeerdert door M. Z. van Boxhorn het 1. en 2. deel tot Middelburgh by Z. Roman 1644. 4.

Chronijck van Hollandt, Zeelandt en West-Vrieslandt door Johan Veldenaer over ontrent twee hondert jaren geschreven, uytgegeven ende met aenteyckeninghen als oock verscheyden Graeffelijcke brieven rakende de outheden ende saecken van de gedachte landen verrijckt door M. Z. van Boxhorn. Leyden 1650. 4.

II. *Critica, politica & literatoria.*

Historiæ Augustæ Scriptores cum animadversionibus ac notis IV Tom. in 12. Lugd. Bat. J. Maire 1632.

Poetæ Satyrici minores cum Commentariis ibid. 1632. 8.

Julii Cæsaris opera cum variorum Commentariis ex recensione M. Z. B. ibid. 1634. Fol.

Plutarchi Quæstiones Romanæ cum Commentario uberrimo, subjunctæ Q. Romanis supra memoratis.

Justinus cum notis Amst. 1638. 12. & dein sæpius.

Agricola Taciti Commentario uberrimo illustratus Lugd. Bat. 1642. 12.

Apologia pro eodem adversus Dialogistam. ibid. 12.

C. Taciti opera animadversionibus illustrata Amstel. 1643. 12. & pluries.

C. Plinii Panegyricus primum 1632. in 12. seorsim, dein idem & ejusdem Epistolæ ab eodem recensitæ item 12.

Plautus, Curtius, alii denique auctores classici quos aut edidit ipse & notis illusttavit tum solus tum cum aliis, aut ad quorum accuratiores editiones symbolam contulit.

Præter hæc varios auctores Veteres edidit recensuitque ut nominatim Haymonis Historiæ Ecclesiasticæ Breviarium. Cui adjunxit prima Religionis Christianæ rudimenta vetustissima Alemannorum & Saxonum linguâ conscriptâ 1650. 12. Lugd. Bat.

Elberti Leonini dissertationem de Trapezitis Belgii 8.

Heinsii adversus Balsaccum & Croyum scripta apologetica.

Levinum Lemnium de Termino vitæ, P. Justum de Ludo aleæ, aliaque tandem collegit & digessit varias 1. respublicas quales sunt Moscovitica anno 1631. Leodiensis 1632. Germaniæ 11. Tom. 32. aliæque 2. tractatus historicos & politicos, nominatim metamorphosin Anglorum 12, 1653.

VALERIUS ANDREAS
IN
BIBLIOTHECA BELGICA.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS, Bergizomii, quod Brabantiæ oppidum est ad Scaldim fama belli celeberrimum, anno CIↃ IↃC XII. natus est. Puer incredibili litterarum amore incensus, ingenio prompto ac facili, æquales omnes est supergressus; atque ætatis anno duodecimo studiosorum numero in Academia Lugduno-Batava adscriptus, eruditissimorum hominum, præcipuè Danielis Heinsii, publicis lectionibus ac familiaritate usus, ad solidæ doctrinæ fructum ac famam ita profecit, ut, anno ætatis decimo & nono haud dum accepto, à Curatoribus ejusdem Academiæ ad publicam Eloquentiæ & bonarum literarum

rum Professionem admotus sit. Evocatus superioribus annis à Suecorum, ad Ordines Fœderatos Legato, Reginæ, & Procerum nomine, ad amplissimas dignitates in Sueciam, illi Septentrioni amorem prætulit patriæ. Varia edidit, & quidem ex iis quædam penè puer adhuc nimirum decimo sexto, septimoque ætatis anno: &c.

ADRIANI HOFFERI

In effigiem

MARCI ZUERII BOXHORNII.

SI Romana suis posset facundia fari;
Et populis vellent tempora prisca loqui:
Hoc vultu responsa darent, nec dignius unquam
Jurarent Latiis ora soluta modis.
Aspice, Belga, virum, famâ qui judice gentes
Pervolat, & spatium nescit in orbe sui.
Hoc tamen arctatur magnus Boxhornius ære,
Lata sed ingenii regna papyrus habet.

C. BARLÆI.

In Effigiem

M. Z. BOXHORNII,

admodum adhuc Juvenis.

ADspice Palladii vultum, spectator, ephebi,
Claraque facundis vocibus ora lege.
Ipsa senum velox sapientia prævenit annos,
Et spatiis ætas fallitur acta suis.
Vir loquitur, scribitque. senex vernante juventa,
Et Satyra mores liberiore notat.
In Batavis prætexta sapit; sub sidere nostro
Dum juvenis fatur mascula verba Cato.
Pingitur imberbis. qualem se pingit Apollo.
Quantum est, ipsa etiam fronte referre Deos!

VINCENTII FABRICII

AD

Marcum Zuerium Boxhornium

De utriusque natali, qui in annum eundem, & diem incidit.

EMensus fulvi flagrantia terga Leonis
Æstivam rabiem mansueto Virginis astro
Temperat ætherius Titan. Doctissime Zueri,
(Si tamen absentis cura est meminisse sodalis,
Nec toti excidimus) fundamus mollia vina,
Natali Genio, qui nos conjunxit eodem
Sidere nascentes. Quantumvis largius illud,
Marce, tuo capiti superastitit, indulsitque
Uberius lumen; dum me declivior afflet,
Et leviter radius vix summo fulgure stringat.
Sic nos, cum vernus quondam descenderet imber,
Vidimus immaduisse agros, gaudente colono,
Felici pluvia: pariter vicina malignis
Aspergi pluviis, parcisque novalia guttis.
Fundamus genio: fundamus & altera Parcis.
Hæ mea fatali cum nectare stamina fuso
Ingressæ, rudibus torquerent licia telis;
Et tibi, materia sed de candente, cucurrit
Nobilius, Zueri, pensum. Sic tempore junctos,
Atque annis, precio placuit discernere fili.
Hinc est, quod primo fortunam ordiris ab ævo,
Et vix dum tenera malas lanugine pingens
Auspicium sequeris famæ; traherisque, rapisque,
Ingentemque animum magnis successibus æquas,
Interdum superas. Dum nos post terga relicti
Fatorum invidiam querimur. tardeque movetur
Impetus, & timidis languens conatibus ardor
Deficit in cursu. Ceu littore sæpius uno
Descendunt geminæ puppes, pariterque rudentes
Excutiunt, pariter remis propiora lacessunt
Æquora, dissimili fato. Dum fortiter illa

Flucti-

Fluctibus indomitis nequicquam aversa, ferentes
Explorat Zephyros velis, portuque potitur
Jam pelagi secura prior. Lentatur in undis
Altera, degeneremque trahit gravis unda carinam:
Sæpe etiam mergit. Vel eodem pulvere Circi,
Carceribus currus cum præcipitantur ab iisdem,
Admissique ruunt pariter. Volat alter, & addit,
Diffunditque feris, spargitque undantia lora,
Ferventique rota metam transitque cavetque.
Alter destituens frenum, temone revulso,
Hæret, & in media excussus spem fallit arena.
Hanc mihi nascendi sortem cum fata dedissent,
Non spes ingenii puerum, non Indolis ardor
Eripuit plebi. Non pondera divitis auri,
Non celebres utroque atavi de sanguine ducti
Addiderant fastum. Sed opum, sed stirpis egenti,
Quod potuit, solos animos fortuna reliquit,
Indomitos, laudique pares nisi fata negassent
Liberius cœlum, & pubente ætate magistros
Ut decuit, similesque tuis; quos mollibus annis
Indulsit fortuna loci, superique faventes,
Et magnæ virtutis avus. Qui vix pede primo
Conantem gressus, & adhuc materna petentem
Ubera, sollicitans felicia semina mentis
Virtuti adseruit primæ, famæque capacem
Fecit, & ingenio teneras circumdedit alas.
Tale rudimentum, Zueri, crescentibus annis
Leida auxit, facilesque Deæ, quas lenibus umbris
Jucundæ tiliæ, formosaque detinet unda
Pegaseis potior; postquam Parnassia rupes
Viluit, Aoniusque latex, & Castalis aret.
Heic te materiem laudis, virtutis amorem,
Sacraque Musarum, nulli tangenda profano,
Intonsus docuit sub qualibet arbore Phœbus.
Jamque puer famæ manceps, adsuescere magnis,
Quos Batavi mundo jactant, Heroibus ausus,
Seu generosa ingens obverteret Heinsius ora,
Mansuetusque senex platano Scriverius ampla
Suppositus, lepido deduceret ordine Musas;
Quolibet occursu studio incrementa dedisti,
Ingenio stimulos. Sic præceptore parente

Magnanimus tiro Pyrrhus, nutritus in armis,
Ardorem adsumpsit, quoties occurreret Ajax,
Aut aliquis Sthenelus, quasque olim effudit in hostes,
Hauserat ex ipsis Tytidæ vultibus iras.
Auspiciis tantis ingressus candida famæ
Omina, quod superest vitæ sperabis, amice,
Fortuna transire pari. Quod Apollo Batavus
Et Lugdunensis Pallas tutela Lycei
Annuat. Ipsa tibi trabeam, plausumque Juventa
Ambiit, ipsa suas vestigia fecit ad arces.
At mihi florentes inscitia distulit annos,
Abjectusque labor, præceptorumque meorum
Fatalis stupor, & vesana libido docendi
Quisquilias. Jacuit, quantum fuit indolis altæ,
Oppressum tenebris, immortalique veterno
Defecit. cecidere animi, languorque malignus
Forsitan ausuræ pressit primordia mentis.
Sic ego ludibrium fati, ter quinque per annos
In pœnam vixi. Donec mea vincula rupi;
Evicitque dolor tandem secernere vulgum:
Meque mihi adserui: devitatoque viarum
Limite plebeio, Cyrrham tentare patentem
Præsumpsi, & doctas clam sollicitare Camœnas,
Sepositus fidis laribus, tenerisque libellis
Elicere, & tacito Phœbum concludere tecto.
At veluti, qui se prædoni forte viator
Eripuit, celerique fuga vicina petivit
Camporum secreta, metuque paventia membra
Abdidit in silvas, animo redeunte salutem
Molitur quacunque via. sed devius error
Suspendit trepidum; tenebrisque exterritus ipse,
Et triviis centum, quo pergat tramite nescit,
Consumitque metus primos majora timendo.
Sic Juveni, studiisque vago, dumque omnia tento,
Incubuit gravior ferme fortuna, ratemque
Imbellem, pelagique rudem, sine remigis usu,
Et viduam clavo, nec sidera certa notantem
Exposuit ventis, & vastis intulit undis.
Exiguum est, Lueri, quod viximus, undique sævis
Raptati fatis. Unum est, quod numina magna
Excusare queat, Batavos vidisse, tuique

In partem venisse boni.' Nec distulit Ingens
Heinsius amplexum, subitoque adsuescere famæ
Jussit, & audaci Musa tentare Merillam,
Ardoremque animi, si quis superesset, amando
Exerere, innocuoque lacessere carmine Cyprin.
Nec tuus ingresso primos Scriverius ignes
Defuit. Ille manu placida, mitique loquela
Sustinuit timidum, nec adhuc bene nota tenentem
Sacra manu. Non Cunæi notissima virtus,
Non tuba Barlæi, non blandi Vossius oris
Abnuerant junxisse manus, geniumque calentem,
Audentemque aliquid magnus Salmasius auxit
Æternis monitis. Produxit denique totum,
Exhibuitque suæ prudens Hugenius Hagæ.
Jamque aliquo poteram famam sperare videri
Carmine. Prævertit sidus, quod presserat ante
Nascentem, fatumque anos extendit in omnes;
Et me præripuit Musis, mentemque molestæ
Implicuit curæ: fruticesque herbasque legentem
Compulit immanem morborum ediscere censum.
Hæc tamen abjeci tandem pertæsus, & almam
Complexus Themidem, trepidantia vota novavi
Serus, & instabilem defixi hoc limite sortem.
Nec satis hâc fortuna fuit de parte severa:
Exilium accessit. Postremam ejectus ad Arcton
Igniculos cœli vestratis frigore tanto
Consumpsi, totoque excussi pectore Phœbum.
Nunc demum patrium sed eo illaudatus ad Albim,
Immersus titulis legum; sterilique papyro
Immoriens, præsumo fori convitia mente,
Et miseras meditor lites, queis deinde tribunal
Personet: atque invisa reis subsellia plaudant.
Hæc inter Genio diffundo debita vina
Luce mea, pariterque tua. Speroque secundos
Postmodo successus fatorum, & mitius astrum.

ADRIANI HOFFERI

In Nuptias,

M. Z. BOXHORNII
&
SUSANNÆ DUVELARIÆ.

I.

DUm sua fœmineæ celebrat miracula famæ
Zuerius, & Latiis expolit ista modis:
Spectat ut illustres animas, affinia cœlo
Ingenia, & summis æmula dona Viris:
Fertur in insolitos sexus muliebris amores,
Atque oculo formas circumeunte notat.
Sed velut ad primum collimant singula centrum,
In spem venturæ conjugis, una placet.
Una maritali faculas accendit amori,
Una facit lentos ad nova festa dies.
Ipsa etiam totum moderans Sapientia pectus
Nunc videt & Cypriam per sua regna Deam.
Sepositisque tuis pro tempore, Musa, libellis,
Vatis Acidalio sudat in igne labor.
Sollicitatque torum, fatisque monentibus urget,
Nec requiem votis mens generosa capit.
Sed variata suæ deducens flumina linguæ
Elicit à Dominâ mollia verba suâ.
Differit in vacuo quæ sint dispendia lecto;
Enumerat vitæ conjugialis opes:
Multaque de nuptis recitat, de cœlibe multa;
Damnat inaccessæ virginitatis onus,
Illaque, quæ teneras possent tardare puellas,
Discutit eloquio lemmata trita suo.
Mutua sic junctis firmantur fœdera dextris,
Conjugiique novi munia captat Amans.
Atque ita, posthabitis alio sub sidere nymphis,
Digna fuit tanto Virgo Zelanda toro.
Hoc juvat esse virum, cum jam devota marito
Consonat obsequiis nupta novella suis.

Si modò Scribentis caluerunt viscera flammis,
Sponsus ab oblatâ conjuge qualis erit?
Dumque ea jam meditor, Musa mihi dulce loquentis
Blandula vox aures personat ista meas:
Fausta superveniant genialibus omina tædis,
Quas parili junxit fœdere castus Hymen;
Et thalamo sit amica quies, semperque renascens
Quæ juvenum flamma est, sit quoque flamma senum.

II.

Maxime Boxhorni, post aspera prælia Trompi,
Bellaque quæ dixti, mitia bella gere.
Nunc tibi de thalamo petitur, Sponsaque triumphus,
Et spoliis castæ virginitatis ovas.
Dum tibi materies belli pretiumque Susanna est,
Suavior hic Trompi laude triumphus erit.

DANIELIS HEINSII

In Nuptias

MARCI ZERII BOXHORNII,

&

SUSANNÆ DUVELAER.

ILle *novem nuper gratissima cura puellis,*
Et cui non aliæ tum placuere Deæ,
Tandem unam præferre novem centumque puellis
Cœpit, & externo captus amore calet.
Trans mare quæruntur thalami. Neptunia tellus
In mediis ignem sparsit & auxit aquis:
Cui Mare non totum poterat succurrere & undæ;
Una obstat, quæ plus omnibus una potest.
Quid superest? Jam victa favet, jam gaudet amari,
Captaque jam, nollet non potuisse capi.
Ardeat, & totos Dominæ bibat ossibus ignes,
Ardeat, & flammis sit minor ipse suis.
Dum patrem matremque simul non una propago
Reddat, & hic vultum spectet uterque suum.
Hoc tantum nunc Leida rogat; si mille puellis
Prætulit hanc, posthac sit quoque cura novem.

ANTONII MATTHÆI
IN NUPTIAS
M. Z. BOXHORNII,
cognati sui.

NUnc demum aut concha genitam, aut salsugine credo,
Ipsa Venus tibi dum ducitur orta mari.
Consilium laudo: quid enim sine conjuge vita?
Quidve orbo poterit siccius esse sene?
Virronis causa, captatorisve Macelli,
In vacuo cœlebs discruciere thoro?
Quin pereant turdi, boletus, squilla, placenta,
Munera quæ vetulis, Gargiliane, dabas.
Mundo hominem, patriæ civem debemus, & hæres
Extet legitimis cuique suus tabulis,
Sin minus, aut semis calamo trepidante relictus,
Aut as irato jure caducus erit.
Imperio patribus cedes, & honore maritis:
Tam tristis viduo prodita lex thalamo est!

WENCESLAI THEODORI
BARONIS de BUDOWA

Ad

Marcum Zuerium Boxhornium,
Sponsum.

I.

AD superum venerant placidæ sacraria Musæ;
Duxerat Aonidum doctus Apollo choros;
Quæque verecundas sibi finxit, Sponse, querelas
Excussit causam quælibet antè Jovem,
Proque suo cultore omnes petiêre Camœnæ:
Prima favet parti Calliopea tuæ;
Applauditque Deæ, quæ te jam prodidit orbi;
Ah! plectatur, ait, Marcus amore pari!
Tum Venus aurato descendere jussa cubili
Zueriadæ inflixit dulcia tela meo;

Certa

Certatim tacito reliquæ plausere susurro
Et socias Clio te vocat ad choreas.
Fortè pererrantem sensisti membra calorem;
Nam tibi per venas dicitur isse Dea.
Mascula vix tanti valuit jam porticus ævi
Ut dicaris amans præposuisse Stoam.
Ad Zueri voces, vocem tenuêre tot ora,
Et linguâ facilem divite flexit amor.

II.

Qualia Romanæ produnt connubia chartæ,
Zueriades fertur composuisse suum.
Cynthia cum pleno vultum diffunderet orbe
Fas erat urgenti subdere colla jugo:
Illius evictos Hymenæus poscit amores
Tempore quo vacuo milite cuncta strepunt.
Diis juncti auspicibus quondam, & Junone secundâ:
Annuere auspicio carmine quisque probat.
Prælatus veterum thalamis coeuntibus ignis;
Sanctaque legitimo præfuit unda thoro.
Nunc migrant Helicone Deæ, sponsoque ministrant,
Et de Pieriis fontibus unda venit,
Hesperiæ testes firmant hæc vincula flammæ;
Dum cadit in Britonum classis adusta vadis.
Sic veteres iterum thalamis imponere ritus,
Atque faces, Juno pronuba, ferre, juvat.

NICOLAI HEINSII D. F.

IN

EASDEM NUPTIAS.

QUi male dilatos contempserat hactenus ignes,
Cui nullo tetigit vulnere corda Venus,
Zuerius accensis nunc saucius ossibus ardet,
Et toto validas ventilat ore faces.
Ardet, & in Valacro male littore devius errat:
Ipsaque contiguis tela foventur aquis.
Tota peregrinas senserunt æquora flammas,
Tactaque Zueriacis ignibus arsit humus.

Talis

Talis in Ismariis errabat rupibus olim,
Euridices Orpheus dum calet igne suæ.
Talis & in solis Minoïde captus arenis,
Attonita Liber Mænade cinctus, erat.
Si qua fides, hæc Diva suis Cyproque Paphoque
Littora præposuit antetulitque Venus.
Non alibi sua tela magis pharetramque Cupido
Devius exercet, cordaque plura ferit.
Fallor? an & vultu sua numina Sponsa fatetur?
Littore non alio debuit illa peti.
Tot viduos istis bene pensat amoribus annos
Zuerius; & tanti est, vix potuisse capi.
Jamque dies genialis adest: jam pronubus instat,
Luminaque aurata lampade gestat Hymen.
Ipsa Venus Tyrio saturatum murice lectum,
Strataque purpurea splendida texit acu.
Ipsa tuis, Zueri, prælud it læta triumphis:
Ipsa tuis armis militiæque favet.
Aspice, jam faciles ut debellata lacertos
Sponsa tibi pandat, purpureosque sinus.
Hoc dignum virtute tua est. Post condita Bredæ
Funera, & eloquio mœnia victa tuo,
Expugnanda tibi nunc obsidione puella est:
Nec minus hoc laudis, nec minus artis habet.
Hactenus ingenio feliciter arma movebas:
Auspiciis nunc sunt illa movenda tuis.

ROCHI HOFFERI

Ad

Marcum Zuerium Boxhornium.

AD nos fama loquax agitatis pervolat alis,
Nec patitur flammas delituisse tuas.
Et narrat facili Superos in amore secundos,
Et Dominæ pronas in tua vota manus.
Nuncia si veri est, nec nostras decipit aures,
Jam refero sacris ter bona verba tuis.
Sin minus, auditos voveo tibi totus amores.
Fama quidem ludit, sed tamen omen habet.

EJUS-

EJUSDEM

In Nuptias

MARCI ZUERII BOXHORNII

ET

SUSANNÆ DUVELARIÆ.

Ad Sponsam.

JAm Puer Idalius jaculis instructus, & igni,
In tua flammigeras egerat ossa faces.
Hinc tuus insolitos animus conceperat æstus,
Et Dominæ, facto vulnere, totus erat.
Torquebatque tenax succensas cura medullas:
Non erat in læso pectore certa quies.
Nocte querebaris diuturna silentia Lunæ,
Luce datâ, tardos currere solis equos.
Segnius Aonidas consueto more colebas,
Numina cultori semper amica suo.
Traxerat una tuos in se Duvelaria sensus,
Illa tuæ studium, curaque mentis erat.
Hoc Phœbus, totusque Helicon, cum Pallade, questus
Hos indignato reddidit ore sonos:
Ergone lascivas patiar jam longius artes,
Quas furtiva Venus, vel meditatur Amor?
Ut, mea qui sacris venerantur Numina curis,
Distrahat insignes in sua castra viros?
Asperius dicturus erat, sed fervida cœptas
Non potuit voces sustinuisse Venus.
In studium sic ira Deûm certaminis ibat;
At solvit tali Jupiter ora modo:
Quò ruitis? tantæne animis cœlestibus iræ?
Sic pudor, & pietas dissimulata jacet?
Si qua mei vobis superest reverentia, dixit,
Me finis motæ judice litis erit.
Zuerius ardet amans, Puerique volatilis arcu
Zuerius in vacuo pectore vulnus habet.

Hæc

Hæc est, Phœbe, tuo potius res digna favore.
Tu votis obstas nescius ipse tuis.
Si quid amatori Paphiæ nocuêre pharetræ,
Auxilium parili vulneris arte ferent.
Non secus ac quondam Pelidæ Telephus hastâ
Vulnus, & hac medicam cuspide sensit opem.
Ipsa Cupidineas quoque jam Duvelaria flammas
Hauriet, & molli spicula corde geret.
Sic sponsam petet ille suam, petet illa maritum,
Conjunctique fides plena caloris erit.
Nec mora, legitimo tædæ quoque jure coibunt,
Et dabitur, quicquid fingere possit amor.
Phœbe pater vatum, solito tunc reddet honore
Zuerius assiduas in tua jura manus.
Aligerique Dei facinus tibi proderit olim,
Et tua speratum damna rependet opus.
Quum post delitias socii Duvelaria lecti
Pignora Lucinâ sæpe favente dabit.
Producetque alti plures Heliconis alumnos,
Qui tua sacra, suo cum Genitore, colent.
Sic ait, & placido litem sermone diremit,
Sic ait, & reliqui conticuêre Dei.

EJUSDEM

In excessum

MARCI ZUERII BOXHORNII.

JAm sub pallentes ivit Boxhornius umbras,
Et clausit, fati lege jubente, dies.
Conditur & gelido, Leida comitante, sepulchro,
Quantum nigra suo viscere terra capit.
Cætera sunt cœli, & mansuræ pignora famæ,
Quæ nequeunt Marco jam moriente mori:
Dum vixit, Batavis facundia luxit Athênis,
Nec cessit Latiis æmula lingua viris.
Conscenditque sacri suprema cacumina montis,
Et Vates Clario largiùs amne bibit.
Gesta recognoscens annalibus eruta canis
Sæpius è docto pectore prompsit opus.

Dum-

Dumque domi latuit cunctas volitavit in oras,
Et si non pedibus, mente peregit iter:
Ut posset populorum audire, & reddere voces,
Et quas prisca refert, quasque hodierna refert.
Scilicet & Scythicos percurrit sedulus orbes,
Linguarum varias edocuitque vices.
Læta fuit gravitas, quâ robora sustulit oris,
Pondere quaque jocos conveniente dedit.
Dum licuit, sic vita fuit, totamque videri
Jam potuit famam demeruisse sibi.
Nunc cœli sequitur requies, lætoque laborum
Libertas animo non peritura venit.
Edomitâ tellure suo transcriptus Olympo est,
Æquaque cum Superis sæcula pacis agit:
Atque mori nescit, a *Jam scit, quod scitur, & ipsi,*
Quod nescivit adhuc, jam quoque scire datum est.

a Alludit ad scitum Heinsii, quod sonat:
Quantum est quod nescimus!
Et Boxhornii, quod sonat:
Quantum est quod scitur!

EJUSDEM

AD

BERGOPZOMIUM,

De obitu

M. Z. BOXHORNII.

Bergopzomani.

B*Erga, Brabantinis quæ stas fortissima ripis,*
Quamque rigant Zomæ lene fluentis aquæ:
Jam dum Leida graves testatur saucia luctus,
Fas est & lachrymas addere, Berga, tuas.
Illa tuo proles Genio gratissima, Marcus
Zuerius ad manes funere carpsit iter.
Musarum hoc illustre decus, Phœbique Sacerdos

Debuit,

Debuit, heu! terris occuluisse caput.
Nil ipsi ingenium, Latiæ nil profuit artis
Eloquium, aut calami nobilioris opus.
Fælix Berga, tuis primum sub mœnibus altis
Contigit huic vitæ limen inire suæ.
Nec tibi progenies fuit hæc ingrata Parenti,
Cunarum meritis præmia digna dedit.
Illius dum fama sacrat tua nomina famæ,
Illius vivis munere, & ille tuo.
Quid loquor? ah! vixit. Doctis fer debita bustis,
Contineant fletus lumina nulla suos.
Jamque tui plangant BoxhornI funera colles,
Jamque tibi querulo murmure Zoma fluat;
Misceat & Scaldi lachrymas, qui largius aucto
Flumine lugentes in mare fundat aquas.
Ille quidem Batavis clausit sua lumina terris,
Leida quidem tumulo continet ossa suo.
Qui docuit Vates sacratæ Palladis artes,
Pace tuâ, extinctum Palladis aula tegat.
Magna satis, lituos inter, Martisque furores,
Laus erit, hunc mundo te genuisse virum.

F. TURCÆI

LACHRYMÆ

In obitum

MARCI ZUERII BOXHORNII.

PLangite jam Batavi, lachrymas jam funde Lyceum,
Occidit heu splendor Palladis atque decus!
Occidit exemplum mundi BOXHORNIUS, *eheu!*
Occubuit, mentis judiciique vigor.
Quem neque Leyda virum, nec quem Brabantica tellus
Cepit, at immensus quo patet orbis erat.
Heu! truculenta nimis mors, quæ tot gaudia tollis;
Quo nobis aliud nil nisi mœror adest.

Non

Non ſatis ingluviem potuit ſatiare voracem
Claudius? & Marcus debet adeſſe tibi?
Omnia nunc tecum perierunt gaudia noſtra
Boxhorni, tecum Palladis arma jacent;
Ni novus accedat, tua qui veſtigia ſervet:
Quique premat greſſus dexteritate tuos.

Ejuſdem

EPITAPHIUM.

CONDITUR HOC TUMULO BOXHORNIUS, ECCE VIATOR;
NEC TAMEN HIC TUMULUS DICITUR ESSE CAPAX,
CORPUS HABET TANTUM, VERUM MONUMENTA MANEBUNT;
NAMQUE HORUM POTUIT JURIS HABERE NIHIL.

L. DE LINDA,

Poloni

M. Z. BOXHORNIO,

Sacer honor noviſſimus.

Vos, qui ſublimi conſcenditis æthera mente,
Atque polos vaſto numeratis in orbe remotos,
Tempora quid longis fruſtrà deducitis annis,
Faſtos æterno memores tranſmittitis ævo?
Imminet ecce dies, quæ rerum fulcra relaxet,
Et chaos informi facie cæcumque reducat.
Effœti mundi latam properare ruinam,
Decretum eſt Superis. Dum Lumina maxima Mundi
Sede ruunt celſâ, finem timet orbis, & æther.

Nuper

Nuper Leyda tuum luxisti sidus honorum
SALMASIUM, *ingenio solus qui summus & arte,*
Regum apices æquans animo, sed pectore Divos,
Naturæ absolvit magnæ miracla Parentis.
Hic cum mortali superavit sorte, profanas
Humani laudes oris, famamque potentem,
His major: sidus jam claro fulget Olympo.
Ex hoc ingenti consedit funere, luctu
Leyda, pias fundens lachrumas: deflevit & æther
Imbribus irriguus, DEPOSTUM *hoc, morte* repostum.
Nec-dum dedoluit, sua cum mortalia linquit
Spiritus, astra petens, BUXHORNI *Nomine magni*
Ingenioque Viri Clari, quem fama per orbem
Extulit, æterno mactans virtutis honore.
Mensibus una dies, qui jam fluxêre, duobus, a
Una dies, ast atra dies, duo Lumina condi
Vidit, post nunquam, postris majora datura.
Scilicet ingentes animos, cœlestis origo
Queis una est, unumque decus, laus una stupenda
Doctrinæ, vitæque piæ, certæque salutis
Spes, bene conjunxit mortali in sorte, doloris
Una dies, multis fœta & tristissima damnis.
Abstulit hæc, dolor hunc, dolor, ô dolor! atra sub umbras,
Gloria qui Leydæ fuerat; fulcrumque celebris,
Delicium magnis Ducibus, claræque juventæ
Summus amor, Suadæ Romanæ summa voluptas:
Quem coluere suis Germani sanctius oris,
Sidereæ mentis mirati pignora: tantum
Sedibus excivit Nomen, tot millia Gentis
Huc EUROPÆÆ. BOXHORNI *rostra diserta,*
Audivisse, graves vultus, vidisse, loquentem
In Marco Magnum Ciceronem, flumine linguæ
Magnificum Tacitum, votum fuit omnibus unum
Et summum. Summis mortalibus ipse stuporem
Fecerat, hic annis juvenis, sed pectore, & arte,
Mente senex fuerat: reliqui cùm discere debent,
Hic docuit Doctor juvenis, juvenesque senesque.
Principibus magnis sobolem formavit ad omne
Præclarum Imperii decus, & virtutis honores

a 3. Septemb. 3. Octobr.

Ingen-

Ingentes. Felix, tanto quæ Regna Magistro
Jam tractat, magnis meritis studiisque probata!
Tam benè de Regnis meritus, populisque, bonisque,
Orbeque de toto, BOXHORNIUS, *integer annis,*
Judicio, ingenio validus, sed corpore fessus,
Post tot librorum molem, vigilesque labores,
Reddidit ipse Polis animam, mundoque reliquit
Jacturam ingentem, Musis, Leydæque dolorem,
Et desiderium Doctis, lachrymasque juventæ.
In MARCO CICERO *jacet heu!* TACITUS*que disertus*
Jam tacet! hæc numquis vellet tot damna tacere?

EJUSDEM.

ZUerius jacet hîc, cui fata secunda dedêre
Ingenio terris vivere, mente polis.
Exuvias alii claudant, cineresque sepulchris;
Tullius hîc, Virtus, hîc Tacitusque rigent.
Zuerius jacet hîc, ætas cui nulla priorum
Vidit, posterior non habitura parem est.

HEN-

In obitum

M. Z. BOXHORNII.

Cujus adoranda concessit laurea lingua
Quem coluit patrius, quem peregrinus honor,
Qui toties Lauro praeclaros dixit utraque,
Magnaque sive togâ nomina, sive sago,
Nunc tacet aeternum, numero nunc ille silentum
Additus, emeritis laetus inerrat avis.
Leida quid illius praeconia dicere tentas?
Nulla capit Zuerî linguave, mensve decus,
Dedidicit se nunc aevi facundia, Zuerî
Desiit (hoc uno moverat) ore loqui,

MARCI ZUERII BOXHORNII

EPISTOLÆ.





JOH. ISACIO PONTANO,

Cognato suo,

M. Z. BOXHORNIUS, S.D.Pl.

Harderſvicum.

Clariſſime Cognate,

EX quo doctiſſimas illas litteras tuas una cum Tacito accepi, quem integritati ſuæ, laudabili operâ, poſt tot magnos viros reſtituiſti, ego fere tacitus; ſilui, inquam, aliquamdiu, non negligentiâ obſervantiæ, quam tibi debeo; ſed quod metuerem, ... ne præclaras illas curas, quibus nominis tui famam cum omni immortalitate conjungis, importunâ ſcriptione interrumperem. Teſtor Deum immortalem, ... nullas mihi gratiores fuiſſe unquam, quam eas, quas ad nos nuper dediſti: primas quidem illas, fateor; ſed tot amoris, & ingenii tui ſalibus adſperſas, ut primas facile in amore, & eruditione tenerent. Ego ex præſcripto tuo, & imperio aliquot doctorum virorum, Granatarum hoc encomium nuper in publicum dedi: quod licet indignum ſit, ut in manus tuas veniat, quæ non niſi elaborata omnia tractare ſolent, veniam tamen daturum te ætati noſtræ, in quâ nemo aut eruditionem quærat, aut inveniat, quâ es humanitate, nequaquam dubito. Vale doctiſſime virorum, & Cognate ſuaviſſime. Si inter publica negotia tua gratiſſimas litteras tuas ad nos dare aliquando fueris dignatus, feceris ad debiti noſtri, & benignitatis tuæ magnum incrementum. Salve, una cum uxore tuâ, & liberis, à reverendo ſene, avo meo, fratre, & ſorore item meâ. Iterum vale.

Lugduni Batavorum, 4. *April.* 1630.

Incomparabilis Heros Daniel Heinſius, cui hodie adfui, voluit ut te ſuo nomine humaniſſimè ſalutarem. Dicebat mihi, ſe eſſe totum in conſignandis rebus geſtis anni præcedentis; quæ ut ampliſſimæ ſunt, & longè maximæ, ita me hercule præſtantiſſimum ſcri-

ptorem, qui eas inferet tabulis æternitatis, pro merito, & magnitudine suâ sunt nactæ. Quærebat ex me, an non intellexissem de historiâ tuâ Regis Danorum, cujus editionem parare te, aut absolvisse propemodum, ex litteris tuis ad amicum quendam tuum datis accepisse se ajebat. Tu de hac re, si vacabit, paucula. Vale, vir magne, magnum & gentis tuæ, & litterarum decus. Habe me animo, & sub hastâ tuum.

JOH. ISACIO PONTANO, M. Z. BOXHORNIUS, S. P.

Harderwicum.

Clarissime D. cognato.

Litteras tuas, 3. Cal. Octob. Stylo Veteri exaratas, diebus superioribus demum accepi. Quod operam meam Hondio commendaveris, rectè se habet; & gratias ego tibi habeo immortales. Non dubito quin in Hollandiæ nostræ rebus, præsertim quæ antiquitatem ejus spectant, observata & notata tibi sint plurima: quæ, ut benivolè spondes, si mihi, ubi provectus aliquoties fuero, suppeditaveris, vadatum me tibi semper agnoscam. Elegantissima, & ut judicat V. Cl. Vossius, eruditissima Samuelis Petiti Miscellanea, ex voto tuo, nactus sum in Officina Elzeviriana. Si M. S. illa, quæ Petitus iste dilaudat, præsertim Olympidori in Platonem nostrum commentaria, in lucem publicam exponeret, quanto bono Remp. Litterariam bearet. Agitur hic, si forte ad aures tuas perlatum non sit, de evocando huc Cl. Salmasio, singulari Galliæ & ætatis suæ ornamento. Quid futurum fiet, scit is, qui omnia. Vale, cognate eruditissime, & me ama, qui te efflictim. Salvere te & uxorem tuam volunt omnes nostri.

Raptim uti vides, Lugd. Bat. 18. *Octob.* 1630.

Pro Macrobio tuo, grates tibi dico, quas possum maximas. Scire velim ex Hondio in quod tempus absolvendum sit Theatrum illud Urbium Hollandiæ. Videre etiam figuras æneas ex re mea fuerit.

JOH.

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

Harderſvicum.

Cl. D. cognate,

ECce tibi carmen in Hiſtoriam Danicam, unà cum litteris Scriverii noſtri; qui ſuperioribus diebus tantâ me humanitate & benivolentiâ ſuâ eſt amplexus, ut prædicare heic ſatis non poſſim. Certè per ſex horas continuas uſque in profundam veſperam præſentiâ & affatu ſuo me lubentiſſimè eſt dignatus. Opem & operã ſuam ſponte mihi obtulit, ſurrogaturus M.SS. nonnulla, & Principum diplomata, quæ præclara & plurima ſolus ferè habet. Propoſui illi aliquot meas opiniones ſive conjecturas (talibus enim opus in tanto deliquio Hiſtoricorum) circa Hollandiæ antiquitatem, quæ ut à nullis hactenus obſervatæ ſunt ita ſummo illi viro, ac in his cum paucis exercitato, argumentis non contemnendis mirum in modum probavi. In multis ab eruditiſſimo Junio longius & cum ratione abeo, ad quæ, cum ab aliis ante nos natos animadverſa non ſint, producenda in publicum, & fortiter propugnanda idem me ſummopere eſt hortatus. Sed de his & aliis alias, cum ſpecimen ad te mittam harum mearum obſervationum. Icones ab Hondio & ſimul litteras tuas accepi. Vale vir obſervande, & Cognate, præſidium & dulce decus meum.

Leydæ, raptim, 9. Decemb. 1630.

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Harderſvicum.

Clariſſime Cognate,

LItteræ tuæ, 7. Februarii, ſtylo veſtro datæ heri demum ad me perlatæ ſunt. Hiſtoria Danica Muerſii, quam nunc mitto, Voſſii noſtri eſt. Tuam videre

& ego, & omnes avent. Edita apud Merium est Historia, & descriptio civitatum Hanseaticarum, auctore Joanne Agellio Werdenhagen, Administratoris Hallensis quondam intimo Consiliario: si hanc desideras, scribe modo, faxo ego ut habeas. Mitto etiam tres priores Hollandiæ urbes, prout à nobis descriptæ sunt. Cætera quæ generalem Hollandiam spectant, describere non patiebatur temporis angustia. Ex hoc vestigio reliquorum mensuram facile cognosces. Rogo te, ut primâ quaque occasione, una cum judicio de his tuo, remittas. Si quid minus vel in stylo, vel in methodo tibi placuerit, gratum erit, si in tempore monueris. Vossius, & ille vatum nostri sæculi Princeps Barlæus plurimam per me tibi dicunt salutem. Hic etiam carmen in Hollandiam nostram scripsit. Tale à te non postulo tantum, sed, pro amicitia nostra, etiam flagito. Heinsius suum promisit. Vale, Cognate dilectissime, & me ama. Frater meus te, & tuam humanissimè salutat.

Lugduni Batavorum, 23. *Febr.* 1631.

Habes hic etiam notas, & castigationes, quas in Satyricon . . . . nonnemo eruditus scripsit. Pro me etiam pugnat. Sed de his alias.

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. Pl.

Hardersvicum.

Dilectissime Cognate,

ULtimas litteras tuas una cum Hollandiæ tabulis rectè accepi. Dordrechti originem quod attinet, eam indubitatam nunc inveni apud * Baldericum Noviomensem, lib. 3. Chronici Cameracensis, cap. XIX. qui disertim testatur Theodoricum tertium, Arnulphi Gandensis filium, *municipium*, verba ejus sunt, *fecisse eo in loco, qui Merewede ab incolis vocatur, ubi vidilicet Mosa,*

* *Vixit Baldericus ille hujus Comitis temporibus.*

Ilosa, & Wal fluvius de Rheno effluens pariter corrivantur. Dordrechtum itaque dictum fuerit quasi Didevichsdrechtum, uti suo loco pluribus ostendam. Mitto nunc tria capita priora, quæ generalem Hollandiam spectant. Tu, si quid desit, superadde, si quid commissum sit, pro humanitate, & eruditione tuâ corrige. Tot negotiis nunc distineor, ut relegere non vacet. Itaque non mirabere, si quædam scripturæ σφάλματα intercurrant. Res mihi est cum Satyrographo illo, ... qui magnas turbas, magno suo cum damno, & ignominia in Academia nostra dedit. Reliqua mea transmittam suo tempore, ubi otium nactus fuero. Vale, Vir Clarissime, & me amare perge.

Scribebam raptim, quod vides, Lugduni Batavorum, die undecimo Martii 1631.

Moneo caput tertium integrum non esse. Illa enim quæ Trajectum spectant, adhuc sunt superaddenda.

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Harderfvicum.

Clarissime, & dilectissime Cognate,

HEri Amstelodamum veni, ut agerem cum Hondio. Statueram simul ad vos excurrere, sed mutavi propositum. Cras iterum domum cogito. Ego mea, volente Hondio, Lugduni Batavorum excudi curabo; ut ipse, si quid commissum ab operis Typographicis sit, præsens corrigam, ac si quid mutandum addendumve sit, ipse superaddam. Itaque obnixè te rogat Hondius, ut suo nomine agas cum Typographo illo, cui Hollandiam nostram addixerat, eique dicas ipsum authorem opusculo suo excudendo corrigendoque velle præesse. . . . .
Remitto nunc reliquas duas Hollandiæ tabulas, quas proximè ad me miseras. Quod in scripto nostro quæ-

dam mutaveris, alia emendaveris, nonnulla etiam addideris, gratias tibi habeo immortales, & quanti te propter hæc faciam publicâ inſcriptione aliquando, ſi Deus vitam & otium dederit, oſtendam. Scriverio mea omnia legenda tradidi, quæ ipſi perplacuerunt. Non poſſum ſatis prædicare ſingularem, & inuſitatam, ut ita dicam, humanitatem, quâ me immeritum ſummus vir ille complectitur. Nullus ipſo in Hollandiæ antiquitatibus doctior, nemo nobis familiarior. Vale præſtantiſſime Cognate, ſalutatus à D. Thyſio, & Voſſio, quibus dixeram me ad vos abitum parare. Miſiſſet Voſſius ad te Oratorias ſuas inſtitutiones nuper editas, ſed paratæ, aut compactæ nondum erant, cum abirem.

Amſtelodami, 8. *Aprilis*.

Reliqua mea velim quamprimum remittas.

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOZHORNIUS, S. D.

Harderſvicum.

Litteras tuas, dilectiſſime Cognate, 3. Kal. Aprilis à te perſcriptas, una cum reliquis meis, rectè accepi. Commodè ad vos tranſiiſſem, cum Amſtelodami hærerem, ſi Dii Viales faviſſent. Aura enim & ventus erat adverſus. Non mutavi tamen propoſitum, ſed diſtuli, & circa Majum fortè ad vos excurram, datâ opportunitate. Weſtfriſiam Theodori Velii habeo, illam capiti tertio, ex conſilio tuo, ſubjungam. De verſibus C. Barlæi ſingularum urbium deſcriptionibus adjiciendis quid ſuades? Utar hic tuo conſilio. Reliqua mea, quæ Hollandiæ Inſignia, Nobilitatem, Ingenium incolarum, terræ fœcunditatem, atque alia id genus ſpectant, non opus videbatur ut tranſmitterem. Viſa hæc omnia, lecta & probata Scriverio. Non alienum ab inſtituto meo futurum putem, ſi Chronologicam ſeriem Comitum Hollandiæ ejus in gratiam adjungam. Nam in urbium deſcriptionibus frequens

Comi-

Comitum mentio; quorum temporibus hoc vel illud gestum esse memoramus. Titulus operis nostri hic erit: *Amphitheatrum*, sive *Accurata descriptio Comitatus & Urbium Hollandiæ*, *&c.* Si commodiorem habes, velim nobis quamprimum indices. Historiam tuam Danicam videre, & legere aveo. Ex illâ haud dubiè multa hauriam, quæ Nortmannorum & Danorum in has oras incursiones spectant. Gratissimum igitur erit, si prima quaque occasione transmittas. Et si alia ad amicos exemplaria dare velis, curabo omnia diligenter. Hollandiæ meæ priora proximâ septimanâ Typographo tradam. Quæ disceptationem nostram de Hollandiæ nomine ejusque origine spectant, ita variavi, & mutavi, ut non dubitem, quin omnia cum Scriverio nostro sis probaturus. Fixum tamen & immotum stat, Hollandiam ita nominari ab Oelandia Danorum. Iterum te rogo, ut Historiæ tuæ Danicæ exemplar quamprimum ad nos mittere digneris. Quæ enim Vestratis Oelandiæ descriptionem & Danorum irruptiones spectant, usui mihi futura sunt in capite primo, jamjam excudendo. Vale Oculissime Cognate; & me ama, qui te efflictim. Plurimam salutem tibi tuæque addicunt omnes nostri.

Scripsi raptim, Lugd. Batav. 18. *April.* 1631.

Audivi nonnulla de te in locum Vossii huc evocando. Quod faxit Deus immortalis.

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Hardersvicum.

Litteræ tuæ, Cognate oculissime, à Typographi vestri uxore rectè ad me perlatæ sunt. Ego omnia curavi diligenter. Heinsio, tuo nomine, gratias egi pro historiâ Silvęducensi ad te transmissâ. Elsevirius folium illud, cujus signatura erat littera I. jam ad te per litterarum tuarum gerulam dedisse se ait. Manum Lipsii

à Scriverio nostro impetrare non potui, sibi etiam à Consule vestro quædam promissa, non tamen transmissa causante. Angeli Rocchæ caput de Veteri Gallorum linguâ superioribus diebus exscripsi, quod his additum invenies. Opus nostrum iam sudat sub prælo; folia priora quatuor excusa jam sunt, quæ proximâ occasione una cum urbis Amstelodamensis descriptione ad te dare statui. Vale Clarissime Cognate, & me ita porro ama. Avus, Avia, omnesque nostri plurimam tibi, tuæque salutem adscribunt. Moram nostram in scribendo apud te non excuso. Iterum vale, ô & præsidium, & dulce decus meum.

Heuteri historiam invenire non licuit. Salmasium huc migraturum certa fama est. De te in locum Vossii evocando multa inaudivi.* Faxit hoc Deus.

Anno 1631. 16. *Jun.*

Λύγος corvum linguâ Celticâ significare indeque dictum Lugodunum author est Plutarchus de fluminibus. An autem vox aliqua sit Belgica, aut Danica, quæ huic respondeat, valde velim à te doceri, cui vetus Gallica satis est perspecta.

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Harderfvicum.

ECce tibi, oculissime Cognate, disputationem Cognati nostri Joannis Boscharti de justificatione &c. cum laude publicè habitam, & clarissimo nomini tuo inscriptam. Totus jam sum in illis describendis, quæ urbis Amstelodamensis historiam, & descriptionem spectant, & proximè ad vos transmittam. Amplissimus vir, & amicus tuus, Adrianus Pauwius, superioribus diebus Hagam me evocavit, communicavitque plurima, ex patriæ archivis deprompta, quæ urbium Hollandicarum antiquitatem, & immunitates spectant. Nihil hic novi de bello, aut Repub. Silent omnia. Illud

tamen

tamen non reticendum: vidiſſe nos litteras illas, quas Currentes vocant, editas Antverpiæ, in quibus Leidâ perſcriptum dicitur, Danielem Heinſium, & Caſparem Barlæum ingens, & grande volumen de felici noſtrorum in Flandriam expeditione moliri, illum quidem prorſâ, hunc vorſâ oratione. Ita quidem illi. Sed nondum præterière omnium dierum ſoles. Ignorant quam nobis fortunam ſerus veſper ſit adve&urus. Plura vellem: ſed is qui has tibi tradet, ſtat in itineris ſui procinctu. Vale, Cognate dulciſſime, & me tuum ama. Salutant te cum tua omnes noſtri quam officioſiſſimè.

Lugd. Bat. Anno 1631. *Julij* 16.

DANIELI HEINSIO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

NOn peccavi, Vir Illuſtris, dum Suetonium Tranquillum nova iſta facie exornatum in publicum protrudo. Scriptor eſt inter eos, qui ad res geſtas populi Romani illuſtrandas acceſſere, & facundia, & gravitate præcipuus, ac, quod haud inter poſtremas ejus laudes pono, incorruptam veritatem profeſſus. Ea autem tempora proſequitur, quibus terrarum orbi Romanus jam par eſſe cœpit: ac proinde digniſſimus, ad cujus lectionem ſe accingant illi, qui ad militares & civiles dignitates adſpirant. Videbunt hic, fato quodam generis humani, quemadmodum ſyderum, ita & rerum vices: poteſtatem populi, temporum infelicitate ad primores delapſam, & ibi fractam diſcordiis, apud Cæſares demum feſſam conſediſſe: ac à Julio quidem primum arreptam, deinde ab Auguſto auctam, à Tiberio confirmatam ad reliquos omnes poſtmodum fuiſſe tranſmiſſam. Videbunt ſtatum reipublicæ Romanæ feliciſſimum & miſerrimum, lœtum, triſtem, ambiguum; Principes bonis maliſque artibus mixtos; aliquot eorum ferro interemtos, oppreſſam Senatus auctoritatem, & evectam; Patres infenſos Principi vel obnoxios; populum & florentem gratia, & depreſſum; diſciplinam

omnem nimia Ducum lenitate aut severitate corruptam; abjectos & petitos honores; districtam incendiis urbem, & instauratam; bella civilia & externa; triumphos & clades; simultatis, fidei, perfidiæ, constantiæ, clementiæ, crudelitatis magna exempla, &, ut verbo omnia amplectar, virtutum vitiorumque certamen. Quæ dum per otium semel iterumque evolvo, notata mihi sparsim nonnulla sunt, quæ, quamvis rudia adhuc & impolita, quia lucem aliquam huic scripto mutuare videbantur, flagitante Typographo, in publicum exire passus sum. Quamquam enim magnus ille litterarum vindex Isaacus Casaubonus tam luculentis & eruditis animadversionibus Scriptorem hunc illustraverit, ut nihil à quoquam adjici potuisse videatur; ab eo tamen sive majoribus negotiis districto, sive humani ingenii lege, nonnulla prætermissa & commissa fuisse dubitari non debet. Argumento illa fuerint, quæ sparsim hic, modeste tamen & candide indicamus: magnam partem sub manu nata, & pro penso operarum typographicarum perscripta. Potuissem forte meliora; sed obstitit otii penuria, quod omne mihi auferunt eruendæ, ut nosti, Patriæ antiquitates, quæ cum plusquam Cymmeriis tenebris sint involutæ, totum me sibi habent mancipatum. De his bonorum omnium, & tuum judicium esto, Vir Amplissime: qui non obscurum hoc amoris & observantiæ nostræ indicium inscripsimus. Et alii qualiacunque hæc offerrem, quam tibi? Tibi ut litteræ nostræ humaniores, & historia omnis Augusta, ita Scriptor hic plurimum debet; plura adhuc debiturus, dum eum publice nobis explicandum sumsisti. Et tanta sunt in me beneficia tua, ut officium hoc prætermittere non potuerim. Justo pudore suffundor cum recogito, quoties præclaras illas curas tuas à me passus sis interrumpi: quibus famam nominis tui ad posteritatem magis magisque transfundis. Agnosco meam tenuitatem. Quod eruditione & fama tua dignum rependam, nihil habeo, præter hoc animi & litterarum redhostimentum. Majore tamen fiducia accedo ad te; qui non tam offerentis munus, quam animum didicisti æstimare. Summa voto-

rum:

rum fuerit, si libello huic, ad Musarum tuarum sacrarium tendenti aditum non præcluseris: in quo stabit, ut spero, exiguum hoc magni in te animi mei monumentum. Vale, Vir Illustris, & gloriæ tuæ longum supervive.

Lugd. Batav. Anno M DC XXXI. *Kal. Aug.*

JOH. ISACIO PONTANO,

M. Z. BOXHORNIUS, S.

Harderfvicum.

Dilectissime Cognate, litteræ tuæ posteriores 27. Augusti exaratæ, ut & illæ, quæ proximè has antecesserunt, rectè ad me perlatæ sunt. Debuissem maturius respondere. Sed facilè mihi ignosces, ut spero. Scribendi enim officium intermissum est, non negligentiâ aliquâ, sed partim ob varias occupationes, quibus etiamnum distringor, partim ob valetudinem adversam, quæ ex oculorum humoribus, & doloribus contracta validè me diebus plusculis afflixit. Suetonius noster jam in publicum prodiit: secunda pars ejus operis, cujus titulum descriptum hic habes. Pars prima, & tertia jam pene typis descriptæ sunt. Assiduis precibus Typographi, flagitantis, ut recensendo, & illustrando huic operi præessem, tandem me passus sum exorari. Utinam illis scriptoribus, post tam sedulam aliorum curam, ego etiam aliquid lucis possim mutuari. Si hac in parte, re aut consilio tuo prodesse nobis potes (posse autem scio) velim quamprimum significes. Suetonius tanto omnium favore exceptus est, ut clarissimi hujus Acad. Profess. ad linguæ Græcæ professionem, quæ jam vacat, adspirare me voluerint. Sed vitam privatam, quietam illam, adhuc degere constitui. Theatrum nostrum Hollandicum operarum; non meâ, incuria, aut injuriâ aliquamdiu intermissum nunc satis magnis passibus procedit. Quidquid excusum est, adjunctum his habes. Reliqua, ut & urbis Amstelod. descriptionem, proximè transmittam. Vale, clarissime cognate, & me ama.

Salutant te, tuamque reverendus senex avus meus, frater, & omnes nostri.

Raptim, Lugd. Batav. 29. Septemb. 1631.

JOH. ISACIO PONTANO, BOXHORNIUS, S.

Harderfvicum.

Clarissime D. Cognate,

Litteras tuas 26. Octobris stylo vestrati datas hodie demum accepi, & cum iis florenos tres, quos tuo nomine, pro Samuelis Petiti miscellaneis, apud Elzevirios exposueram. Si quâ in re ulterius officia nostra inservire tibi heic possunt, perscripseris modo, habebis illa quam paratissima. Notas tuas in Fulgentium nostrum adhuc inspicere magis, quam legere otium fuit. Solennem tamen genium, & eruditionem tuam in istis vidi. Urbes Hollandicas ab Hondio necdum accepi; velim ut quam primum illæ ad me veniant. Bataviam optimè, & elegantissime descripsit præstantissimus Junius; inveni tamen, quod iis, quæ ab eo notata sunt, possit superaddi. Sed hæc alias, & otio meliore. Vale vir, & Cognate observande, & me quod facere te video, redama. Salveat à me tua uxor. Plurimam tibi, tuæque salutem adscribunt reverendus avus meus, & frater.

Raptissime, uti vides, Leydæ, 14. Novemb.

CLAUDIO SALMASIO, M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

Redeunt ad te, Vir Illustris, ex Batavia nostra sex Scriptores isti, & ecce ultro in eruditionis tuæ involant sinum. Erubescunt tamen in hac lacinia se tibi sistere, qui eos ingenii tui purpura & sago excultos non huc modo, sed & in universum hunc litterarium orbem

orbem nuper emisisti. Formæ, fateor, magnum hic invenies decrementum, non tamen ullum splendoris detrimentum. Nihil autem hic mihi assumo. Spicæ aliquot sunt, & nescio quæ reliquiarum reliquiæ post uberrimam tuam messem. Utut enim ad lucem auctorum aliquid faciant, ita nihil dignum in se habent, quod ad industriam & curas tuas addere aliquid posse existimarem. Veniam dabis adolescentis ingenii mei tenuitati, dabis temporis angustiis, quæ me, ista potius effundere & αὐτοσχεδιάσειν quam scribere permittunt. Dabis etiam tibi, qui post infinitæ industriæ & eruditionis virum, Isaacum Casaubonum, cujus apud te gratissimam memoriam esse scio, tot exaratos manu codices & tam accurate excussisti, tot loca desperata; & quæ jam inde à renatis litteris eruditorum acumen exercuerunt, feliciter sanasti, tam multa ex omnis ævi antiquitate, quæ sepulta & ignorata hactenus fuerunt, eruisti, tot Græciæ, tot Latio voces redonasti, tot eadem opera bonis auctoribus vel obscuris lucem, vel corruptis Medicinam dedisti, ut nec doctissimi cujusquam possit æquare diligentia, nec affectare doctrina. Adeo ut si quis illa, quæ industriam tuam semel exercuerunt, repetere instituat, aut nihil omnino reliquum sit habiturus, aut hujusmodi tantum, ad quæ eruditionis tuæ fastigium se vix inclinat. Cape itaque qualecunque hoc munusculum admodum adolescentis quidem, & in his antiquitatis tenebris ἀμφαφόωντος, sed ut bonarum omnium litterarum, ita eruditionis & virtutum tuarum admiratoris unici. Volui hac via aditum mihi ad te sternere, Vir Clarissime, quem in excelsa illa gloriæ & eruditionis arce positum admirabundi omnes veneramur. Tu, si humanitatem tuam recte novi, non dedignaberis vel unam tantum horulam gravioribus illis tuis curis, quibus & præsens hoc sæculum & posteritatem omnem tibi meritò devincis, suffurari, ac excutiendæ tumultuariæ huic nostræ lucubratiunculæ, sed facilem & faventem, commodare. Ego, quoties tui in mentem venit, venit autem sæpissime, vota facere non desino, ut Deus Optimus Maximus te quam diutissime mortalium cœtibus patiatur inter-

intereſſe, ad litterarum dignitatem magis magiſque instaurandam; quæ abitum, neſcio quo fato, his temporibus minantur, quibus non memini me legiſſe corruptiora. Sed manum de tabula, ne in publica commoda peccem, quibus ſolis omnes curæ tuæ ſacrantur. Vale litterarum Stator, & ſolidæ omnis eruditionis Vindex unice.

Lugd. Batav. anno natæ Salutis MDCXXXI. *Kalend. Decemb.*

JOH. ISACIO PONTANO,
M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Harderſvicum.

Dilectiſſime Cognate,

PEccavi fateor, & quidem graviter. Sed culpam omnem jam deprecor. Et tu ignoſces mihi, ſi humanitatem tuam rectè novi, ubi hujus tam diuturni ſilentii mei cauſam cognoveris. Etenim præter occupationes, quibus tanquam equus ſagmarius adhuc premor, morbus graviſſimus aliquamdiu lectulo meo me affixit; & tantum non ad plures juſſit commigrare. Theatrum noſtrum Hollandicum jam carceres mordet. Epiſtola illa tua, qua pro Amſtelodamenſibus tuis contra Heuterum, virum cætera non ineruditum, depugnas, mihi perplacuit; & commodum locum invenit in urbis Amſtelodamenſis deſcriptione. Carmen, quod Hollandiæ noſtræ cum aliis Heinſii, Scriverii, Barlæi, & aliorum præfigatur, pangere pro amicitia noſtra non dedignaberis. Velim illud proximis tuis litteris, & quidem quamprimum, habere. Salmaſius proximo vere ad nos cogitat. Vir ille, ut ex Animadverſionibus ejus ad Plinium, Solinum, & Rei Auguſtæ Scriptores ſex, quos jam verſo, probe intelligo, non niſi ad iſta indaganda & explicanda natus eſt, quam quæ alii non intelligunt. Partem tertiam Hiſtoriæ Romanæ nomini ejus inſcripſi, quam proximis diebus ad vos mittam. Nondum enim tota affecta eſt. Grotius in Galliam denuo reverſus eſt; parum abfuit, quin in priſtinum Lupoſteinianum.

num carcerem conjiceretur. Ordines, ut & Princeps, adventum ejus gravissime tulerunt, dederuntque Balivis omnibus in mandatis, ut, sicubi lateret, in vincula conjiceretur. Sed hæc talia jam inaudisse vos opinor. Vale Cognate Clarissime, & me ama, quia ego te perdite. Plurimam tibi salutem adscribunt reverendus Avus meus, frater, & omnes nostri.

Lugd. Bat. 18. *Decemb.* 1631.

CLAUDIO SALMASIO,
M. Z. BOXBORNIUS, S. D.

Lutet. Paris.

Ecce tibi, Excellentissime Salmasi, qualescunque nostras in sex istos Historiæ Augustæ Scriptores animadversiones. Tam bene de his, ut & universa republica litteraria eruditissimis scriptis tuis meritus es, ut hoc officii genus prætermittere non potuerim. Sed trepidat animus, quoties tuæ in omni disciplinarum genere consumatissimæ eruditionis in mentem venit; cujus fastigium ad has paupertimi ingenii nostri sordes se vix inclinat. Posita tamen verecundia accedo ad te, qui munusculum hoc non ex libelli tenuitate, sed dicantis affectu didicisti æstimare. Difficile est post Homerum Iliada scribere, & post te in Scriptores istos Animadversiones. Potuissem forte meliora, sed obstitit otii penuria, quod omne mihi auferunt eruendæ patriæ nostræ antiquitates, quæ, cum plus quam Cymmeriis tenebris sint involutę, totum me sibi habent mancipatum. Theatrum meum Comitatus, & Urbium Hollandiæ, in quo singularum civitatum origines, incrementa, jura, privilegia, immunitates, & res domi, militiæque gestas prosecuti sumus, sub prælo est, & jam carceres mordet. Adeo ut paucas tantum horulas, flagitante Typographo, minoribus rei Romanæ Scriptoribus recensendis huic operi potuerim suffurari. Nos te, vir incomparabilis, avide hic omnes exspectamus. Tu Atlas litterarium hoc cœlum apud nos sustinebis. Sed desino, ne in curas tuas peccem, quibus famam nominis tui ad omnem posteritatem transfundis, Deus Optimus

Maxi-

Maximus te publici egregii bono quam diutissimè incolumem servet.

Scribebam Lugd. Bat. An. M IↃC XXXII. *Kal. Febr.*

Cl. V. Petrus Scriverius noster, plurimam tibi, *Vir* præstantissime, salutem dicit.

JOH. ISAACIO PONTANO, & PETRO SCRIVERIO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

QUò altius, Viri Clarissimi, in populi Romani historiam penetro, eò longius à pristino felicitatis flore illam terrarum, gentiumque Deam descivisse comperior. Nempe raro tam felicia gentibus fata sunt, ut in eodem statu tranquiliæ perdurent. Florentes populorum res fere cum singulis sæculis convertuntur. Præter enim infinita alia, quæ quotidie experimur, naturales quædam imperiorum conversiones sunt, ut divinus Plato existimavit. Ex quo enim Bruti, Scipiones, Valerii, Marii, & præclaræ ejusmodi animæ in Republica Romana defuere, præstantia ingenia non illuxere. Semel dicam: cum re Romana etiam lingua defecit, quæ quo longius ab Augusti ævo decessit, eò magis splendorem amisit. Ammianum ne longius digrediar videte: qui quidquid ab ingenio ad scribendam historiam attulit, dictionis genere deformavit. Nemo tamen adeo infans rerum est, ut ea de causa aspernandum putaverit. Aliunde enim eloquentiam, aliunde rerum cognitionem peti debere existimamus. Quam alte Principum, & aulæ versutias Ammianus excussit? Quam eleganter regionum, & præcipuè Galliæ & Germaniæ veteris, in qua stipendium ipse fecit, situm nobis depingit? Quam multa passim interserit, quæ ex intimis naturalis Philosophiæ aditis desumpta? Quam multa de vita, qua publicè, qua privatim recte instituenda

tuenda inculcat? Unde factum est, ut inter alios Rei Augustæ scriptores inexcussum hunc relinquere non potuerim. Tentavi igitur aliquid post clarissimum Lindenbrogium, cujus in hunc scriptorem laudatæ animadversiones exstant; sed id quod cœperam perficere otium non permisit. Vos, excellentissimi Viri, de hac opella judicate; quibus pauperrimi ingenii mei fasces libenter submitto. Suffecerit mihi, si qualecunq; hoc grati mei in vos animi monumentum exstet, quo significem nihil affectui defuisse, præter remunerandi facultatem. Debui infinitis tuis, eruditissime Isaci Pontane, in me meritis; debui eruditioni tuæ, quæ tanta est, ut affectata aliis, tibi ingenita videatur. Loquuntur id tot illustria ingenii tui monumenta, quæ Principes litterarum passim admirantur. Macrobio, scriptori præstantissimo, qui veterum Philosophiam, non vanam illam, & quæ ad solam ostentationem pertinet, sed cordatam, & masculam, altissimè penetravit, vitam & simul tibi famam prorogasti. In cæteris etiam auctoribus non calore, cum vulgo Criticorum, sed ratione cum paucis tibi datum fuit judicare. De Annalibus tuis Danicis, qui tanto nuper omnium applausu excepti sunt, quod satis pro merito dicam, non habeo. Venio ad te, eruditissime Scriveri, cujus stupendas dotes non possum non deprædicare, ex quo me earum intimum & domesticum spectatorem esse voluisti. Quot sæpe palmarias in optimis quibusvis auctoribus emendationes nobis proposuisti, quæ inter fabulandum ex solo ingenio, sed infinitâ lectione subacto, nascebantur. Criticam tuam facilitatem unus Martialis, vel me tacente, apud posteros loquetur, cui post tot sæculorum intervalla lepores suos reddidisti. De cæterâ ingenii tui amœnitate, quam sæpe expertus sum, nihil jam dicam. In patriæ tuæ historia ita versatus es, ut nemo hac in parte tecum possit componi. Memini adhuc ejus diei, quo de Hollandicorum Comitum primis initiis, atque adeo historia eorum universa non ex aliorum judicio, sed ex tua sententia libere & graviter disserebas. Testabitur id mecum, qui tunc aderat, Adrianus Vettius noster, novum Zeelandiæ suæ decus, qui præter

ter accuratam juris cognitionem in omni disciplinarum genere ita versatus est, ut juventutis nostri temporis sibi vindicet principatum, & historia patriæ ita instructus, ut de hac nemo melius, nemo accuratius possit judicare. De Bibliotheca tua quid dicam? quæ tot M. SS. veterrimisque codicibus, aliisque pluribus ejus generis cimeliis referta est, ut magnam felicitatis meæ partem semper existimaverim, quod cum ad humanitatem tuam, simul ad ipsam aditum mihi esse voluisti. In qua non tantum de historia, & re litterariâ universa, sed de earum conservatrice arte, Typographia Harlemensi dico, certissima mihi patuerunt documenta. Cæterum animadversiones nostras quod attinet, eas raptim omnes exaravimus. Ita enim mihi decretum est, nullo labore talibus insudare, & quæ memoriæ tenor illibatus non suppeditat, illa nec inquirere. Temporis enim jactura gravissima est, & hæc studia non sunt nisi interludia feriarum occupationum. Deus immortalis seram illam diem esse velit, quæ cæleste vestrum depositum nobis invidebit; cumque summus Imperator, ex hac mortalis vitæ statione evocaverit, pares vobis Batavia habeat, quia majores non potest. Præter votum hoc nihil habeo. Tantum vobis ego, tantum respublica nostra litteraria debet, quantum solvere non possum. Valete, Doctissimi Belgarum & Musas nostras, innocentissimas Deas, ab inficeti sæculi Barbarie ita porro vindicate.

Lugd. Bat. an. M DC XXXII. *Kal. Aprilis.*

JOH. ISACIO PONTANO, BOXHORNIUS, S. D.

Harderfvicum.

Cognate dilectissime,

Litteræ tuæ rectè ad me perlatæ sunt. Respondissem in tempore, nisi in Zelandia & curandi funeris & amicorum causa hærendum diutius fuisset. Quo nomine meæ in scribendo negligentiæ ignoscas velim. Operam posthac dabo, ut literarum frequentiâ diuti-

na earum absentia pensetur. Hollandia nostra finem jam invenit, quæ me hactenus totum sibi voluit addictum. Hondio, ut exemplar ad te mitteret, in mandatis, cum nuper Amstelodami essem, dedi. Quod an factum sit, scire aveo. Ammianum etiam hic habes, clarissimo nomini tuo, merito tuo, inscriptum. Ingenuè fateor, plura tibi debeo, sed majora non possum. Tu non ad munusculi tenuitatem, sed animum hunc meum, candidum, infucatum, & quod rei caput est, devotum tibi, oculos tuos convertes. Historia illa Gelro-Hollandica Hermanni Goudani penes Scriverium Amstelodami est. Is quamprimum se ad te missurum nobis promisit; & tu, nisi grave sit, per litteras urge. Anni hujus felicem, ut ex initiis auguror, expeditionem consignare est animus. Tu me juva, si suades. De Venloæ, Ruremondæ, atque etiam Stralenæ urbium inter alias Gelriæ munitissimarum, quæ Auriaco se jam dedere, antiquitatibus si quid compertum tibi, velim quamprimum indices. Nihil mihi acceptum magis futurum. Vale, vir clarissime, & me amare perge.

Raptim Lugd. Bat. XI. *Junii* CIↃ IↃC XXXII.

Salutant te tuasque, uxorem & filiam omnes nostri, ac inprimis avus atque frater meus.

JOH. ISACIO PONTANO, BOXHORNIUS S.

PEccavi largiter, dilectissime Cognate, non quod amicitiæ nostræ aut oblivio, aut satias me ceperit, sed quod satisfacere illi non possem. Cum argumentum satis prolixum ad te scribendi sæpius habuerim, otio semper fui destitutus. Male sit publicis illis occupationibus, quæ non tantum fatigant hunc hominem, sed & ingratum illis esse cogunt, à quibus ut maxima quævis accepit, ita majora adhuc debet. Sæpius ardor te compellandi me cepit, sed publica negotia illi moram injecere. Ignosce mihi, Vir Clarissime, homini ut occupatissimo, ita qui maximi te & tua

facit. Sed de prolixa tua erga me benivolentia non dubito, cum sciam, quam facile possis, amicorum vitiis condonare. Epistola hac, & munusculo priorem moram, quâ in amicitiam nostram non leviter peccasse me profiteor, absolvi patieris. Habes ibi prælectiones nostras in Sulpitiam publice nuper hic habitas, tridui unius laborem. Quod addo, ut si quæ parum tersa, aut explorata invenias, festinationi ignoscas. Familiaris est quidem nostra commentatio, sed qualem Satyra, ut de corruptis Domitiani temporibus perscripta, ita per injuriam temporum corruptissima postulabat. Quædam alia ejus generis veterum scripta accessere. Ratio eorum habenda hic fuit ne perirent. Etiam reliquias Veteris ævi admiramur. Laudabis me scio quòd recensendis, atque illustrandis veterum Satyris, quam novis scribendis maluerim insudare. Tutius multo leguntur prioris ævi mala, quam nostri culpantur. Nescio enim quo pacto fieri soleat, ut cum avidè peccemus, nolimus tamen reprehendi. Danus quidam homo jam barbatus, & procerioris staturæ plurimam mihi tuo nomine salutem nunciavit. Ad hanc descriptionem risum, scio, non tenebis. Sed cum nomen ejus hominis ignorarem, non potui eum aliter tibi hac epistola repræsentare. Putabat commendationem meam alicujus apud te ponderis esse; proinde illam avidè flagitabat. Quamvis nomen ejus non succurrat, de ingenio tamen possum testari. Diligentiam suam, & eruditionem in privato Eloquentiæ collegio, quod sub me nobiles aliquot Dani instituerunt, non semel mihi probavit. Ut tu valeas, ut uxor, ut filia, ut affinis tuus se habeant, scire desidero. Audio ad umbilicum perductam Historiam tuam Gelricam. Et hoc per te nolim ignorare. Vale, oculissime cognate, & me amare perge. Uxorem tuam, & filiam, & affinem, & te ipsum meo, & fratris mei nomine salutabis quam humanissime.

Raptim Lugd. Bat. XIX. *Junij.* CIↃ IↃC XXXII.

Fac sciam, si placet, hæc mea rectè ad te fuisse perlata. Ego, quotiescunque per occupationes licebit, ad scribendum me accingam.


ADRIA-

ADRIANO VETTHIO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

EX quo me litterarum ardor cepit, *eruditissime Vetthi*, non potui non summopere Panegyricas veterum Orationes æstimare. Enimvero in iis omnem dicendi & ingenii vim mihi explicuisse auctores videntur. Ut non sine magna Reipublicæ litterariæ jactura tam multa ejus generis temporum iniquitate sint intercepta. Constat enim in singulis pene urbibus laudatos olim Cæsares & illustrissima quæque ingenia ad agendas iis gratias auctoritate publica fuisse excitata. Nihil autem est quod cum hoc Plinii Panegyrico possit comparari. Ut enim in Latinitate postremum non negamus, ita ævo Augustæo dignissimum esse in dubium vocari non debet. Quo nomine superioribus diebus ejus excutiendi impetum cepi, & recensendo aliquot horas dedi, cum plures gravioribus curis non licet suffurari. Tibi id quidquid opellæ nostræ est dedicamus. Tanta sunt tua in me beneficia, ut qualecunque hoc officii genus sine scelere diutius prætermittere non potuerim. Eruditione autem tanta es, illisque ingenii præsidiis instructus, ut de hoc scribendi genere nemo melius, aut æquius possit judicare. Præterquam enim, quod Romani Juris adita accurate penetraveris, omnis antiquitatis omniumque disciplinarum cognitione tam probè imbutus es, ut litteratæ juventutis principatum merito tibi deferamus. Vale novum Zelandiæ tuæ, & litterarum decus.

Lugduni Batavorum, *Anno* CIↃ IↃC XXXII.
Kal. Novemb.



JOH.

JOH. ISACIO PONTANO, BOXHORNIUS S.

Harderfvicum.

Clarissime Cognate,

QUantum in te diuturno hoc silentio peccaverim probe intelligo. Sed nec tu ignorare potes, quantopere me agitaverint novæ Professionis curæ, & occupationes. Nunc demum intelligo privatæ vitæ foelicitatem. Publica enim illa secum trahit appendicem magnarum molestiarum. Sed devoranda magno animo principia, quæ ut plurimum solent esse difficiliora. Nunc quia per ferias nostras vacat, ad singula tuarum litterarum capita respondebo. De Salmasii adventu ita est, ut scribis. Illius viri conjunctam cum singulari, & stupendâ eruditione humanitatem præsens aliquotiens sum expertus. Vidi illustre apud eum Cymelion Codicem Latinorum Epigrammatum longè antiquissimum, & hactenus, quod caput rei est, ineditum. Ego certè Reipubl. huic, & Academiæ admodum gratulor, cum magno Scaligero virum succenturiatum esse, ad quem, tanquam oraculum, recurrere nobis licebit, quotiens in his litteris gravior nodus occurret. Florum sub manibus habet, quem jam affectum pene editioni parat. Totus in eo est, ut florentissimi illius scriptoris admissos passim in Chronologia errores indicet, atque emendet. Quanquam meâ quidem sententiâ, eo nomine Floro adeo non sit insultandum, qui compendium hoc, sive potius florilegium Historiæ Romanæ, non juxta accuratam temporis seriem, sed, declamatorum more, per capita quædam, & locos communes digessit. Sic uno eodemque capite omnium pene seditionum Historias complexus est, inter quarum nonnullas sæculorum aliquot intervallum est. Idem etiam à Velleio Paterculo factum videmus, qui subinde in unam pagellam rejecit quidquid ad idem argumentum spectaret. Talis est lib. 1. illa bene longa coloniarum enu-

enumeratio, quæ à Romanis aliis atque aliis temporibus in diversas orbis partes transmissæ sunt. Parat idem Salmasius *Rituale veteris Ecclesiæ Christianæ*, in quo omnes sacrorum ritus, & instituta plenissime, atque accuratissime deducit. Werdenhagenium quod attinet; ille Bremam nuperrimè evocatus est, ut ejus loci Episcopo à consiliis esset. Quare ante menses aliquot eò profectus est. De *Nabalia*, & Taciti loco quod notas, validè mihi placuit. Nisi potius pro *Naba*, aut *Nabalia* legendum sit, *Navalis fluminis pons*. Navales pontes sunt, qui navibus coadunatis superstruuntur: quorum magnus hodieque in militiâ nostrâ usus est. De his multa Lazarus Bayfius in commentariis de re nautica, & Stewechius ad Vegetium Renatum. Qui Renatus nuper ex novâ Scriverii recensione in lucem prodiit. Non dubito quin ejus exemplar proximè ad te sit transmissurus. Prodierunt etiam his diebus è Musæo nostro Panegyricus Plinii, Trajano dictus, quem publicè jam prælego, atque etiam Respubl. & Historia Episcopatus Leodiensis. Utriusq; exemplar hic habes. Ut vel hoc argumento tibi esse possit, Musas nostras non fuisse otiosas. E Zelandia hodie ad me perscriptum est, Philippum Lansbergium, illum Mathematicorum nostræ ætatis facile principem, ad plures commigrasse. Idem etiam Groningæ fecit Janus Gebhardus, Eloquentiæ ibidem Professor, vir eruditissimus, ut ex animadversionibus ejus ad Tibullum, aliisque operibus, quibus humaniores litteras haud parum illustravit, ignorare non potes. Indicem ejus Topographicum, ad Curtium excudent Elzevirii; quo indice in Curtio id præstitit, quod in Julio Cæsare Scaliger fecit. Vale clarissime cognate, & frequentiores à me litteras in posterum exspecta. Sed restat, quod pene oblitus eram scribere. De Hermanno meo Goudano semel, iterumque, & serio Scriverium commonui. Qui quamprimum Amstelodamum venerit, se eum ad te transmissurum promisit. : . . . . . . tu per litteras mecum urge. Iterum vale, salutatus à me, & fratre meo una cum uxore liberisque tuis quam humanissime.

Lugd. Bat. An. M DC XXXII. *die xx. Dec.*

ERICO

ERICO ROSENCRANTZIO, Olig. F.

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Singularis illa tua humanitas, Juvenum Nobilissime, qua me complexus es, facit, ut hic te debeam affari. Sciat posteritas amicum me habuisse, cujus & eruditionem, & diligentiam & morum elegantiam cum stupore sum admiratus. Testari possum. Assiduus quippe virtutum tuarum spectator. Quanti vero me semper feceris, non possum aut ignorare aut diffiteri. Præsentia tua totiens docentem me honestasti, ut absente te docuisse me non meminerim. Non quod discendum aliquid haberes, sed ut benevolentiam probares. Dicam ingenuè; quamquam in aliorum frequentia vultus tui conspectus, inter tot labores & animum mihi auxit, & ardorem excitavit. Nobilissimos majores tuos, & præcipuè magnum illum parentem tuum imitaris, quem tanquam virtutis & eruditionis prodigium soleo venerari. Proinde accipe hoc grati in te animi mei redhostimentum; tenuè quidem illud, sed ubi otium permiserit, in majus extollendum. Vale, Danicæ Nobilitatis decus, cum Mulenio, viro diffusæ & humanitatis & eruditionis.

Raptim, Lugd. Bat. CIƆ IƆC XXXIII. *Kal. Maij.*

VINCENTIO FABRICIO, S.P.D.


M. Z. BOXHORNIUS.

Nortvicum.

Ita me Deus amet, doctissime Fabrici, ut litteræ tuæ mihi gratissimæ acciderunt. Tu tamen jejunam epistolam tuam audes appellare, meumque mihi de te judicium relinquere noluisti. Profecto aut tu te ipsum non capis,

capis, aut ego bona ingenia non possum æstimare, quorum illud fieri non potest, hoc autem in me non cadit. Ex quo suavissimis tuis sermonibus licuit interesse, & erotica aliaque tua poëmatia, quæ nuper edidisti, penetrare, singularem quandam ingenii tui facilitatem simul & amœnitatem non videre tantum cœpi, sed venerari. Est in versibus tuis, præter alia multa, quæ ut hoc sæculo rarissima, ita in te quam maximè laudanda, inaffectata quædam puritas dictionis, quam tantopere in antiquitate exosculamur, in nostri ævi Scriptoribus, paucis admodum exceptis, quærimus hactenus, & invenire non valemus. Asiaticum tumorem pene omnes induêre, & castitas sermonis contemptui esse cœpit. Conatus eorum omnis insidias quasdam auribus facit, animum non capit, qui ut divinitatis tradux est, ita vanitate illa non vult inescari. Sed condonandum est vitio sæculi, quod ut pro senio largiter delirare jam cœpit, ita majestatem illam diutius non capit. Ad deteriora se quævis ingenia jam deflexêre, ut consistere insania non possit, quæ semel animos invasit, præsertim accedente eorum prædicatione, qui ut robusta illa & seria non intelligunt, ita ineptias pro angustia sua solent dilaudare. Aliam tibi, mi Fabrici, mentem gratulamur; erectam, masculam, quæ quo propius abest ab antiquitate, eo magis hoc sæculo debet æstimari. Idem nos sectamur, modo assequi possimus. Hæc sunt, suavissime Fabrici, quæ me non tantum amicum tuum, sed & laudum virtutumque tuarum præconem fecére. Nec aliud de me tibi debes persuadere. Scriptionem, fateor, paullulum intermisi, sed propter publicas occupationes, quæ quam severe nobis imperare soleant, non ignoras. Tu tua ad me dare ne gravéris, quibus impense soleo delectari. Faxo ego ne de me queraris. Vale, eruditissime Juvenis, & me ama.

Raptim, Lugd. Bat. IX. *Aug.* CIↃ IↃC XXXIII.

B  H.

JOH. ISACIO PONTANO BOXHORNIUS, S.

Harderſvicum.

CLariſſime cognate, litteræ tuæ ad me perlatæ, gratiſſimæque fuerunt, niſi quod hoc ingrati haberent, penultimas meas, eaſque ſic ſatis prolixas ad te curatas non eſſe. Doleo eo nomine quam maximè. Perfidia eſt, aut negligentia nautarum; quorum tamen fidem hactenus non habui ſuſpectam. Neque enim meminiſſe poſſum ejuſmodi quid mihi litteriſve meis alias eveniſſe. Sed ferendum, quod mutari non poteſt; imo cujus jactura frequentia ſcriptionis in poſterum facile poteſt inſtaurari. Sed nimis multa his impendo, cum verba tantum ſint, quæ periêre. Diſſertationes Botanicas Salmaſii quod ſpectat, illæ omnes in eo verſantur, ut, notatis paſſim recentiorum Botanicorum erroribus, oſtendat, non eaſdem illas plantas, exempli cauſſa, eſſe cum illis veterum, quibus tamen eadem nomina Botanici noſtri indidêre, & ita porrò. Adeo ut criticum ſeſe aut Grammaticum Salmaſius hac in parte ſit probaturus. Gaudeo Poëmata tua jam excudi, quæ non vanitate verborum, ut vulgò fieri ſolet, ſed rei, & argumenti præſtantia adſurgunt, quod ut fruſtra hodie quærimus, ita in veteribus quam maximè admiramur. Avide opus hoc tuum, ubi excuſum fuerit, exſpectabo . . . . . Vale oculiſſime, & me amare perge. Tuis omnibus meo, & fratris nomine bona verba imperties.

Raptim Lugduni Batavorum M DC XXXIII.
Kal. Septemb.

JOH.

JOH. ISACIO PONTANO

BOXHORNIUS S.

Harderſvicum.

VIr clariſſime, cognate dilectiſſime; Nihil prius mihi fuit, quam & deſiderio tuo ſatisfacere, & promiſſis meis ſtare. Sed ita me Deus amet, ut tibi, ut mihi ipſi morem gererem, occupationes publicæ illæ, quæ invitum me cogunt, non permiſere. *Præteritos utinam referat mihi, Jupiter annos!* Utinam dies illos, quibus curarum vacuo & mihi, & amicis licebat vacare. Sed felicitatem, & facilitatem illorum temporum non niſi præterlapſam nunc æſtimamus. Publicum illud profeſſionis meæ munus, ut honoris nonnihil, & exiſtimationis contulit, ita me ipſum mihi, amicis, & inter eos potiſſimum tibi ademit. Pecco, fateor libens, ſed non ſine animi dolore, dum illa humanitatis officia totiens prætermitto, quæ merito tuo tibi debentur. Cum Scriverio, de Hermanno Goudano egi. Interpellavi ſæpius Habere ſe eum hic loci teſtatus eſt. Nihil tamen effectum hactenus. Sed manus ejus chiragra laborare non ignoras. Citius clavam Herculi, quam illi depoſitum evellas. Inſto tamen adhuc, & inſtabo diligenter. Salmaſium jam compellaſſem, ſed graviter lecto adfixus decumbit. . . . . Nec manus, nec pedes movet. Arnobius jam ipſe typis deſcriptus eſt. Notæ Salmaſii tantum reſtant, & animadverſiones; quas morbo hoc præpeditus afficere non poteſt. Quamprimum convaluiſſe percepero, adibo, tuo nomine ſalutabo, tuas in Arnobium animadverſiones, quæ haud dubie placebunt, exhibebo, & de iis omnibus ſtatim te faciam certiorem. Diſſertatiuncula illa de tabaca, & helleboro veterum à te inſtituta impenſe me cepit. Caput herba illa, ut & helleborus, purgat, quantum video. Proinde pergam eandem inſaniam inſanire; haud dubie expurgatum defæcatumque caput ex illo fumo reportaturus. De Macrobio cum

Elzeviriis egi. Nihil ipsis prius esset, quam eum juxta cum Geilio meo typis suis exarare. . . . . . . De Repub. quod scribam non habeo. Princeps Arausionensis in Zelandiam jam concessit, brevi Hagam rediturus. De Dionysii Vossii, lectissimi juvenis, immaturo obitu jam intellexisse te opinor. Morbilli, qui regnum ubique jam tenent, vitam ipsi, & spiritum praeclusere.

Raptim, Lugd. Batav. 28. *Octob.* 1633.

Meo, & fratris mei nomine, uxori tuae, Matthaeo, caeterisque liberis bona verba.

JOH. ISACIO PONTANO, M. Z. BOXHORNIUS, S. P.

Harderswicum.

Litterae tuae, suavissime cognate, & illae per Isendornium, & illae per Clavigerum vestrum rectè mihi redditae sunt. Ut ad ultimas prius respondeam, Venceslaus Clemens, de quo in litteris tuis agis, superioribus diebus, tentandae fortunae, in magnam Britanniam concessit. Alias vir iste iis ingenii, & doctrinae dotibus erat instructus, quibus scholae vestrae commodi multum, & fructus potuisset foenerari. In praesens autem talis aliquis nemo nobis jam occurrit. Profectò, ut verum fatear, non ita facile virum habituri estis, & qui eruditus, & qui musicus pariter sit. Ut eruditi simus, si ingenium modo faveat, industriae nostrae est, & laboris, ut Musici, beneficium naturae est, cui invitae hic non possumus reluctari. In me certe illud experior. Asinus ad lyram sum. Nemo musicam infelicius attigit, nemo, cum non succederet, facilius eam deposuit. Memini in primis illis sex syllabarum rudimentis bene cantillandis dies quatuordecim me fuisse occupatum, quibus exactis tantum profeceram, ut omnia ignorarem. Agam tamen cum aliis, & aliquem parem sustinendae huic functioni, sic satis lautae, cónabor

nabor

nabor expiscari. Post triduum, aut quatriduum vos denuo faciam certiores. Vale, vir & cognate clarissime. Matthæo tuo, cui professionem Trajectensem oblatam, & acceptam gratulor, bona verba.

Raptim, Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXXIV. *April.* IX.

JOH. ISACIO PONTANO,

BOXHORNIUS, S. M.

Harderswicum.

VIR, & cognate clarissime, factum jam tandem est, quod voluistis, & haud dubie curatoribus Gymnasii vestri placebit. Quartæ classis Rectorem habituri estis Dominicum Acronium, Juvenem, ut proximè etiam ad te perscripsi, iis doctrinæ, ingenii, & vitæ dotibus ornatum, ut non tantum isto, sed majori etiam loco sit dignus. Rector vester vidit eum, loquentem audivit, & negotium omne cum eo transegit. Gratias tibi habeo, quantum possum, maximas, pro animadversionibus tuis ad oram Juvenalis, & excerptis ex M.S. Codice tuo ad me transmissis. Faxo ego, ne in ingratum, aut immemorem beneficium hoc collocasse videaris. Me ipsum, & quidquid in me est, libens meritoque tibi depono. Scire velim inultusne Jesuita ille, antagonista tuus, sit abiturus. Profecto apologiam & tibi, & nomini Christiano, & impudentiæ ejus dicam, an imperitiæ debes. Posse te scio; velle etiam oportet. Quid si brevi aliquâ dissertatiuncula obviam ipsi ires, ne impune in te strinxisse stilum lasuum videatur? A parte tua veritas stat, & suffragium totius Christianæ antiquitatis. Vale suavissime, & me amare perge. Salveant à me omnes tui.

Raptim Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXXIV. *April.* XII.

JOH. FRED. GRONOVIO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

FActum bene, vir præstantissime, quod & affectus in me tuus, & studiorum, quæ uterque colimus, similitudo, ad scribendum te incitarint. Parario apud me opus non est, qui patere & vacare semper soleo literarum & bonæ mentis, candidatis. Et tanto quidem lubentius, quanto sæculum hoc fæcundius magnarum nugarum. Pleraque enim ingenia aut capere non possunt studiorum nostrorum amœnitatem, aut cum capere se putant ineptiis suis corrumpunt. Assurgit mihi certe animus, quotiens adhuc superesse video, qui Musas nostras amant, quibus exsilium jam indictum esset, nisi per illos sibi constarent. Video lectas tibi animadversiones nostras, quas in Satyrica quædam veterum scripta nuper in vulgus exire passi sumus. Quod factum non esset, nisi pertinaciam meam expugnassent continuæ flagitationes amicorum, qui bono publico sic utcunque gratificari me posse existimabant, ita me Deus amet, unius tridui labor est, quem legisti ea quidem occasione natus, quod finito Plinii panegyrico, cum feriæ nostræ jamjam instarent, ne interea nihil agerem, Sulpiciæ Satyram publice explicandam sumpsissem. Ad quam quæ à me dicuntur protrita pleraque esse scio, sed alia commentandi ratio hic instituenda non erat, cum unicus mihi scopus esset, mentem & ἀκολουθίαν istius Satyræ, quam plerisque eruditorum parum exploratam videbam, eâ qua fieri posset, facilitate commonstrare. Gaudeo indicium à te mihi factum fuci, quem Stephaphanus, vir cætera candidissimus & doctissimus, eruditis omnibus fecit. Quanquam ut libere scribam, quod sentio magis credam Hospitalium Satyram illam, hic aut ibi à se repertam edidisse, quam ipsummet composuisse. Præsertim cum sciam ab eruditis nonnullis in membranis lectam fuisse. In quod ubi occasio tulerit, propius inquiram. Catonis *Diras* quod spectet, scribis non persuaderi tibi ob agros inter creditores divisos in

in exsecrationem hanc effusum Poëtam. Mihi secus videtur idque ob hanc rationem. Extrema ætate Cato *Diras* istas effudit. Probo ex versu primo:

Battare Cygnaas repetamus carmine voces.

Cygnaas voces esse, quas effundimus instante jam vitæ termino, de quo in senio potissimum cogitamus, nemo nescit. Testatur autem Suetonius Catonem extremam senectam in summa paupertate transegisse, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat. Facit huc etiam versus secundus Catonis:

Divisas iterum sedes & rura canamus.

Ergo jam ante sedes, & agelli ejus fuere divisi, nempe, inter milites, durante Syllana tempestate. Nunc autem à creditoribus erant occupati. Si enim primo cesserint creditoribus, profectò statuendum est, cum postea redemisse illos, atque progressu temporis insessos à militibus Syllanis fuisse. Sed pugnat hoc cum verbis Bibaculi quæ ex Suetonio pag. 121. in testimonium vocamus. Dicitur ubi exutum Catonem agellis suis ad summam prope senectam in summa inopia vixisse. Dicitur Tusculanum creditoribus venditum fuisse. Quid, quod disertim testetur Suetonius, prima pueritia, aut adolescentia à Syllanis Catonem exutum patrimonio fuisse. Verba ejus sunt: *Ipse libello cui est titulus* indignatio, *ingenuum se natum ait & pupillum relictum, eoque facilius Syllani temporis licentia exutum patrimonio.* Quæ ultima verba neminem dubitare sinunt, quin in *indignatione*, de Syllanis Cato egerit, non in *Diris*. Ut ergo paucis me hic expediam, si extrema senecta poëma hoc Cato scripsit, ut & versus primus, & Suetonius liquidò ostendunt, de creditoribus omnia accipienda sunt, non de militibus Syllanis. Quæ enim creditores vendiderant, Cato cum illa bonæ mentis sorore paupertate colluctatus, postea non redemit, quod Bibaculi versiculi satis probant. Senem quippe circumvenerunt creditores, & ita circumvenere ut denuo

non posset eluctari. Syllani ergo primo invaserunt agellos Catonis, non creditores. Si enim post creditores Syllani invaserint, invaserunt non quidem agros Catonis, sed aut creditorum, in quorum venerant potestatem, aut illorum, quibus vendiderant creditores. Primo ergo & prima ætate scripta *indignatio* in Syllanos. Postremo extrema senecta Diræ in creditores. Vides sententiam Scaligeri stare non posse, cum nostra solidæ rationi innitatur. Nec contra me facere video illa Catonis,

Exsul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti præmia belli.

Loquitur enim ibi de tempore jam elapso, quo exarserat tempestas Syllanorum: Jam vero cum creditoribus colluctabatur. In præsentibus autem malis, ut plurimum de præteritis cogitamus. Cæteras conjecturas tuas quod spectat, mihi satis arrident, præsertim illa,

Muta prius fuerit, quam non mea libera avena.
Muta pro *multa*.
Versum autem illum quod attinet;
Ludimus & multum nostris cantata libellis.
In quo legi vis,
Lydia te ô multum nostris cantata libellis.
Optime mihi constituisse Scaliger videtur,
Tu nemus, & nostris multum cantata libellis.

Esset enim præter decorum *Lydiam*, quam passim tanquam virginem & amatam inducit, *optimam Sylvarum* nominare, ut omittam, quod parum vero simile videatur, per Lydiam, frondosam & amœnam arborem denotari. Venerea enim, quæ passim hic, præsertim sub finem, occurrunt aliud evincunt. Lydia aut virgo fuit, quam Cato amavit, aut Cato fingit aliquam quasi amaret. Quorum hoc non infrequens Poëtis, quibus solis aliquid creare licet quod non est; Unde & Poëtæ nominati. Vides quam candide tecum agam, vir doctissime. Jus amicitiæ ignorat, qui ereptam ipsi vult

hanc

hanc libertatem. Testor interea nihil mihi gratius litteris tuis accidisse, in quibus genius tuus elucet supra sæculum,& ævi melioris. Non possum non nisi magna omnia de te mihi persuadere. Quippe peculiari quodam instinctu ferri mihi videris ad vindicandam litterarum nostrarum majestatem. Vellem te hic loci præsentem complecti. Nunquam te frequentatæ Academiæ nostræ pœnitebit. *Musis heic sedes fata quietas ostendunt.* Facile hic vivitur, si quis abdicata nepotulorum familiaritate, sibi tantum & Musis suis vivat. Me certe illum experiere, qui excitata quævis ingenia, & interea tuum, didicerit æstimare. Vale, Vir Clarissime, & ignosce, quod hæc ad te, scripserim aliena amanuensis mei manu.

Raptim, *Lugd. Batavor.* CIↃ IↃC XXXIV. *April.* XXIX.

JOH. FRED. GRONOVIO, BOXHORNIUS, S. D. PL.

JAm futurum existimaveram, eruditissime Gronovi, ut non per interpretes litteras amplius, sed præsentes invicem hic loci amplecteremur. Ita quidem statutum apud te erat, & nihil æque votum meum aut exspectatio ferebat. Testor tuam meamque fidem, ægre me à conspectu tuo & colloquio divulsum, cum à nobis abires, nihil autem male adeo habuisse, quam quod de tuo intra paucos dies ad nos reditu vanas spes meas esse viderem. Impense mihi placent illæ amicorum, & inter eos potissimum tuæ sive seriæ, sive jocosæ de litteris nostris confabulationes. Quibus nuper tantum apud me obtinuisti, ut serio animo meo persuaserim, vitam, quam sine te hic ago, planè mihi esse invenustam. Interea tamen solatium aliquod à litteris tuis, binis illis, accepi. E quibus facile etiam colligere mihi licuit, qua de causa Groningæ adhuc tibi sit subsistendum. Heinsium nostrum heri, ut soleo, compellavi, de te, & Satyra tua sermo fuit. Expiscari sedulo

conatus sum num quid displiceret. Crede mihi, suavissime Gronovi, lectione libelli tui impense se oblectatum, cum in eo præclara omnia, accurata, & supra sæculum videret, candide testatus est. Nolo tibi adulari. Causa enim non est: quam qui non habet non adulatur. Interea tanto viro, & in his castris Veterano placuisse, non infimam laudem debes existimare. Libellum tuum Scriverio nostro jam tradidi; nec aliud ab ipso judicium debes exspectare. Vale, suavissime rerum.

Lugd Bat. Anno CIϽ IϽC XXXIV. *Junij* XXI.

JOH. ISACIO PONTANO

BOXHORNIUS, S. PL.

Harderſvicum.

CLarissime vir, & Cognate; quas ad me pridie Kal. Jul. stylo vestrate, dedisti, recte accepi. In quibus, quod de pytismate mones gratissimum mihi fuit. Ausim dejerare nihil omnino esse in litteris nostris quod adeo exercuerit & superiore sæculo, & nostrâ tempestate, ingenia eruditorum. Conjecturæ pleræque omnes sunt, quæ mihi nodum expedire non videntur. Forsan nobis hic aliquid sæculum debebit. Nec promittere tamen ausim, quia nondum satis cogitavi. . . . . . negligentiam dicam, an impudentiam, miratus sum. Injuria certe facta est optimo, & doctissimo Politiano, qui in epistolis vineta sua, hoc est, quæ in miscellaneis stolidè erat commentus, ipse cæcidit. Nec opus erat alio monitore. . . . .
. . . .
Illud Salmasii nostri de acia apud Celsum in eo fere versatur, ut doceat, quid nomen hoc designet, adversus sententias aliorum, additis ex antiquitate, & illustratis iis omnibus, quæ acu apud veteres aut consuebantur, aut ornabantur. Unde & opus hoc suum πολυμίκτον nominavit. Quid locus Celsi de acia sibi velit, singulari libello nuper etiam ostendere conatus est

Chif-

Chifflerius, quem nescio an videris. Vale suavissime & me ama.

Raptim, CIↃ IↃC XXXIV. *Julij* XX.

VINCENTIO FABRICIO S. D. P.

M. Z. BOXHORNIUS.

Hamburgum.

Litteræ tuæ, eruditissime Fabrici, duplici nomine gratissimæ mihi accidêre. Et quod sospitem ad tuos venisse, & quod memoriam mei non deposuisse te ex iis intelligerem. Utrumque voto meo respondit. Nobis adhuc bene valere hic licet, & jam per caniculæ æstum à lectionibus feriari. Otium hoc ad Juvenalem meum recensendum porro illustrandumque applicavi, in quo multa adhuc diligentitæ nostræ reliqua tot eruditi, & superioris & nostri sæculi, interpretes fecêre. Conabimur certe de scriptore illo bene mereri, qui non sine causa tanti semper ab omnibus habitus fuit. Nemo vitia sæculi sui altius penetravit, nemo gravius, & cum majore indignatione perstrinxit. Quod nullus diffiteri potest, qui diligenter & cum judicio legit. Sed quid tu moliris? Nam nihil te agere vix credam; & facilem illam ad fundendos versus venam sistere apud amicos, quibuscum jam agis, non potes. Noli aut hæc, aut te diutius nobis denegare, quem avide omnes exspectamus. Quantum jam licet votum interpono, ut salvum te ad nos vehant Dii viales, quemadmodum abeunti faventes fuere. Vale suavissime rerum, ab Heinsio, & Scriverio salutatus quam humanissime.

Raptim, Lugd. Batavor. CIↃ IↃC XXXIV. *Jul.* XXI.

IOH. FRED. GRONOVIO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. PL.

FActum est, quod voluisti, eruditissime Gronovi, Heinsio & Scriverio nostris tuas ipse tradidi, & utrique gratissimæ acciderunt. Alter eorum jam respondet, ut vides, alter post dies pauculos Amstelodamum cogitat, ubi Satyram tuam ipse tibi tradet, quemadmodum quidem serio promisit & ut ad te scriberem, voluit. In ædibus fratris sui cui Sopio nomen, diversari solet, quas Vossius facile indicabit. Quod libelli tui editionem spectat, promovere eam non desistam. Dignus enim ille est videre lucem, qui tot antiquis scriptoribus illam dedit. Ita ego quidem judico, ita qui apud nos statores harum litterarum, quorum suffragiis quantum hac in parte deferendum sit non ignoras. Sola votis nostris jam obstat chartæ inopia, cum qua typographi omnes colluctantur. Compellabis tamen . . . . si placet, dicesque me auctore editionem ipsi te offerre. Vir est, & humanissimus, & qui me amat, & commendationem meam sic satis magni facit. Rescribes quid acceperis responsi, & ego tunc litteris de te atque opere hoc tuo cum ipso agam. Vale, suavissime amicorum. Salveat à me Rijckwartius noster, cujus ingenium & eruditionem singularem multorum fama mihi commendavit. Litteræ ejus, quas ad me datas scripsisti, nec redditæ mihi sunt, nec in hospitio Strateni latent. Avide eas desidero, & metuo tamen, ne perierint. Iterum vale.

Raptim, Lugdun. Batav. CIϽ IϽC XXXIV. *August.* XVI.

JOH. FRED. GRONOVIO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

ERuditiſſime Gronovi, facile crediderim, quod ſcribis, exſpectatione Scriverii noſtri, & ſchedarum tuarum, quæ penes ipſum ſunt, te conſumi. fieri non poteſt, quin de Martiali, editore lentulo aliquid inaudieris. Mihi crede idem adhuc ille cunctator eſt. Qui annos jam, non animum mutavit. Experiendo non ſimul didici, nihil, æque Heroëm noſtrum ex inſtitutis Mathematicorum odiſſe, quam temporis, quo ſubinde adfuturum ſe dicit, intercalationem. Hæc tibi, Gronovi, ut non ſit in hac ejus mora quod mireris. Interea poſt ferias Falcoburgenſes, equeſtres illas, in quibus tamen Hippiæ Juvenalis mei potiſſimum dominantur, hoc eſt poſt octiduum, Amſtelodami futurum ſe ſerio mihi affirmavit. Vitæ inſtitutum, quod jam iniiſti, impenſe probo, donec melius & te dignius offeratur. Præſenti hoc Catone contentum te eſſe oportet, & interea ad majora adſpirare. Nondum præteriere, ut ille inquit, omnium dierum ſoles, & forſan diei craſtini veſper promovendæ magis fortunæ tuæ ſe dabit. Interea vale, ſuaviſſime. Salveat à me eruditiſſimus Rijckwartius noſter, cujus elegantiſſimas, & plenas amoris litteras heri demum accepi. Proximis diebus reſpondebo.

Raptim, Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXXIV. *Septemb.* IX.

JOH. FRED. GRONOVIO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. PL.

SCio deſiderio tuo à me non ſatisfactum, Suaviſſime amicorum. Et occupationes, quas, quia aſſiduæ ſunt, Hecticas vocare ſoleo, & morbus, qui nuper me inva-

invaserat, nunc autem deseruit, in causa fuere. Scriverium quia dies plusculos jam Amstelodami fuit haud dubie convenisti. Jansonium superioribus diebus Francofurto reversum esse intelligo. De editione libri tui proxima hebdomade per literas cum ipso agam. Quod Silianas tuas emendationes spectat, mirifice me ceperunt, nec me tantum, sed & Heinsium nostrum, qui cum tuae traderentur, mihi assidebat. Litteras ejus ad te Scriverio nostro discedenti tradidi, & nullus dubito, qui acceperis. Vellem plura, sed ecce pulsant fores, per quos mihi meo esse non licet. Proxime uberius tecum agam. Vale

Lugduni Batavorum CIↃ IↃC XXXIV. *die* XIX. *Octob.*

J. F. GRONOVIO

BOXHORNIUS, S. D.

QUanquam litteris tuis impense semper delectatus sim, eruditissime Gronovi, hesternas tamen omnium gratissimas fecit ille, cui eas ad me perferendas committere voluisti: Tobiam Andreae dico, cujus singularis humanitas, & eruditio & comis facundia mirum in modum mihi placuere. Erant saepe & à te & ab aliis laudatae ejus apud me virtutes, quarum nunc ipse cepi experimentum. Quo nomine & mihi gratulor, & tibi multum debeo. Quod in illis versiculis Silianis;

Parva obtrectante suorum
Invidia revocare animos, agitare negata
Cogebatur ope, & senio torpescere rerum.

Pro *agitare* legendum mones, *at stare*, statim se mihi probavit & sane . . . . . emendatione nihil mihi unquam visum ineptius. Qui ut nihil praeter obtrectationem, invidiam, scommata, &, ut verbo dicam, nugas ad hunc scriptorem contulisse videtur.

tur. *Stare* tamen ut plurimum de eo, qui in procinctu est aut pugnæ se parat, vel jam pugnat, usurpatur. Apud Senecam de Troade:

Stat avidus ira victor, & lentum Ilium metitur oculis.

Juvenalis meus Satyr. III.

Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum:
Stat contra, starique jubet, parere necesse est.

Virgil. IX. Æneid.

Conclamat ab agmine Volcens
State viri.

Adeo aut raro, aut nunquam *stare* simpliciter positum *pro pugnam declinare* usitatum est. Tu videris. In illo Silii ex libro XII.

Stabat Cannarum Graja ad maximina ductor
Nequicquam.

Nihil est, quod sententiam tuam probat. Nec enim simpliciter dictum *Stabat*, sed additum, *nequicquam.* Verùm judicio tuo hæc relinquo. Vellem criticæ tuæ exercitationes lucem viderent. Nam merentur. . . . . . proxima hebdomade huc venturum se dixit. Opusculum tuum commendabo, quantum quidem per me licebit. Nullus dubito, quin typis suis sit descripturus. Alias ab ejusmodi argumentis scriptis alieni esse solent hoc sæculo, quo omnia ad quæstum comparata, & litteræ nostræ, ita ut par est, non æstimantur. Vale, Suavissime, & ab Heinsio nostro salve.

Raptim, Lugd. Bat. 1634. 26.

JOH.

JOHANNI KRUUS, JESPERI MATTHIÆ KRUYS ab Harvila &c. Fil.

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

CUm primum in litterarum nostrarum arcana penetrare cœpi, generose Domine, duo hæc potissimum in antiquis mirificè me ceperunt, sapientia ipsa, quam docebant, & modus quo eam inculcabant. Et in hoc, & in illa est, cujus inopia sæculo nostro laboramus, quod ineptiis ubique occupatum prisca illa & tantopere à sapientibus laudata instituta, ignorat & contemnit. Nam ad cætera bona mentis impedimenta etiam ambitio accedit, quæ, quia sua tantum didicit admirari, cætera capere aut non vult, aut non potest. Cæterum ut ignorasse veniam habuerit, ita non tantum non sequi, sed odisse quod non ignoratur, quod veteres illi ad posteros in exemplum transmisere, quod omnis ævi sapientum suffragio probatum, quod tot virtutum prodigia olim dedit, quod supra cæteros nos attollit, quod denique cum Deo proxime nos conjungit, hoc vero detestandum mihi videtur. Illud enim simplicitate sua se absolvit, hoc autem cum malignitate conjunctum est. In sapientia olim usum spectabant, qui non alius erat, quam quod bonum & malum scire. Bonum & divinum, & humanum erat. Divinum quidem ipsum Deum: humanum vero unionem mentis nostræ cum Deo vocabant, quam scientia & virtus absolvit. Propius enim sapiens à Deo abest, qui & ipsa bonitas est, & nihil ignorat. Unius quippe omnia esse, & omnia unum; unius, ut omnium caussæ; unum ut omnia unius caussæ: sententia est veterum Philosophorum. Et sicut heliotropium ad solis motum, ita secundum divinos cœlestesque impetus animum sapientis componi existimabant. Nec obstat, quod tam longè à cœlo absimus. Tantò enim melius eo penetramus.

Ut Ulysses fumum patriæ suæ videre tanto magis desiderat, quanto magis ab eo remotus est. Et profecto sapere, quid aliud est, quam Deum æmulari? qui omnium arbiter & moderator, rationem, quâ nos & alios regere, atque etiam aliis subesse possimus, præscribit. Qui imperat vices ejus hic gerit, & sequitur exemplum. Qui subest, ita aliis se submittit, ut sapiens Deo. Qui quanquam cæteris major, hoc solo minorem se agnoscit, ita tamen, ut quantum fieri potest, adæquare laboret. Nam in repub. & scire, & bonum esse præcipuum usum habet. Utrumque autem est Deum sequi, & in nobis aliisque esse, quod in nobis est Deus. Quod sane difficillimum in rebus humanis, & non nisi certis quibusdam statisque animi nostri conversionibus obtineri Plato statuebat In quibus sapientia omnis, & virtus posita erat. Quemadmodum enim cœleste illud depositum, quod solem vocant, & Deum credebant antiqui, in assiduo motu est, & hoc ipso vires suas per totum universum expandit; ita quoque portio divinæ mentis, quam fragili hoc corporis hospitio circumgestamus, tanquam cœli, & cœlestium cognata, attollit se quotidie, & maximarum rerum capax, divina quadam mutatione, meliorem majoremque se ostendit. Conversio in deterius hic locum non habet; pertinax illa animæ desidia, quæ abjectis alis, quibus ad divina se posset promovere, obliviscitur & Dei, & sui & aliorum. Talium quippe memoriam perdidisse summus animi morbus habebatur. Enimvero & ad virtutem & ad sapientiam indies magis magisque intendi oportet: Ut mens nostra, quantum per corporis vincula licet, quibus est impedita, nihil quod aut bonum aut sciri potest, prætermittat. Ad utrumque autem obtinendum triplicem animi conversionem necessariam esse divinus ille, quem jam dixi, Plato statuebat: ad Deum scilicet, ad alios, ad se. Ad Deum, quem cum totum exprimere non possumus, sequi conamur. Ad alios, à quibus petimus exemplum. Ad se, cum ubi non est, se non quærit, sed in se descendit. Quemadmodum νῦν συνησθεισμένην Plato nominavit. Cujus est secedere extra res humanas, ut tantum melius eas possit mode-

moderari, secum de magnitudine virtutis suæ certare, & in cęlesti illo certamine de se victoriam, de se triumphū referre. Sic nosmet nobis componimus, sed ita componimus, ut iidem non simus, primò nihil, mox aliquid, deinde aliis pares, mox magni, & deinceps, ut ille loquitur, magnorum summi, summorum maximi & maximorum regnatores. Hoc est illud animi incrementum, quod cum ipso corpore quotidie altius promovetur, nec tamen cum corpore senectutem sentit; quod quia æterna modo sectatur, & capax æternitatis, non potest non esse æternum. Æterna autem ista sunt bonum esse, & scire. Semper enim bonum est, & semper scitur, quod semel fuit. Quorum utrumque simul conjungi debet, aut non est æternum. Cadit quippe, si disjungatur. Ut corpus cadaver est, postquam emisit animam qua sustentabatur. Nec bonum nobis est, quod non scimus, nec scire hic debemus, quod non sit bonum. Nam & quæ mala sunt scire bonum est, sed scire, ut evitemus. Ita Socrates quid ira, quid adulterium, quid tyrannis non ignorabat, & utebatur ita, ut virtuti magis animum pararet. Cum iram in aliis videret, affectum sedabat, cum adulteria, castitatem amplectebatur, cum tyrannidem, ridebat & non nisi rationis atque sapientiæ dictamen sequebatur. Ut qui hostem, & ejus vires novit, tanto magis suas explorat, & impendit. Bonum non nisi quoddam pulchrum est. Cui ut se dedat animus noster, innatus amor est, quem celestem Plato vocabat. Qui tunc demum quod suum est habet, cum pulchro se jungit. Cujus vim in actione virtutis, dotem in æternitate esse arbitramur. Ad cælestе hoc animi cum pulchro matrimonium, nihil præter divinum amorem istum desideramus. Non à Venere æstus, quos pulchrum subdit, non à Cupidine arcus aut tela, quæ pulchri cogitatione sibi ipsi mens nostra imponit. Sic ut hoc demum sit bonum esse, pulchrum amare. Nemo autem amat, quod non intelligit, aut videt. Proinde videre oportet pulchrum, ut amemus. Et videre non possumus, nisi ubi pulchrum est, ibi sit animus, & quem in eo potissimum quærimus, amor. Qui hic amat ab eo, quod amatur, nec repulsam patitur, cum

petit,

petit, nec deferitur, cum accepit. Jasonem Medea, Æneam Dido mutuo amore complexæ, sed ut desererentur, & desertæ nec viverent amplius, nec amarent. Qui modo hic amasse cœpit, jam obtinuit, quod amat, & qui obtinuit, nunquam deponit, quod semel accepit. Quippe animus & pulchrum jungunt, trahitur utrumque, & trahit. Sicuti enim in illa cœli statione, quam quotidie oculis usurpamus, sol & luna invicem se excipiunt, ita continuo pulchrum animo, animus pulchro succedit. Pulchrum animo, cum eum invadit, animus pulchro cum ab eo invadi se finit. Est enim in animo, quod pulchrum capit, est in pulchro, quo animus delectatur. Ita ut utrumque & amet & ametur, & magis utrumque amet, quo magis amatur. Quemadmodum signum annulo impressum non quævis materia exhibet, sed mollis tantum, & quæ cedit: sic etiam non quivis animus pulchrum apprehendit, sed tantum capax. Alio reges, alio qui è plebe hospitio excipiuntur. Pulchrum quoque cœleste illud pignus, & quo majus homini in hac vita exhiberi non potest, par sibi animi domicilium quærit. Humilem, ignarum sui, & ineptiis devotum aspernatur: masculum, erectum, Deo & cœlo suo proximum quærit. In hoc sedem ponit, nec excedit. Non luxus aulæorum, non splendor gemmarum, non aurum, non argentum, quibus pretium sola dementia mortalium fecit, pulchrum hoc capit. Satis ad pulchrum obtinendum est petere pulchrum & amare. Nam petere, & obtinere inidem momentum hic cadit. Nec ideo huic pulchrum deëst, quia ille accepit. Omnibus enim pariter præbere se potest. Totum est omnium, totum est singulorum. Tantum hic Socrates habet, quantum Callias, & Callias quantum Socrates. Sed quemadmodum cytharam pulsare non potest, nisi qui artem novit, ita bonum, & quod in bono pulchrum est, nemo apprehendit, nemo sequitur, nisi qui novit. Loquar porrò ex sententia Platonicorum. Scire bonum animus dicitur, cum cælestes imagines habet, & circa eas versatur. Quorum id à Deo, hoc à nobis esse existimabant. Sic ut scientia duplex sit, una innata, altera ex hac acquisita. Illa in imagine; hæc

hæc in ejus usu consistit. Illa hujus caussa est, hæc veluti filia, utraque autem est caussa boni. Illius exemplum Alcibiades dedit, qui ignorare se dicebat, quando nesciverit illa, quæ postmodum cognovit. Certe non quæsiverat aliquando, aut à præceptoribus acceperat unquam. Quod si neque quæsivit, neque accepit ab aliis, merito propius cœlo defluxisse dicitur, & innatum. Quod imaginem vocant, quæ divinorum contemplationi incumbit. Ex hac verò aliam illam scientiam acquirimus, quæ docet quomodo in hac vita divina, eorumque ordinem possimus æmulari, sive imperium nobis, sive obsequium sit relictum. Quæ duo omnia absolvunt. Ita Principi imperandum, ut Deus, ita Principi à populo parendum ut Deo. Et quemadmodum duplicem scientiam, ita etiam ignorantiam iidem illi sapientes credidêre Prima est habere imagines, sed ignorare, altera habere eas, & scire, sed non uti. Habent imagines fatui, sed ignoraut, ut Miletides. Habent, & habere se sciunt, sed non utuntur, qui sive desidia, sive pertinacia quadam eas in se exstinguunt; non alia de caussa, quam quod se, quam Deum sequi malint. Ut Dionysius tyrannus cum Jovis in imperio imaginem exprimendam sibi sciret, eumque Deorum, & hominum parentem esse non ignoraret, non talem se suis, sed tyrannum probavit. Sic ut in scientia primum sit imaginem Dei habere, secundum eam ubique exprimere, & æmulari. Usus autem est à præceptis sapientum; qui aliam quidem atque aliam eorum habent rationem, omnes tamen occasionem quærunt, quam oportunitatem, à qua scientia & bonum est, Pythagoras nominabat. Stupendum ejus, & cui forsan fidem quidam non dabant, in Socrate & Alcibiade experimentum habemus. Socrates à genio suo impulsus ad Alcibiadem properabat de virtute, sive de pulchro apud ipsum verba facturus, & eodem momento domo egressus est Alcibiades, ut de ipso hoc pulchro Socratem rogaret. Socrates Alcibiadem, Alcibiades Socratem venire ignorabat; venit tamen uterque eadem de caussa; hic ut disceret, ille ut doceret. Et tanto melius docere poterat Socrates, quanto avidius ad discendum Al-

cibia-

cibiades properabat. Nimirum ita se res habet, ut & is qui tradit, & qui accipit mutuò se complectantur. Agere hic debet, & alter pati. Nec pati quis potest, nisi sit qui agat, nec agere, nisi sit qui patiatur. Quemadmodum autem inter medicos febres aliâ, atque aliâ subinde potione curantur, ita in purgatione animorum non eodem antiqui sapientes modo versabantur. Quæ diversitas omnis nascitur ex ingeniis eorum, qui agunt, & patiuntur. Quidam risu, ut Democritus, alii lachrymis, ut Heraclitus, utebantur. Notis quibusdam Ægypti; brutis Æsopus, litteræ uni & numeris Pythagoras, cæterique aliis insistebant. Sic docere possumus, & non loqui. Sic idem est legere, & litteras non videre; sic imagines sunt quod verba. Ita filio suo Tarquinius respondit. Summa papaverum capita in horto virgula decussit, & interficiendos esse Principes intelligebat. Cujusmodi sapientiam in Emblematis habemus. Quæ non hodie, aut heri nata, sed sapientum primis in usu fuere. Verum multa in hoc genere ætatis injuria nobis invidit. Unicum modo jam exstat, quod prudentissimo Cebeti in mentem venit. Cujus Tabulam totius sapientiæ instar, & magistram esse semper existimavi. Et idem ardor nuper animum meum cepit. Cujus fructum tibi jam, Generose Domine, & publico damus. Quemadmodum enim tu, & studiorum meorum, & remissionum, quæ ad has litterarum amœnitates se componunt, jam pridem domesticus spectator fuisti, ita ego tuarum virtutum. Præsertim summæ humanitatis atque morum comitatis, qua omnes & me potissimum devincis. Ut nihil de tuâ in bonæ mentis & studiorum cultu, quibus illustres animæ, qualis tua, publico bono & fortunæ suæ parantur, assidua contentione jam dicam. Et erecti ingenii tui specimen nuper omnibus hic dedisti, cum maximi Regis tui manibus diserta, & quam in te mirati sumus, oratione parentasti: in quo generosa indoles tua illuxit, quam à majoribus hausisti. Illustris parens tuus, belli non decus modo, sed fulmen adversus Danos Polonosque Carolo & Gustavo, Suecorum Regibus optimis, maximis, virtutem suam ita probavit, ut memoriam ejus

vestra-

vestrates cum admiratione, hostes cum terrore recolere adhuc soleant, & venerari. Triginta fere vulnera bello reportavit, totidem suæ, totidem tuæ gloriæ monumenta. Vitrici etiam tui, Gabrielis Oxenstiernii, viri à virtute & natura consummati, quem Senatorem, & Tutorem regni primum Suecia jam habet, decus ex prudentia quadam infinita, & animi magnitudine singulari comparatum, laudi tuæ, atque ardori accedit. Quid quod ex illustri Gardæorum familia, cui nobilissima parens tua te inseruit, nomen etiam amplissimum in te sit derivatum. Cujus invidenda gloria ex bellicæ virtutis fama; quæ tantum summis mortalium agnata est, & à Diis æstimatur. Quis Pontum Gardæum nescit, qui prudentiæ, & roboris militaris non exemplum in se, sed prodigium ostendit. Hæc decora tua, generose Domine, hæc tua ad parem gloriæ atque virtutis contentionem incitamenta. Et jam majoribus tuis parem te spes omnium atque exspectatio ostendit. Nec falles, ubi fortunam acceperis, cui destinaris. Vale, Illustris Domine, cum Weidenhemio, & Bruckneroo, quos singularis eruditio & in bonarum artium cultum infinitus amor tibi mihique impense probavit.

Lugd. Bat. 1634. *Kal. Novemb.*

THEOD. GRASWINCKELIO

M. Z. BOZHORNIUS, S. D.

ECce tibi, Vir Clarissime, quæ nuper hic è Cathedra ad delitias meas, Juvenalem, in frequentissima eorum, qui ad audiendum convenerant, Corona dixi. De ineptiis sæculi differendum fuit, & quia maximus auctor eo vocabat, & quia eodem quo Romani olim, morbo laborare nos videbam, nominibus tantum mortalium & numeris annorum mutatis. Volebant viri eruditi, ut prælum typographi fatigarent, quæ exercuerant meam vocem; ut oculos iis impenderent,

rent, quibus aures non licuerat commodare. Urgebat etiam litterata juventus nostra quæ satisfactum sibi non putabat, nisi eorum quæ semel audierat, & sæpius repetere volebat, publicam lectionem impartirer. Quod persuaderi mihi passus sum, quemadmodum vides. Nemo ex me quæret cur nomen tuum hic voluerim usurpare qui utriusque nostrum animorum conjunctionem novit. De qua tamen nulli magis, quam nobis inter nos constat. Imo sine illa & infinita eruditio tua & illustre ingenium & cæteræ magnæ dotes qualecunque hoc officium imponebant. De quibus jam omnes possunt testari. Et præsertim Italia agnoscit, inque ea, potissimum æterna Resp. Venetorum, pro cujus primigenia & semper duratura libertate eas vindicias scripsisti, quas merito omnes admiramur, & nemo improbabit præter illos, quibus invisum est libertatis nomen, quia tantum servire didicerunt. An non instar omnium videri debet, illustrissimo heroi Dominico Molino te tuaque probari? in cujus cœlestium virtutum& summi nominis procudenda æternitate certatim contendunt omnes eruditi. Qui nuper in litteris sui in me immerentem affectus ea indicia dedit, quibus solis innixus ridere possum ronchos omnes invidorum. Deus Optimus Maximus illum Serenissimæ Reipub. Venetorum, & te communi orbis bono quam diutissime incolumem conservet. Vale Vir Amplissime Bataviæ tuæ insigne decus.

Raptim, Lugduni Batavorum 1635. *Martij* 14.

JOH. ISACIO PONTANO

BOXHORNIUS, PL. S.

LArgiter hactenus, clariss. Cognate,& in te & in me peccavi. In me quidem,quia id quod officii mei erat non sum exsequutus, In te autem, quia singulari illa

tuâ

tuâ humanitate & patientia tam diu sum abusus. Ad tot gratissimas litteras tuas nihil respondi, & id unum egisse videor, ut pertinaciter silerem. Possem ad excusationem mei multa adferre, sed fatebor ingenuè, culpa negligentiæ omnino non vaco. Nec enim malignitatis alicujus apud te debeo urgeri. Id unum me jam solatur, quod sciam quantum amicis tuis soleas indulgere. Proinde & per illam animorum nostrorum mutuam conjunctionem, & per præsides amicitiæ Deos, & per communia studia Musarum enixe te quæso, atque obtestor, ne diuturnum hoc meum silentium in pejorem partem velis interpretari. Ego inposterum operam dabo, nequid in me possis desiderare. Sæpissime Scriverium nostrum conveni, & de obsidione Lovaniensi Damiani à Goes cum eo egi. Semper se exemplar redditurum promisit, &, quod valde mirari soleo, nunquam reddit. Sed mores ejus tu ipse satis nosti. Quid si ad ipsum litteras dares? Forsan sic obtineres quod merito petis, & diutius carere non potes. Audio enim Historiam tuam Geldricam ad umbilicum jam fere esse perductam. Quæstiones meæ Romanæ carceres jam mordent, & brevi prodibunt. Quibus absolutis statim ad Juvenalem illustrandum me accingam. Vale, suavissime cognate, & me, ut cœpisti, amare perge.

Raptim, Lugduni Batavorum Kal. Junij, CIↃ IↃC XXXV.

DOMINICO ACRONIO à BUMA,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

Harlemum.

SUavissime Amicorum, Quod discedenti tibi à me promissum fuit, differre, quanquam variis occupationibus distentus, nefas existimavi. Ægre admodum à te sum divulsus, cùjus ingenium & modestiam singularem diutius voluissem contemplari. Disces experiendo, ubi volueris, nihil præter occasionem bene de te

te merendi hactenus mihi defuisse. Quamprimum illa se obtulerit, quidquid ad promovendum ardorem tuorum studiorum, & incrementum honoris facere existimabo, libens meritoque impendam. Tu tantum perge, ut cœpisti. Non est argumentum illustrius, in quo exercere te & famam possis, quam illud, quod jam suscepisti. Debebit tibi patria universa, debebunt sanctissimi manes Principum maximi, qui primus auctor nostræ libertatis sic vixit, ut non debuerit mori, sic mortuus est, ut æternum superesse memoria virtutum ejus debeat. Est autem illa in illustrium scriptorum monumentis. Vale, suavissime amicorum. PONTANUM meum tuumque salvere jubeo. Proxime ad eum de omnibus, quorum in literis suis meminit, diligenter perscribam. Iterum vale, *amice lector*, & me porro ama.

Raptim Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXXV.

JOH. ISACIO PONTANO
M. Z. BOXHORNIUS, S. P.

Harderſvicum.

VErba mihi desunt, clarissime cognate, quibus culpam tam longi & pertinacis silentii mei possim deprecari. Satisfactum tibi existimabis, si non verbis tantum, sed reapse in posterum diligentiorem me præstitero. Latui hactenus, grassante nimium pestilentia, partim in Zelandia, ubi avus meus aviaque fato nuper concessêre, partim in agro suburbano, in villâ Scriverii nostri. Prodiga illa nostrorum hominum in moriendo liberalitas mihi, alias non illiberaliter educato, vehementer displicebat. Secesserant studiosi plerique omnes, itaque subsellia & auditoria nostra in medio æstu frigebant. Tandem autem visum Opt Max. Deo vim morbi illius, quem carnificem generis humani appellare soleo, qui tot hominum millibus hic extremus fuit, paulatim averruncare. Proindè in urbem Professores, quotquot absfuimus, reversi sumus, & ordinarias lectiones nostras habere cœpimus. Sed, ubi cathedram conscendimus,

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Indies tamen numerus studiosorum accrescit, adeò ut magnus me animus habeat, futurum brevi, ut pristinum splendorem Palladi nostræ restitutum videamus. Emendatio tua in Juvenale meo, quam proximis litteris indicasti, mihi Scriverioque admodum arridebat. Brevi editionem novam ejus Poëtæ cum commentario & animadversionibus meis Typographo tradam. Quæstiones meæ Romanæ circa festum Paschatis, si Deus volet, prodibunt. Pauca adhuc excudenda restant. Proxima septimanâ Ultrajectum cogito, ibique CL. Matthæum videbo. Vale Clarissime cognate & me ama.

Raptim, Lugd. Bat. 1635. Decemb. 19.

WILHELMO BONTIO
M. Z. BOXBORNIUS, S.

Dignitas tua, Vir amplissime, qua in Urbium ocello cum singulari integritate defungeris, & benevolentia, qua me non semel es complexus, & eruditio, qua historiam pene omnem, & præcipuè hanc nostram, de navigationibus Hollandorum, penetrasti, hunc hominem impulere, ut Apologiam hanc, adversus Pontum Heuterum, amplissimi nominis tui præsidio usurpato, ad te ablegaret. Argumentum est nec magnitudine tua nec judicio indignum. Non ingratum certè futurum tibi, opinor, qui in res patriæ, præsertim horum temporum, propius semper inquiris. Quod tanto magis laudandum est, quanto plus habet utilitatis. Cape igitur, Vir summe, hoc observantiæ monumentum ab eo, qui vivit

Amplissimo nomini tuo æternum devotus

M. Z. BOXHORNIUS.

J. F.

J. F. GRONOVIO BOXHORNIUS, S. D.

QUod ad poſtremas tuas tarde adeo reſpondeam, Doctiſſime Gronovi, fecit qui me in urbem reverſum invaſit, ſed jam deſeruit, languor, dicam an morbus, per quem nec valere mihi, nec ægrotare licebat. Stomachum meum, ut quidem Medicus aſſerebat, magna vis pituitæ invaſerat. Itaque & dierum aliquot abſtinentia, & hauſtu, quem purgantem vocant, & pillulis partim Rufi, partim Bontii ante cœnam, partim illis quas appellant ſine quibus (ſubintelligitur, ne ignores, ſine quibus valere non poſſumus) opus fuit. Sic factum, ut expurgatum jam ventriculum habeam, adeo ut ædilem non metuat. Porro, ita eſt, calendariolum tuum apud nos reliquiſti. Sed famulus meus ſe Scriverio id tradidiſſe dicit. Proinde ab eo repoſces. Eſt jam ille Amſtelodami, ſed proxima hebdomade, quantum audio, reverſurus. Interea Schediaſma ejus ruſticum hic habes. Quod ſine dubio probabis. Vale, vir eruditiſſime, & me ama, quia ego te.

Raptim Domi mea 1636. *Jan.* IIV.

JANO BODEC. BENNINGIO, M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

TEndit ad te, Vir Clariſſime, diſſertatio hæc noſtra unius aut alterius horæ opus, ſed comparata tamen ad ſubvertendam ſententiam, qua jamdudum & noſtra & patrum memoria plerique eruditorum fuere occupati. Diſticha quæ ſub Catonis nomine circumferuntur, æſtimio ſuo & loco movere conamur. Quod quam feliciter à nobis factum judicii tui eſto. Qui præter accuratam omnis Philoſophiç cognitionem, cujus prima cura in Acad. noſtra merito tuo tibi eſt delata, humaniorũ etiam litterarum ſcientia, quæ apud tuæ profeſſionis

 homi-

homines raro invenitur, pectus tuum & serio & fæliliciter imbuisti. Quod & ea probant quæ in vulgus jam emisisti, & brevi editione poëmatum tuorum, quibus antiquas & cordatas omnes Veneres complexus es, aliisque, quæ premi à te scio, amplius probandum exspectamus. Unicum jam rogo, ne qualecunque hoc officium nostrum asperneris, quod quidem indignum te, sed in majus postea augendum publice hic & candide voluimus profiteri. Vale.

Raptim, domi meæ, Kal. Januar. 1636.

JOH. ISACIO PONTANO

BOXHORNIUS, S.

Harderfvicum.

CLarissime Cognate, doleo profecto quod fere semper mearum ad te litterarum initia in excusanda earum infrequentia debeant occupari. Iterum morbos loquor, & occupationes. Aliquot jam menses nec ægroto, nec valeo, sed, ut ille loquitur, in statu querulo sum, & moroso. Occupationes meas omnes præter publica negotia, vendicant sibi Quæstiones Romanæ. quæ jam carceres mordent, & brevi in publicum exibunt. Gratias tibi ago pro tuo in eas affectu, quem proximè indicasti. Si liceret nobis præsentibus subinde sermones commutare, profecto multa ornando isti operi ex te audirem. Sed nunc magno nimis intervallo divisi sumus. Emendatio tua in vexatis illis versiculis Catullianis & ingeniosa est, & erudita. Itaque ejus mentionem feci. Mihi tamen videtur lectionem vulgatam, quæ habet *Patrona virgo*, sollicitari non oportere Quid enim obstat, quo minus Poëta Minervam Patronam appellet, & Præsidem suarum Musarum? Exemplaria Maris Clausi, quæ in Anglia excusa, apud nos non possunt haberi. Forsan in officina Janssoniana exstant. Graswinckelio ab Ordinibus datum in mandatis est, ut Seldeno respondeat. Certum etiam est

Gro-

Grotium aliquid in hoc argumento pro libero Mari suo moliri. Ego notas tuas, & animadversiones vel scriptas, vel excusas videre aveo. Diligenter Seldenum iterum atque iterum legi. Ex omnibus argumentis, quæ inseruit lib. 2. ubi quæstionem facti excutiendam suscepit, ne unum quidem bonum, & validum erui potest. Obiter mihi quædam observata, quæ si tua editurum te intelligam, transmittere non gravabor. Et ut tua quamprimum typis describenda cures, unicè suadeo. Non poteris nisi bene de Repub. mereri. Salmasius brevi est reversurus. Condit post Lipsium opus de Militia Romana. Vale, & salve Clarissime Cognatorum.

Raptim, Lugd. Bat. 1636. Junij 14.

CONSTANTINO HUGENIO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Hagam-Comitis.

Redit ad te, amplissime Hugeni, ad dissertationem amici tui hæc Epistola. Quam nobilissimo nomini tuo publicè inscribendam existimavi, quia privatim inscripta jam erat. Quæ multa ex recondita antiquitate eruebat, quæ hominis petulantissimi audaciam merito castigabat, luce mihi dignissima videbatur. Interea non mihi, sed sibi . . . . . irascatur. Non exspectaverit forsan hanc pœnam, sed meritus fuit. Ut verò audaciæ meæ ignoscas, unicè rogo. Elegiam tuam de supellectile antiquitatis Romanæ, quæ apud Smethium est, nuper rectè accepi. Multum profecto humanitati tuæ debeo. Quam publicè profiteri visum fuit. Versus tuos plenos non ingenii tantum, sed eruditionis, Quæstionibus meis Romanis, quæ jam carceres mordent, commodè inserui. Interest orbis litterati, ut sciat esse te in Batavia, qui in summa fortuna, inter tot molestas occupationes, omnem & doctrinæ & ingenii principatum accepit, & fovendis eruditis totum se liberaliter impendit. Ego autem immor-

taliter gaudeo, quod ad contemplationem, & usum virtutum tuarum propius me admittere fueris dignatus. Heinsius, & Scriverius, magna sæculi nomina, cultum omnem tibi per me offerri voluere.

Raptim, Lugd. Bat. 1636. Jun. 21.

PETRO SCRIVERIO M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

OFfero tibi, Petre Scriveri, Vir clarissime, tres nuper à me publice dictas orationes: primam de Theologia Paganorum, cum principem Satyricorum, Juvenalem meum, sequutus ad sacra Ægyptiorum explicanda me accingerem; alteram de fabulis, & quæ sub iis latet sapientia veterum Poëtarum, cum ad Nasonis Metamorphosin, opus quod inter prima utriusque antiquitatis ponere soleo, industriam meam conferrem; tertiam de animarum nostrarum immortalitate. Quo argumento inprimis opus erat, cum florentissimæ pridem urbi huic atque Academiæ extrema omnia vis grassantis pestilentiæ intentaret; cum expulsis aliquamdiu sapientiæ studiosis regnum vespillo teneret; cum inter tot acervos tumulorum, inter tot cadavera, illos, quos nondum vita deseruerat, de æternitate sua securos esse non oportebat. Misera profecto rerum facies, & ex qua posteri pericula nostra metiantur. Terra illis, quos in mortem clades hæc afflixerat, & viventibus quasi vita deesse videbatur. Ut enim his antea, ita illis tunc laboratum fuit. Quæ quanquam injucunda ideo dicenda hic erant, ut magnitudine beneficii, quo me tunc obstrictum voluisti, constaret. Fugientem enim atrocem illam moriendi tempestatem suburbano tuo comiter excepisti. In quo ut omnia plena amœnitatis, ita de tuo, eruditissime virorum, consortio potissimum mihi gratulabar. Qui incomparabili industria, & animo invicto omnis antiquitatis & doctrinæ scientiam ita invasisti, ut ubique eam circumferre videaris. Quo fit, ut à sermone tuo, &, quas interspargis, eruditis amœnitatibus doctiores semper discedamus.

Accipe autem interea tenue hoc redhostimentum; donec majus sit, quod æternitati virtutum tuarum destinetur. Erit autem illud si effectis, in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero.

Lugd. Bat. 1636. *Junij* 26.

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

SI Balsaco tuo visum fuisset, Nobilissime virorum, intra patrium sermonem, cui exornando totum se impendit, nominis existimationem cohibere, nemo tam præclaro instituto non faveret. Majoris verò eruditionis famam cum ambiret, ne disertus magis, credo, quam eruditus videretur, summum decus sæculi aggressus est, qui ingenio sublimi, nec judicio minori, tum scientiarum omnium cognitione, & antiquitatis utriusque instructus, nusquam jam hærere potest. Id tentandum interim suscepit, quod, cum omnia sint summa, inter prima ejus monumenta numeramus. Herodem, scilicet, infanticidam: Tragœdiam, ut breviter hoc dicam, excitatam, & cœlestem: quam universus ordo litteratus cum stupore admirationis legit, prædicatque. Quæ antiquitatis ita vim omnem geniumque expressit, ut (ne quid dicam amplius) æquarit. Quæ leges Aristotelis tam accuratè repræsentat, quàm certum est non satis perspexisse eas, qui de iis dubitare vult, ut se commendet. Quæ decorū in personis singulis tam graviter servavit, quam verum est, amicum tuum quærere id in ea voluisse ut non inveniret. Vides quam temere in arenam hanc descenderit, dum litem ei movet, quem certissimum est tantum scire quantum omnes eruditionis hostes pariter ignorant: dum in eo curiosus vult videri, de cujus imitatione alii desperant. Quanquam suum adhuc illi decus constitisset, si privatim, si ingenuè cum Auctore ipso judicium communicasset. Nunc cum publicè legatur, ipse videat, atque alii, quo successu aliorum judiciis se exposuerit hic judex. Quod sive ab eo factum est, sive ab amico; factum sane nollent qui Balsaco tuo favent. Interim in manus meas ad eandem amici tui

Dissertationem hæc Epistola pervenit. In qua quid præstiterit obtineatque (ut erectos cordatosque habet spiritus quodcunque ab illo principe ingeniorum venit) erudite & cum venustate ostenditur. Editio ejus cum speranda ab auctore non esset, mearum partium existimavi, ut in publicum prodiret. Non Balsaci quidem tui causa, aut ut ægre illi esset, quem vel scripti vel editionis pœnitere, ex amicis ejus, viris cordatis, intelligimus (quorum causa, si quæ acerbius hic dicta videbantur, cum obnixe id nomine ejus peterent, delevimus, expunximusque; frustra renitentibus plerisque, qui ad ea quæ & libere & jam publice effudit, nihil falsæ satis posse regeri à lacessito judicabant:) verum in eorum gratiam, qui quantum nesciant libenter profitentur, ac doceri poscunt. Multa quippe ex ultima antiquitate, quà sacra, quà profana, singulari cum genio hic eruuntur, quæ ne modestia Authoris perirent, orbis literarii interesse existimabam. Causam interim non dico, cur amplissimum hic nomen tuum compellarim. Tuum enim omne est, quod de argumento hoc in lucem prodit, ex quo infanticida famæ tuæ atque æternitati consecratus est. Nec judicium de controversia exposco tuum; qui, qua es ingenii & doctrinæ magnitudine, cum eruditis cæteris, Balsaco quoque ipso, qui id ubique profitetur, quid & quantum debeatur Heinsio, intelligis. Vale, Vir Magne, & me, ut cœpisti, porro amare ne dedigneris.

Raptim, Lugd. Bat. 1636. Jul. 12.

GRONOVIO BOXHORNIUS, S.

AUt fallor, Eruditissime Gronovi, aut aliquando apud te vidi litteras Magni Grotii de studio juris rectè instituendo, quæso earum copiam mihi facias. Ego etiam desideria tua semper explere conabor. Statium tuum sub prælo esse audio. Nuperi interpretes multa adhuc in eo scriptore diligentiæ tuæ & ingenio reliquêre. Itaque bene poteris de eo mereri. Quæstiones meæ Romanæ jam carceres mordent, & hac hebdomade,

bdomade, nisi me fallant Typographi, prodibunt. Sic ut proxime exemplar ad te sit destinandum. Vale Amicissime mortalis, & voto meo ne desis.

Lugd. Bat. 1636. Jul 22.

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S. D. P.

Hagam-Comitis.

AUdeo tibi opus hoc meum offerre, Nobilissime Hugeni. Argumentum est, quod ætate nostra fere neglectum; sed in quo veterum auctorum optimi quique industriam suam exercuere. Quorum monumenta injuria temporum, & negligentia ad tam præclara fastidientium intercepta tanto impensius desideramus, quanto plura ex iis peti potuissent, quæ jam nescimus. Nihil enim vel utilius vel jucundius in omni hoc studio antiquitatis, quam rituum, qui sacri, profani, publicè, privatim, domi, militiæque usitati, origines & caussas non ignorare. Nos aliquid hic conati sumus. Tu pro humanitate tua ad lectionem hujus operis (si modo tanti videbitur) eò plus veniæ conferes, quo magis ab ingenio omni & solida eruditione defectum illum videbis, qui scripsit. Sæpius enim infantiæ meæ ignoscendum erit. Vale, vir amplissime, & me inter virtutum tuarum primos æstimatores habe.

Raptim, Lugd. Bat. 1636. Aug. 9.

JOH. ISACIO PONTANO

BOXHORNIUS, S.

Harderwicum.

Clarissime Cognate,

TAndem prodit Commentarius meus ad Quæstiones Romanas. Qui utinam tibi tantum placeret!

Conjecturis fere insistendum fuit, ut vides. Vix enim aliquis ætate nostrâ in caussas, & rationes rituum inquirere ausus fuit. Si intelligam hæc viris eruditis non displicere, in reliquis pertexendis nemo operam meam desiderabit. Atque hæc quidem raptim scripsi, itineri in Zelandiam accinctus.

Lugd. Bat. 1636. Aug. 11.

JOH. FRED. GRONOVIO

BOXHORNIUS, S. D. PL.

CLarissime Gronovi, Tandem ad te remitto litteras Grotii. Pro usu earum gratias tibi, & quodcunque à me proficisci obsequium potest, debere volo. Exemplar Quæstionum Romanarum libens meritoque tibi dono. Serius quidem fateor, sed in præstandis ejuscemodi officiis sollemnem negligentiam meam non ignoras. Cui ut ignoscas facile ab innata tibi humanitate imperabis. Opus autem hoc ita leges, ut infantiæ meæ habeas rationem, quod boni viri, & accuratè significes, si quid culpandam videbitur, quod est amici. Scire aveo, quid rerum geras. Vale, & salve dilectum caput. Heinsius, & Scriverius salutatum te voluere.

Raptim, Lugd. Bat. 1636. Sept. 26.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

Zirizaam.

CAndorem meum testor, amplissime virorum, nihil mihi unquam gratius litteris tuis evenisse. Quibus quas mihi adscribis ingenii & doctrinæ dotes, in me ipsum iniquus sim, si agnoscam. Nomen inter illos profiteor, qui bonæ mentis, & litterarum sunt candidati. Nihil in hæc ætatis meæ crepundia cadit, quod possit æstimari, præter industriæ, & conatus laudem.

Moli-

Molimur subinde aliquid, *dum*, ut ille loquitur, *& venia est, & spes, & favor, & audere non dedecet, & si quid desit operi ætas suppleat*. Satis mihi est, si tenuitati ingenii ignoscant, qui ut pro magnitudine suæ eruditionis non nisi magna, & quæ supra sæculum, condere possunt ac æstimare, ita pro candore suo veniam audenti non possunt denegare. In quorum censu te habeo. Qui Zelandiæ tuę primum decus, cum summa dignitate pręclaram omnem doctrinam, & amorem in eruditos conjunxisti. Ego certè de amicitia tua, quam adeo prolixe mihi offerre voluisti, vehementer mihi gratulor. Meum erit omni obsequio huic benivolentiæ tuæ respondere. In filio tuo & cordatam indolem, & excitatas ingenii virtutes, & propensum in præclara quævis studia animum, & denique paternæ gloriæ non spem tantum, sed imaginem unicè sum exosculatus. Nihil unquam in me patiar desiderari, quo, quantum fieri poterit, ardor ejus possit promoveri. Unicum mihi desiderium erit desideria tua & hic, & alibi explere. Vale, Vir amplissime, & me inter primos nominis tui, & eruditionis, æstimatores habe.

Raptim, Lugd. Bat. 1636. Novemb. 11.

Reverendos viros, D. D. Udemannum, & Bruynvisshium, meo nomine plurimum salutari velim. Ad quorum litteras, quæ mirifice me affecerunt, proxima occasione, si Deus volet, respondebo.

JOH. FRED. GRONOVIO

M. Z. BOXHORNIUS S. D. PL.

ERuditissime Gronovi, equidem futurum existimaveram, ut te cum aliis aliquot Heroibus convivio, pro mediocritate nostra, exceptum perfunderem suavissimo illo liquore, qualem

--- *Coronati Thrasea Helvidiusque bibebant Brutorum & Cassi natalibus.*

Sed me absente nimis propere discessisti. Itaque doleo, & differre cogor, quod vehementer cupiebā. Superiori-

rioribus diebus ad me scripsit Pontanus noster, voluitque ut has ad te curarem. Quas quidem ante biduum transmissas oportebat, sed imbecillitas ventriculi mei non permisit: Non quod eo ad scribendum sit opus, sed quod affecto illo, totius corpusculi languorem miser sentirem. Cypriani codice M S. si usus fueris, velim ad me transmittas. Ubi enim accepero cum fide ad Dominum ablegabitur. Quippe nunc temporis usui sibi futurum scribit. De loco Statii, quem nuperrime indicabam, nondum sententiam muto. Exstat lib. I. Syl. Epithalamio Stellæ & Violantillæ, versu 89.

Vidi & Abydeni juvenis certantia remis
Brachia, laudavique manus, & sæpe natanti
Praelusi.

Pro *prælusi* legendum esse, *præluxi*, rectè monent eruditi: Ego pro, *laudavique manus*, reponendum existimaverim, *lassantique manus*, certe elegantius est, quàm id quod vulgò legitur; adeo ut sic aut scripserit, aut scribere debuerit Statius. Porro in Protreptico ad Crispinum, lib. v. Syl. versu 7. mea editione legitur:

Vela sequar, spectemque ratem, jam fessus ab altis
Rupibus, atque oculis longè querar aëre vinci.

Leve mendum est, sed quod premit eruditionem & venustatem Auctoris. Prò *oculis* quis dubitet rescribere *oculos?* Quid elegantius quam *oculos longo aëre vinci*, quo minus abeuntem amicum diutius possint contemplari? Et omnino Philosophica est hæc loquendi ratio. Sed forsan frustra hæc monemus, & *oculos* legunt castigatæ editiones. Quod tu videris. Vale, amicissime mortalis, & Boxhornium tuum semper ama.

Raptim, Lugd. Bat. 1637. Jan. 23.

VINCENTIO FABRICIO, S. P. D. M. Z. BOXHORNIUS.

Hamburgum.

Ergo adhuc vivis, Jucundissime amicorum, & Boxhornii tui meminisse voluisti. Quemadmodum diuturni silentii tui pertinaciam culpare non audeo, ne eandem mihi opponas, suavissimi carminis tui lectione mirifice erectum me fuisse, dubitare non debes. Itaque gratias tibi habeo immortales, quod ad procudendam promovendamque nominis nostri æternitatem tantũ conferre volueris. Victura enim scribes, & quæ omnis erudita posteritas merito semper æstimabit. Quas mihi laudes adscribis non nisi in versu tuo agnosco. Novi quam curta mihi sit domestica supellex; & in hanc ætatem meam nihil æstimandum cadit. Certe non nisi ad confessionem ignorantiæ profeci. Quam lepidus autem es, mi Fabrici, fortunam tuam cum nostra contendis, & ita quidem, ut tuam postponas. Caussam hercle non video. Totum te tibi soli debere potes, & pretium tui tibi includis. Virtus se extra se non quærit. Magnitudine ingenii datum tibi est quidvis assequi, & ridere pecuniosas ineptias homunciorum illorum, qui, cum non sint, stolide nimis beati sibi videntur. Ego fortunæ tuæ apprecor, quemcumque expectare potes, successum rerum. Porro Natalem nostrum absolvit suavissima memoria tui, & flos Liberi Patris, more institutoque majorum, liberaliter coronavit. Diem noctemque pariter madefecimus. Sacra enim ista aliter non constant. Quando autem te, quando novam Poëmatum tuorum editionem videbimus? Nihil est quod efflictim magis desideramus. Nuper prodiit commentarius meus Quæstionum Romanarum scriptus ad exemplum Plutarchi, quem in eodem argumento versatum fuisse ignorare non potes. Exemplar per Gronovium nostrum ad te destinavimus.

mus. Restat jam ut ad Juvenalem meum serio me accingam. Quid interea rerum Fabricius meus gerat, ex te potissimum cognoscere aveo. Vale amicissime mortalis.

Raptim, Lugd. Bat. 1637. *Kal. Febr.*

JOH. FRED. GRONOVIO

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. PL.

DOmum reversus, jucundissime Gronovi, in Papinii tui Sylvas sum digressus, ut nonnihil me oblectarem. Imprimis autem captus sum erudita illa rerum, quæ passim inseruntur, varietate. Scriptor est disertus admodum & copiosus. In stylo ejus nec tumorem esse dixero, nec majestatem. Nam ut frustra verba non impendit, ita sunt qui puriora & magis perspicua ad poësin contulere. Dolendum autem huic scripto tantopere nocuisse & injuriam temporis, & petulantiam correctorum. Proinde optimum factum, quod eâ, qua par est, ingenii tui felicitate, laboranti succurrere destinaveris. Mihi quædam inter legendum observata, quibus an diminuerim, an auxerim malum, tu videris. In Epithalamio Stellæ & Violantillæ vulgo legitur;

Nec formæ, nec stirpis egens; nam docta per urbem
Carmina qui juvenes, quæ non didicere puellæ?

Particula causalis, *nam*, locum hic non habet; nec enim redditur ratio præcedentium. Itaque *jam* velim reponi. Jam docta per urbem &c. *Nam* tamen retineri posset, si pro *formæ* legatur *famæ*. Nec famæ, nec stirpis egens, nam docta per urbem &c. Et fortè sic scripsit Auctor. Præstat sanè virum à fama, quam forma commendari. Sed hæc levia. Paulò post legitur;

Jamque aspera cœpit
Flectere colla libens, & jam sibi dura videri.

Postre-

Postrema illa omnino in mendo cubant. Si enim Violantilla post suasoriam Veneris orationem cœperit flectere aspera colla, & Stellam amare, quomodo potuit etiamnum sibi dura videri? Haud dubiè scribendum est

Nec tam sibi dura videri.

Nolo tamen dissimulare commodo sensu & acuto explicari posse vulgatam lectionem. Ut mens sit, Violantillam tunc demum, cum Venerem loquentem, & ad nuptias hortantem audisset, seriò agnovisse, se duram nimis & pertinacem adversus Stellam fuisse. Non longe post legere est:

Dat Juno verenda
Vincula, & insigni geminat concordia tæda.

Hærent interpretes, ut nosti. Nihil difficultatis est, si nobiscum legas:

Et insigneis geminat concordia tædas.

Insignis haud dubiè antiquè scriptum fuit, pro *insigneis*, & hinc natum illud insigni in libris vulgatis. *Geminat* autem idem est, quod conjungit. Pergo ad Tiburtinum Manlii Vopisci. Inter alia exstat:

An picturata lucentia marmora vena
Mirer?

Offendit me continua illa repetitio sonoræ vocalis, & propterea sic corrigo:

An picturata lucentia marmora vena
Mirer?

Hoc est, an præcipue mirabor marmora illa, quæ picturatas venas, id est, ductus colorum variegatos habent? Marmora duûm generum. Venæ in quibusdam naturales, in quibusdam artificiales. De his agit Statius, & meminit Seneca lib. XII, Epist. 1. *Pauper sibi videtur, nisi*

nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, nisi illis undique operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexatur. Nihil æque facit ad mentem Statii. Sub finem ejusdem Tiburtini hæc verba leguntur:

Sive chelyn tollis heroa ad robora, sive
Liventem Satyram nigra rubigine turbes.

Ultima illa admodum turbata . . . . *turpes* emendat. Sed quæso quid est Satyram vel turbare vel turpare? Somnia sunt & nugæ meræ; Nullus dubito, quin sic scripserit Auctor:

Sive chelyn tollis heroa ad robora, sive
Liventem Satyram nigra rubigine turba.

Tollis ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum, & subintelligendum est versu secundo, per rubiginem scelera, & malas artes; per nigram turbam homines pravi ingenii elegantissime Poëta designavit. Notum illud;

Hic niger: hunc tu Romane caveto.

Progrederer ad Soteria, nisi Soteriis ipse, æger & languidus, indigerem. Scire avebo, quid de iis sentias, quæ hic raptim exaravimus. *Lugd. Bat.* 1637. *Februar.* 15.

Non desino quotidie illustrem Heinsium nostrum hortari, ut de scribendarum Sylvarum ratione ad te instituat dissertationem. Nec dubito quin sit in gratiam tuam facturus.

Epicedio in Patrem, lib. v. Sylvar.

Quis Apolline merso] l. *verso* i.e. ex alacri & excitato in tristem & languidum mutato. Sic Tacitus lib. XIII. Annal. *Tum Agrippina versis artibus per blandimenta juvenem aggredi*, &c. Quippe paulo antè atrox nimis fuerat & severa.

Hic ego te inserui cum laude loci] Quid si? *Huic ego te inserui cum laude loco.* Ut idem sit, quod sepulturæ tradidi. Sic Epicedio in filium, se eum vitæ inseruisse dicit.

Sed nec modo se natura dolenti Nec pietas injusta dedit] Divide injusta & lege *in justa*; vel cum Heinsio juniore, *in busta.* Nondum aut natura mea aut pietas tota in justa funeris se effudit.

Crinemque afflato monte sepulti Pone super tumulos] Nullus dubito quin pro *crinemque* reponendum sit, *cineremque.*

Cineremque, afflato monte, sepulti
Pone super tumulos.

Id est, exere te Parthenope, & incenso monte Vesuvio cineres in tumulos alumni tui effunde. Sic Epicedio in filium, *Cineresque oculis & carmina ferte.* Crines locum hic non habent. Ambusti illi in Parthenope. Unde versiculo præcedenti semirutos ejus vultus nominavit.

Inde suam longo probat ordine vitæ Mæonidem aliæque aliis natalibus urbes diripiunt &c.] Locus intricatus, quem facile est expedire, si sic nobiscum distinguas;

Inde suum longo probat ordine vitæ
Mæoniden. Aliæque aliis natalibus urbes
Diripiunt, cunctæque probant non omnibus ille
Verus, alit victos immanis gloria falsi.

Non omnibus ille verus, id est, apud omnes illos unus Homerus natus esse non potuit.

Epicedio in filium.

Acclivis tumulo luctus in carmina verti] Elegantius est, & ex indole Statii, si legas, *Acclinis.* Ita de Nerone Tacitus lib. XIII. Annal. ubi de cæde Britannici agit. *Ille ut erat reclinis, & nescio similis.* Malè vulgo legitur *reclivis.*

Qui vivos potui mulcere dolores] Non est sollicitandus hic locus. Vivi dolores sunt dolores viventium, propter amicos exstinctos.

Potius

Potius fugientia ripas flumina devincas] Lego *flumina detineas*, levi mutatione.

Ludusque tenello fusus & è nostro veniebant gaudia vultu] Illud *ludus* parum placet. Quid si, *Multusque tenello risus* &c.

Hæc judicii tui sunt, amicissime Gronovi, & feliciter vale.

JOH. ISACIO PONTANO

BOXHORNIUS, S. D.

Harderswicum.

CLarissime Cognate, ex litteris tuis libens admodum intelligo parata jam illa omnia quæ Seldeni Clauso Mari fœliciter opponere occeperas. Doleo tamen, (quod indicare magis, quam scribere voluisti) honestos conatus tuos prohiberi. Caussam hercle non video. Cur enim improbabuntur eruditorum inter se de tam illustri argumento velitationes? Nec enim malæ in rempub. artes sunt ejuscemodi laudata semper exercitia ingeniorum. Nihil etiam aut adversus serenissimi Britanniarum Regis Majestatem, aut reipubl. nostrę decus scripto tuo, si rectè novi prudentiam tuam, inseruisti. Sed quid omnino aut tibi, aut libro tuo factum sit scire velim. Imo exemplar ejus ad me curare non dedignaberis. Gratissimum id mihi eveniet, quod ut tanto facilius eliciam, mitto Heinsianum illud, quod nuper lucem videre jussi. Nec enim ab auctore exspectandum id erat. Misissem id in tempore, quemadmodum debebam, nisi jam misisse me existimassem. Ignosces itaque occupationibus, quæ quia variè me distinebant, fecerunt ut in humanitatem tuam tam turpiter peccarem. Misi superioribus diebus amoris Characterem, quem in manus tuas venisse opinor. In eo jam sum, ut vitam Julij Agricolæ commentariis meis illustratam publico donem Si quid apud te sit, quod juvare me possit, candidus imperti. Gronovii nostri Statiana brevi prodibunt. Cyprianum tuum MS.

ad

ad me curaturum se promisit. Codex, ut audio, optimæ est notæ. Petiit à me Nicolaus Heinsius, par Patri ingenium, ut humanissimè te salutarem. Scire desiderat, an unquam vel in Dania, vel Anglia, vel item Italia excusseris MSS. Codices Ovidianos. Si quid penes te sit transmittere ne graveris. Adornat ille accuratissimam magni illius Poëtæ editionem. Graswinckelii mare Reclusum, oppositum Mari Clauso, affectum jam est. Excutiunt id nonnulli inter Ordines Generales. An proditurum sit illud opus, ipsorum judicii erit. Nescio an videris Ammianum Marcellinum nuperrime prolixis, & eruditis commentariis Vallesii, Critici novi, & satis felicis, illustratum. Lutetia Parisiorum superioribus diebus illum accepi. Vale, vir eruditissime, & me ama.

Raptim Lugd. Bat. 1637. Martii 21.

JOH. ISACIO PONTANO
BOXHORNIUS S.

Harderfvicum.

CLarissime Cognate, Nullus dubito, quin postremas meas, & adjunctam iis Heinsii adversus Balsacum dissertationem rectè acceperis. Responsum avidissimè exspecto, ut & illa quæ adversus Seldenum in vulgus edidisti. Quæso desiderio meo satisfacias. Heinsius junior humanissime salutatum te voluit, quæritque sintne vel MSS. codices Ovidiani, vel ex iis notata penes te. Si sint, transmittere non gravaberis. Tutò omnia, & ex fide restituentur. Adornat ille accuratam illius Poëtæ editionem. In Agricola Taciti illustrando jam sum. Tu me juva qui potes. Lectissimam uxorem tuam cum gravi morbo conflictari audio, & simul doleo. Deus Opt. Max. illam sibi, tibique valentem restituat. Vale clarissime Cognate, & me ama.

Raptim. Lugd. Bat. 1637. April. 4.

JOH.

JOH. ISACIO PONTANO
M. Z. BOXHORNIUS, S. M.

Harderſvicum.

ET tu vero, vir clariſſime, ita reſeraſti clauſum pridem Mare, ut hactenus non videam quomodo illud denuo à Seldeno poſſit recludi. Non poſſum quin apud te deponam verſiculos, quos nuper hujus argumenti occaſione effudi:

Libera nunc igitur tolerabit, vincula Tethys?
Quid mare, quid faciles quid meruiſtis aquæ?
Qui vos infami conclusit carcere nuper
Hoc meruit, quod vos non meruiſtis aquæ.

Certè tuum erat oſtendere, quemadmodum luculenter ſatis oſtendiſti, quantum non tam eruditioni ſuę, quæ ſumma eſt, quam vel ingenio, vel adulationi indulſerit vir magnus. Habent profectò quo nomine & ſereniſſimus Rex veſter, & hæc Reſpubl. tibi debeant. Librum tuum nonnulli Ordinum noſtrorum, quos compellare mihi licuit, diligenter excuſſere, & imprimis placere intellexi. De edendo Grafwinckelii opere, quod ejuſdem argumenti, etiamnum dubitatur. Futurum tamen exiſtimo, ut tandem prodeat Erit etiam in eo haud dubie quod non diſplicebit. Scriverius, & Bodecherus pro munere plurimum ſe tibi devinctos agnoſcunt. Nihil hactenus tuorum à Scriverio impetrare potui. Gronovius brevi ſe Cyprianum tuum MS. mihi traditurum pollicetur; nec fallet, ſi fidem ejus, & integritatem rectè novi. Princeps noſter ſuperioribus diebus Haga abiit. Zelandiam verſus aut Flandriam iter inſtituit. Octoginta cohortes pedeſtres convenire juſſit. Sunt qui exiſtimant in Hulſtum aliquid ipſum meditari. Quid tandem futurum ſit eventus brevi docebit. Cædem Comitis Warfuſæi jam intellexiſſe te opinor. Pro Animadverſionibus Urſini in Agricolam Ta-

Taciti gratias summas diligentiæ tuæ & humanitati habeo. Sed eas junctim uno volumine cum cæteris ejusmodi eruditorum notis edendas Cl. Gruterus curavit. Dum hæc scribo magnus Heinsius noster has filii sui litteras ad te mittendas tradit. Quid velit facile ipse videbis. Quæso desiderio ejus satisfacias. Ille semper debere tibi volet. Vale, dilectissime cognate, cum uxore, & familia omni.

Raptim, Lugdun. Batav. 1637. April. 29.

CLAUDIO SALMASIO
M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

Repetenti mihi quos de voce *Sudarium*, quæ in Historia passionis Domini exstat, sermones facere dignatus es, Vir illustris, omnino videtur origo ejus ex barbarâ, sive Scytharum linguâ petenda. Ita se res habet, ut dixi. *Su* Scythis significat aquam, & quidquid liquidum, aut liquescere natum est; idque vocabulum, ac eâ significatione, Turcis, quos Scytharum sobolem esse constat, hodieque manet Lexicon Turcicum Latinum; *Su, aqua, Tasli su*, aqua salsa; *Talei su*, aqua dulcis; *Safi su*, aqua clara; *Suoli*, aquæ ductus; *Suden*, ex aqua. In fluminum plerorumque omnium nominibus idem apud eosdem superest. In eodem Lexico; *Halijs Aijtozu, Akbarsu, flumen quod per agros labitur*, ut de aliis jam non dicam. Id ipsum vocabulum Græcorum pariter ac Romanorum, qui & ipsi ex Scythis orti, lingua etiam agnoscit. Neque enim aliunde sunt Græcorum ὕδωρ, Latinorum *Sudor*, & *Succus*, & alia infinita. Unum hoc addam. Suculæ Romanis sint stellæ, quæ Græcis ὑάδες, à pluviâ ita dictæ. Orientes quippe ac occidentes pluvias cient. Aut admodum fallor, aut à Scytharum *Su* ita dicuntur. Germanis autem, ex Scythiâ etiam, ut vaginâ, sicut Jornandes loquitur, gentium & officinâ nationum, progressis, idem nomen, & idem significans, superest in vocabulis prope infinitis;

Sue,

Sué, fo, fen, aqua, in quâ carnes coctæ, jus.

See, fi, fu, (varia enim dialectus est Germanorum) mare. *Glesu*, succinum. *Glesum*, vocant vel scribunt veteres. Succus est, qui marinis undis congelatur, unde & succinum dixerunt Romani. Germani, quia plerunque pellucet, ac ex aquâ coit, *glesu* vocant, nomine facto ex *gles*, sive *glas*, quod pellucidum notat, & *fu*, quod aquam.

Sudewint, ventus pluvius, auster, Anglis *fontwint*, Gallis *Sud*.

Sunt Danis fretum; unde *Sunda* Danis, *Oresunda*, aut *Sonda* hodie appellatur.

Sutvloet, sive *Sundtvloet*, diluvium.

Suvel, lac, & quicquid ex lacteo liquore conficitur.

Suveren, aqua lavare, purgare.

Sueet, sudor. Anglis, ex Germanis ortis, significat *pinguedinem*. Unde nostrum *Vet*, pinguedo.

Suc, foch, succus. Et id ipsum, *succus*, haud dubiè ejusdem originis.

Sugen, sugere, liquore pasci.

Sufen, bibere.

Sucht, hydrops, &c.

Longum enim esset omnia, quæ huc faciunt, recensere. An ergo *Sudarium*, in Historiâ Euangelicâ significat linteum liquore aliquo, aut unguento, quod putredinem avertit, madefactum? Stultæ enim videntur, quas alii hactenus promunt, interpretationes. Quomodo enim cadaveri conveniat lintuem, quo sudores abstergunt, een Sweetdoeck / ut hactenus interpretes omnes vernacula lingua nostra reddidere? Potestne eo uti cadaver? Mirum certe sacrarum litterarum interpretibus id commentum hactenus potuisse placere. Hæc ex Commentariolo Scythicarum antiquitatum nostro raptim nunc excerpsi. Vocem *bise* quod spectat (de eâ enim, nisi fallor, etiam quærebatur) verum est, & vetus Scytharum id vocabulum. Significat autem Septentrionem, aut ventum septentrionalem. Galli vestri dicunt, *Vent de bise*.

Biesen / & Bijsen æstu agitari Germanis significat. Biesen dicuntur Belgis boves, cum plus solito mu-

mugiunt Quod ſeptentrionali vento tribuendum eſſe, nemo neget. Scarabeum iidem vocant Bieſbout / ut, nempe, alis ſtrepitantem, & cum impetu ſe moventem. In Latini Pſalterii interpretatione vetuſtiſſimâ, Ludovici Pii temporibus, præter propter, concinnatâ, *Biſa* eſt *turbo*. Gloſſariolum vetus, à Lipſio editum, *Biſa*, turbo. Non abludit ab his Perſarum *Bes*, quod ventum iis ſignificat. Fortè & *Biſtones*, ultimi Thraciæ populi, hinc nomen accepêre. Hæc raptim ad te, vir maxime, qui, cum nihil ignores, ut temeritati meæ ignoſcas, unicè te rogo.

JOH. ISACIÓ PONTANO
BOXHORNIUS, S. D.

CLariſſime Cognate, & ego quidem vehementer indolui, cum exceſſum Hoeingii veſtri ultimis tuis accepi. Magnam ſane jacturam ſchola veſtra fecit, cui regundæ auctoritate ſua ſolus ille par erat. Nobilis Danus ille, cujus meminiſſe me voluiſti, ſuperioribus diebus à nobis diſceſſit. Amſtelodami nunc agit, brevi aut Angliam aut Galliam viſurus. Faſciculum, quem curæ ejus commiſeras, ad Friſium tranſmiſit. Quod ut nomine ſuo tibi indicarem, juſſit. Statiana Gronovii haud dubie accepiſti. Criticus eſt eruditionis magnæ, & quod rariſſimum, judicii paris. Nonnunqum tamen à via aberrat. De quo plura aliàs. Cyprianum tuum ad me miſit. Quid illi fieri velis, tuum erit indicare. De editione operis Graſwinckeliani nihil certi adhuc ab Ordinibus ſtatutum. Quin tamen prodit urum ſit tandem, nullus ambigo. Quæ ampliſſimus Brinckius veſter notaverat tradita ipſi, & gratiſſima fuere. Agricola noſter poſt ferias, ſi vitam Deus & otium fecerit, prodibit. Quid autem Gelricis tuis fit? Diutius illa differre non debes. Quod de Apologia adverſus Antagoniſtas tuos, Gallum alterum, alterum Leodienſem, edenda nominiq; noſtro inſcribenda promittis, multis nominibus mihi gratiſſimum evenit Ut quamprimum publicã lucem videat, intereſt tua; intereſt religionis, in quam

quam alter adversariorum tuorum impingit; interest veritatis, quam quemadmodum tueris, ita illa non spem tantum, sed fiduciam victoriæ tibi facit; interest denique nostra, qui à te potissimum cupimus doceri. Noli igitur desideria nostra diutius morari Salmasii commentarius de fœnore apud Elzevirios nostros sub prælo est. Horum volui nescius ne esses. Salve, Vir Eruditissime, & me, si quemquam, inter amicos habe. Uxori tuæ, & amicis omnibus bene volo.

Raptim, Lugd. Bat. 1637. *Jul.* 8.

Hoffero nostro discussiones tuæ Historicæ inprimis placuêre. Proximis diebus quantum tibi debeat litteris suis significaturus.

JOH. ISACIO PONTANO BOXHORNIUS, S. PL.

Clarissime Cognate,

CUm penultimæ tuæ mihi redderentur, stabam itineri in Zelandiam accinctus. Atque hæc caussa cur voto tuo in tempore non potuerim respondere. Huic autem occasioni deesse nec volui, nec debui. Mitto ipsum exemplar Johannis à Leidis. Tu ipse facile excerpendum curabis, quod ex re tua videbitur. Adjeci libellum quem vides. Forsan enim in manus tuas hactenus non pervenit. Cum amicis nostris in Zelandiâ optimè agitur. Brevi patruus futurus sum, si Lucina uxori fratris mei velit favere Quod ut fiat animitus voveo. Plura jam nunc ad te volenti alia quædam, ad quæ vocor, injiciunt manum. itaque quod humanitatis tuæ est, ignosces brevitati litterarum. Proximè pluribus tecum agere decrevi.

Raptim, Lugd. Bat. 1637. *Septemb.* 15.

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS, S. D. P.

Zirizæam.

LEidam sospes reversus sum, singulari tuæ comitati inprimis obstrictus, vir amplissime. Filio autem tuo quid factum sit, admodum scire desidero. Metuo ne in morbum inciderit, cum, abeunte me, non parum langueret. Quod si ita sit, doleo vehementissime. Sed aut adventus ejus, qui longè gratissimus eveniet, aut litteræ tuæ, si eas ab occupationibus tuis impetrare liceat, tollere possunt hunc metum. Porro, ut hospitalitati, ac, ut de ceteris jam non dicam, suavissimis ac eruditissimis sermonibus tuis plurimum debere me libens meritoque agnosco, ita audacia exorbitantis ingenii non semel à me peccatum facile mihi persuadeo. Nescio enim quî fiat, quod excusanda semper agam. Sed in humanitate tuâ spem certam repono, futurum ut facile ignoscatur illi, qui omnem animi sui cultum tibi tuisque in perpetuum obtulit, devovit, consecravit. Lemnii libellum de Vitæ Termino proxime Typographo tradam Breda, moris atque existimationis ergo, acriter etiamnum se tuetur. Faxit Optimus Deus ut brevi, & feliciter cum nobilissima illa expeditione transigat Princeps noster. Qui ut ab heroica magnitudine animi non est defectus, ita præsentibus periculis nimium se exponit. Heinsius & Scriverius, ingenii & virtutum tuarum æstimatores summi, officia sua tibi per me deferri voluere. Ut toti familiæ tuæ bene sit, unicè voveo.

Raptissime Lugd. Bat. 1637. *Septemb.* 26.

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

Hagam-Comitis.

Vir illustris,

ET ego quoque inter tot omnium applausus ac gratulationes tacere non debebam. Quippe in Brabantia natus, transactis pueritiæ annis eâ in urbe, quam tam feliciter expugnatam publico gratulamur. Mitto Panegyricæ orationis meæ exemplaria duo, alterum celsissimo Principi offerendum, si ita tibi videatur, alterum vero tibi. Cæterum totus jam sum in consignanda Bredanæ obsidionis historia. Ad quam accuratè persequendam multa requiri satis intelligo. Omnis autem fiducia mihi reposita est in singulari tua humanitate, à quo facile impetraturum me confido, quodcunque ad maximi Principis adeoque totius hujus Reipub. decus ac æternitatem facturum existimabis. Scribo hæc raptim & in Bredani itineris procinctu. Proximis diebus, volente Deo, reversus ipse ad te excurram. Vale, Nobilissime Domine, & inter deditios ac clientes tuos me habe.

Raptim, Lugd. Bat. 1637. Novemb. x.

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

Zirizæam.

Vir amplissime,

INter tot omnium gratulationes, ob felicissimam Bredæ expugnationem, mihi, quamquam probe conscio & ingenii & dicendi tenuitatis, non licuit silere. Qualiscunque autem industriæ meæ documentum ad te fero; in quo placere mihi constitui, si tibi tantum intelligam probari. Breda capta & Poëtas omnes

mnes fecit, & disertos. Semel ferro celsissimi Principis, iterum stylo luxuriantium ingeniorum Hispanus succubuit. Certè tam illustris facinoris memoria in omnium temporum æternitatem superesse debet. Quin ingenio etiam tuo, hoc est, consummato & exacto, in hujus victoriæ prædicatione usus fueris, nullus dubito. Cujus specimen si videre nobis contingat, longè gratissimum eveniet.

Raptim. Lugd. Bat. 1637. Novemb. 24.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS, S. P.

Ziriz.eam.

ET tu verò, Vir amplissime, non uno nomine humanitati tuæ, obstrictum me voluisti. Non satis tibi visum, si me amares & in amoris pignus suavissimo filii tui convictu dignareris, nisi & illa adjiceres, quæ ut mereri non potui, ita sperare non debebam. Itaque vectigalem me tibi potissimum agnosco, & ut aliqua saltim ex parte debito satisfaciam quidquid officiorum à me proficisci poterit, exposcere non dedignaberis. Sed hoc proprium nostræ tenuitatis, quod ut facile devinciri me patior, ita haud facile ex voto alios possim demereri. Cæterum vix verbis assequar, quantum Poëmatum tuorum lectio animum meum affecerit. Quotusquisque est hoc sæculo, qui solidam pietatem cum pari eruditione conjungit? Quod ut rarissimum, ita præcipuè in te commendandum; qui erectam poësim ad divinum, & cœleste argumentum contulisti. Imagines Zirizæorum, qui eruditionis nomine clari, subjecta iis acutissima Elogia tua valde placuêre. Sunt inter prima illustris Heinsii, & quantillæ bibliothecæ meæ ornamenta.

Jussimus archetypos pluteum servare Cleanthas.

Unum Amandum, vestratem etiam, desidero : cujus Chronicon breve quidem , sed, ut illa tempora erant, satis concinnum & eruditum sine dubio vidisti. Intellexi ex filio tuo valetudinem tuam nonnihil turbatam, & eo nomine quam maximè indolui. Tantum meæ ademtum velim (ut in veteri formula est) quantum ad tuam accedat. Vale, Vir incomparabilis, & me amare non desiste. Lectissimam uxorem tuam & familiam omnem plurimum salvere jubeo. Nec reverendis viris Udemanno & Bruynvisshio obsequia mea offerre dedignaberis.

Raptim, Lugd. Bat. 1637.

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S.

Hagam.

QUod superioribus diebus excurrere non licuerit, Vir illustris, partim aëris inclementia, partim adversa valetudo fecere. Nec interea dubito quin parata sint ea, quæ pro incomparabili tua humanitate offerre non es dedignatus. Quæso ne ægrè tibi sit audacia hujus hominis, qui, quo accuratius respondeat temporum ac magni Principis gloriæ, nec non rerum gestarum veritati, comitatis tuæ genium totiens sollicitare non erubescit. Indies alia atque alia in destinatum opus conferuntur; unum tamen illud deest quod nosti. In tua autem manu est, ut honesto desiderio nostro satisfiat. Ego, quemadmodum in eo opere jam sum, in quo locum sibi vendicat illustre tuum nomen, ita in cujusvis obsequii fidem æternum me tibi obstringo. Quod celsissimi Principis beneficio mihi in me ac alios liberali esse licuerit, curæ tuæ potissimum deberi intelligimus. Calendæ Januariæ nemini lætiores, quam . . . . illuxere. Verbis exprimi non potest quantopere in oblatis nummis sibi placuerit. Hac enim liberalitate factum est, ne sub initium

tium anni novi esuriret. Admodum metuo ne pro more operosæ , ... gentis ira porro pergat nugari. Cæterum nos quod spectat, nec ea solvimus quæ tam illustri victoriæ debebantur, & quæ accepimus etiamnum debemus. Vale, sæculi tui immortale decus, & me inter clientes tuos habere non dedigneris.

Raptim, Lugd. Bat. 1638. Jan. 28.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS, S. PL.

Zirizæam.

Vir Amplissime,

CLausum hactenus mare effecit, quo minus hæc litterarum commercia potuerint exerceri. Aperto autem illo committendum non putavi ut in humanitatem tuam longiori silentio peccarem. Epigramma, quod in ruptum aggerem aliquando apud vos conceperam, quanquam tanti non esset, volente tamen filio tuo, prælo fatigari passus sum,ut vides. Spero interea tanto vulneri jam obductam cicatricem, & nos cladem cecinisse cum de remedii successu potius fas esset vobis gratulari. Quod vero vos nuper metuebatis, ira Dei immortalis, nobis jam evenit. Leckani quippe aggeris horrendo hiatu vicinis agris, etiam Leidensibus nostris,tanta vis aquarum incubuit,magisque indies incumbit, ut agrestium calamitatem verbis adsequi non possimus. Porro illud Lemnii vestratis de vitæ Termino jam exercet operas typographorum. Vitam disertissimi Scriptoris paucis complecti & præfigere est animus. Si quid in eam conferendum existimaveris, ut desiderio nostro quamprimum satisfiat, etiam atque etiam rogo. Audio Rectorem scholæ vestræ ad Dordrechtenses abiturum, & proinde commendare apud te volui Richardum Lubbæum, qui eo munere apud Bergizomates meos inpræsens defungitur hominem recti,

& antiqui moris, de cujus integritate, fide & singulari raraque eruditione summa omnia possum & debeo polliceri. Vale, vir amplissime, & de Rocho filio tuo magni quidvis tibi persuade. Lectissimam uxorem tuam, ac familiam omnem plurimum salvere jubeo.

Raptim, Lugd. Bat. 1638. *Febr.* 8.

ROCHO MOGGIO

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. P.

Zirizæam.

QUàm certum est, amicissime Moggi, me siluisse hactenus, tam certò tibi persuadeas velim, interventu gravissimarum occupationum, quas nunc Mevius, nunc Titius imponunt, factum esse, quo minus tempestive, ut par erat, comitati tuæ potuerim respondere. Accedit de Bredana obsidione, spissum ac lentum opus, quod ut gloriæ sæculi est destinatum, ita in singula serio, & accurate exquirenda totum me impendo. Operosæ diligentiæ res est, nec minus invidiæ secum trahit, præsertim temporum gesta fide Annalium complecti. Lædere aliquem intutum est, nec tamen fas est vel silentio vel assentatione impingere in normam veritatis. Quæ ut historiæ anima est, ita solius ejus rationem habere decrevi. Cætera, mei in te animi prolixa officia ac cultum experiri tibi licebit, cum voles. Plura in posterum superaddam, ubi intellexero aliquid ponderis apud te habuisse hanc longioris silentii mei excusationem. Vale vir doctissime, & me, ut cœpisti, amare perge.

Raptim, Lugd. Bat. 1638. *Febr.* 8.

GODE-

GODEFRIDO UDEMANNO
M. Z. BOXHORNIUS
S. D. PL.

Zirizæam.

Vir reverende,

CUm ea, quibus navigationes nostras ex divino humanoque jure eruditissime nuper asseruisti, beneficio Hofferi nostri avidè perlustrarem, impetum cepi ad te scribendi. Placuerunt liberales, & inaffectatæ styli venustates, quemadmodum, cum adessem vobis nuper, os disertum. Placuit instituti tui ratio, quâ non prudentiæ minus, quam pietatis, pro inusitato in patriam affectu, scripto tuo adfudisti. Perges ita porro, si nos & hanc Rempub. amas; nec ea differre integrum erit, quorum in hoc argumento spem jam fecisti. Utinam verò illi, quorum curæ divina providentia commisit ne quid Patria accipiat detrimenti, heroicas conferrent manus ad tollenda ea mala, quibus nisi in tempore tollantur, pessum imus! Sed, quod dolendum inprimis, eo quo Milesii loco stamus, & qui strenui olim, imbelles sumus. Nostrum autem est precibus averruncare iram supremi illius Numinis, quod quorum res eversas vult, consilia corrumpit. Vale, vir eruditissime, & me ama. Amplissimum Hofferum plurimum salvere velim; de ejus autem filio maxima quævis sine fuco, & fallaciis audeo polliceri.

Raptim Lugd. Bat. 1638. *April.* 21.

ADRIANO HOFFERO

BOXHORNIUS, S.P.D.

Ziriżæam.

QUod præter exſpectationem tuam dilatum aliquamdiu, quod veſtratis & denique tuum eſt, tandem ad te venit, Vir ampliſſime. Quis vitæ noſtræ terminus præfixus, & fatalis ille an mobilis, magno illuſtrium ingeniorum ambitu nuper eſt certatum. Quorum omnium conatus Beverovicius noſter, raræ eruditionis Medicus, & excitavit primus, & uno mox volumine conjunctos in publicum emiſit. Sed verò cum non una omnium hac de re ſententia fuerit, in ſectas itum eſt, ut vides. Sive quod nonnullos corripuerit fatalis quædam diſſentiendi libido, proprium & adultum ſæculi noſtri malum; ſive quod plerique omnes juſto liberaliores ſimus in illis excutiendis, quæ quò propius inſpeximus, magis adhuc ignoramus. Profectò incredibilis quædam petulantia eſt animi humani, qui dum arcana cœli & abdita rerum curioſius rimatur, nonnunquam præpoſterè illi legem condit, à quo accipere debebat. Quod nomine ac ſpecie eruditę ſubtilitatis commendant illi, qui eorum, quæ ſcire & poterant & debebant, rudes ſunt ac imperiti. Non ibo extra præſens argumentum, in quo piè verſatus eſt, qui pauciſſimis ſe abſolvit. Vitæ & exceſſus terminum cuique præſcripſit ille rerum omnium, & æternitatis arbiter Deus, à quo quemadmodum eſt quidquid fuit, ita ſolus ipſe eſſe eſt dicendus. Nec enim extra ipſum eſt ex quo dependeat, & proinde fixus, immotus, conſtans eſt nobis noſtriſque, ſicut ſuis & ſibi. Quod qui de Deo & divinis non credit, ipſum negat. Fit igitur neceſſario quidquid fit, quia fit ex eo qui quidquid prævidit, præſcripſit, definivit. Si enim ad actionem attendamus, quàm neceſſaria cauſſa tam neceſſarius eſt effectus. Jam verò prima omnium, immobilis, neceſſaria

cessaria est Deus, ac proinde immobile, necessarium quidquid semel definit. Stupenda autem est sive ratio, sive, ut veteres Christiani loquuntur, Oeconomia providentiæ divinæ: quæ quemadmodum in plerisque media non excludit, ita eandem illis quam extremo eventui necessitatem adsignavit. Media enim veluti caussæ quædam secundæ sunt, ut in scholis loquuntur. Caussæ nimirum quoad ea quæ sequuntur, quemadmodum effecta quoad ea quæ præcedunt. Quod enim unum est sæpe diversas & naturas induit, & appellationes respectu eorum quibus applicatur. Jam verò sine mediis ad id non pervenitur, quod finis loco est & omnia absolvit; adeò ut illa tam necessaria sint, quàm necessarius est ultimus eventus. Ad duo tamen inprimis hic attendendum, & ad proprium hominis, quod est Deum exprimere ac imitari, & ad corrupti animi nostri cæcitatem, qui quid Deo de nobis visum, & quid futurum sit ignorat. Quid autem aliud est Deum imitari, quam iis frui quæ & liberaliter dedit, & quibus eum continuo usum ex præcedentium temporum, & rerum humanarum serie scimus. Inter ea verò sunt illa, quæ media vulgò appellamus. Quæ qui propter fati necessitatem seponit, se à Deo suo, se & suis disjungit. Ad quod accedit, quod sicut per secordiam animorum à futurorum cognitione defecti sumus, ita remedium prudentia invenerit. Quæ quemadmodum nihil certi persuadere sibi potest propter incerta rerum, ita omnia ante eventum cogitat, & omnibus, tam certa de singulis separat. Enimverò ex arbitrio cœlestis providentiæ rerum omnium colligimus necessitatem: quam in universum & in singulis immotam quidem credimus, sed tamen qualis ea in singulis sit ignoramus. Adeo ut singula respectu nostri non necessaria videri possint, quæ necessaria sunt respectu Dei. Proinde pie ac prudenter homo de eventu dubitat, & propter eum deliberat, quem tamen Deus immotum decrevit. Deliberare verò nihil est aliud, quam futura animo complecti, ac de mediis sibi prospicere, quæ & ad promovenda alia, & alia averruncanda, plurimum factura creduntur. Non aliter atque Imperator, quamquam de successu prælii incer-

tus, ordinat tamen aciem ac disponit. Atque ut in omni hac rerum humanarum varietate, ita in Medicina quoque res sese habet. Nemo artem abnuat quam Deus commendavit; fructum cujus & commoda plurimi ante nos sunt experti. Frustra quippe certo aut tempori aut morbo aut loco adscribimus fatalem illam moriendi necessitatem, quam incognitam nobis, soli sibi & tempori & morbo & loco suo, quem nescimus, Deus adsignavit. Frustra vitæ Terminum credimus, ubi spes est vitæ; & præsentem habemus quem ignoramus, quia futurum tantum prædixit ille, qui omnia disponit. Paris quippe omnia necessitatis sunt, & nasci, & ægrotare, & medico uti, & convalescere, & mori. Cœlesti admirandoque illi ordini sapientiæ divinæ & rationi & sibi injuriam facit qui hic à nobis dissentit. Sed verò (quod felix, faustumque sit generi humano & toti prosapiæ Medicorum) pauci tam ægro animo sunt ut malè affecto corpori ab arte præsidium non quærant. Plerique aliter animati sunt cum lasciviam ingenii exercent, aliter cum in statu valetudinis languido sunt & morosо. A seipsis dissentiunt cum morbo affliguntur. Aliter longè disputant, aliter ægrotant. Qui in Schola Medicum contemnunt, lecto affixi vocant eum & admirantur. Hæc apud te paucis præfari visum est, Vir gravissime, dum Lemnium tuum tibi remitto. Cujus accurata hac de re dissertatio, quod in paucorum manibus esset, digna videbatur quæ iterum in publicum exiret. Beneficio autem tuo usi sumus. Quod sine pompa omni candide hic debuimus profiteri. Tu enim ille es, qui singularis cujusdam doctrinæ cultum, & inusitatum in eruditos amorem cum prima dignitate, in quæ administranda graviter, prudenterque versaris, fœlicissime conjunxisti. Exstant prompti ingenii tui publica monumenta, dum à majoribus curis subinde deflectere tibi vacat ad litterarum nostrarum amœnitates. Poësin potissimum, quam Quiritium & patrio sermone cum applausu omnium excoluisti. Ad quæ omnia incredibilem quandam adjicis humanitatem, qua longe inferiorem me agnosco, qui prolixe eam sum expertus. Vale, Patriæ tuæ de-

cus,

cus, & à magnis illis viris, Heinsio & Scriverio, plurimum salve.

Lugd. Bat. 1638. *Kalend. Julij.*

AXELIO TURONIS
Domino in Tranebergh, Fors &c.
M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

QUemadmodum, Axeli Turonis, Juvenis Nobilissime, frustra res cognoscit, qui loqui non potest, ita frustra loquitur qui in re seria sermoni majestatem non impendit. Nam ut aliorum interest ut intelligant, quæ scimus, ita eorum, quæ scimus, ut ita tradantur quemadmodum sciri debent. Proinde qui gloriæ suæ & publico se parant & scire & loqui debent. Scire, ne desit quod loquendum; loqui, ne dicendo decrescat illud quod scitur. Nam & ne quidem loqui videtur, qui res non proponit; & res ne quidem dixisse videbitur, qui dicendi majestatem earum magnitudini non adæquavit. Quam ut omnes non assequuntur, ita potissimum deesse huic seculo videmus. Paucos enim excipio, qui supra pædagogorum ineptias & ingenio & judicio se evexere. Ad quorum imitationem excitatas mentes hac oratione de Majestate Eloquentiæ Romanæ provocare sum conatus. Nam & auctoritas publica & ardor meus eo me impellebant. Tibi autem qualecunque hoc industriæ nostræ argumentum inscriptum imus. Singularis tuus in me amor & quæ supra plebem animi tui dotes, & impetus ad ea quæ in studiis nostris præclara, hujus officii necessitatem mihi imposuere. Fecerunt, amor, ut te deperirem; dotes, ut vel ob solas illas te æstimarem; impetus ut incomparabili huic in tanta fortunæ lascivia contentioni tuæ responderem. Tu pro candore tuo munusculi tenuitatem non aversaberis, quo quemadmodum magnitudinem mei in te animi exprimere non potui, ita

ejus experimentum, quotiens voles, percepturum te confide. Vale, Nobilissime Juvenum, cum Wijnblatio tuo, quem tecum merito & æstimo & amo.

JOH. ISACIO PONTANO
M. Z. BOXHORNIUS, S. P.

Harderſvicum.

NOn effundam me in multa verba, ut longioris silentii culpam deprecer, Vir Clarissime. Veniam meretur, qui peccasse se agnoscit,& cujusvis diligentiæ pertinaciam in posterum pollicetur. Videndi tui caussa Harderovicum cogitat illustris Heros Oxenstiernius noster, filius magni illius Gabrielis Oxenstiernii, qui Tutoris primi in Zuecorum regno nunc fungitur dignitate. Videbis indolem infinitæ cujusdam humanitatis, & maximæ etiam exspectationi parem. Quidquid in eum contuleris aut per amplissimum Brinckium vel alios conferendum curaveris, pro gloria tua & existimatione erit. Sed ipse satis se tibi præsens commendavit. Pro elegantissimo carmine nuper misso gratias tibi dico; dicunt etiam omnes amici. Quibus adversam valetudinem tuam nuper intelligere molestissimum fuit. Gelricæ Historiæ tuæ desiderio maxime omnes tenemur. Deus te tam præclaris conatibus incolumem diu conservet. Salmasii de Usuris librum vidisse te opinor. Theologis sententiam suam vix probasse videtur. Nosti quàm periculosum sit in ejusmodi argumentis ingenium exercere; præsertim cum contra receptam ab omnibus sententiam in aliam, & novam itur. Obsidionis Bredanæ Historiam, molestum & satis prolixum opus, post ferias nostras, si Deus volet, videbis. Sub finem Augusti & Scriverius, & ego ad te excurrere decrevimus. Heinsii exercitationes sacræ sub finem anni prodibunt. Amores Baudii, edente Scriverio nostro, jam carceres mordent. Vale, Cognate dilectissime, & ut soles, me ama. Ab Heinsio utroque, & Scriverio plurimum salve.

Raptim, Lugd. Bat. 1638. Julij 15.

ELE-

ELEGIA
ADRIANI HOFFERI
Ad
M. Z. BOXHORNIUM.

DUm sol à rapido paulum se contrahit æstu,
Nostraque descendens mitigat arva Canis;
Dum matura Ceres flavis se tollit aristis,
Et suo Triptolemus munera falce metit:
Huc propera, vir docte, & me visurus amicum
Otia da Musis liberiora tuis.
Et caput adstrictum studiis, animumque relaxa
Risibus, & gratis non sine melle jocis.
Hic simul admixtos lætabimur inter amicos,
Quos gravis eloquii detinet aura tui.
Deinde etiam nostris, si quæ sint, gaudia terris
Conspicies, quamvis sint meliora tuis.
Quadrupedum juncto pariter temone vehemur,
Quà tumidum victrix sistit arena mare.
Sin potius captes spatiosis cursibus auras,
Fortia conscindes terga volucris equi.
Illic nos recreant montes, vallesque profundæ;
Sylvaque, & arboribus quæ cadit umbra suis.
Hîc Haamsteda jacet, bibulis contermina clivis,
Et resonans Musis Burga subinde meis.
Tunc Moermonda subit, fastisque inscripta Renissa,
Cum quondam Comiti non bene fida fuit.
Hîc lepus in vacuis deprenditur obvius arvis,
Sæpius & celeri fit bona præda cani.
Multaque arenosis animalcula collibus errant,
Curva quibus terræ est ipsa caverna domus.
Illa premes canibus, si post carecta latebunt,
Aut capies alacres per juga summa feras.
Si tamen ex solitis negat ire cuniculus antris,
Dum latebras vitæ spes facit esse suæ:
Retibus expositis, &, quo decet ordine, varis,
Viverrâ poterit mox præëunte capi.

Si vaga te perdix, si te cassita juvabit,
Has quoque sub maculas aucupis arte trahes.
Adde quod & ramo residens, & in æthere pendens
Auribus argutâ voce placebit avis.
Fluctifragum si littus ames, & in æquore pisces,
Dulcia piscatus præmia, fortè petas:
Proxima verremus sinuatis littora linis,
Quà vario pingues pisce natantur aquæ.
Hic maris assuetæ volucres fulicæque, larique
Concipient rostris furta jocosa suis.
Intereà quàm sit mutabilis unda videbis,
Quamque ferat tristes terra Zelanda vices.
Namque ubi tam lati fluitant nunc ostia Scaldis,
Parvulus antiquo tempore rivus erat.
Nunc fremit Oceanus, tumidisque potentior undis
Exitium nostræ sæpe minatur humo.
Nos tamen objectis arcemus cærula vallis,
Atque ita sollicitum fallimus arte malum.
Sed quod mirandum magis est, vi subdita tellus
Stramineâ tantum veste fatigat onus.
Et quæ plura meus fert oblectamina Scaldis,
Obvia sunt oculis illa futura tuis:
Aspice ut in totum sit delectabilis aër,
Et levis æstivum ventilet aura solum.
Tu modò fac properes, nec te, licet innatet undis,
Et saliat, ventis terreat acta ratis.
Ipse gubernabit venientia carbasa Phœbus,
Diriget & faciles mellea Suada vias.
Sic cum Pieridum labor, & studiosa quiescunt
Mœnia, te recreënt rus, nemus, unda, feræ.
Forsan & hæc nobis poterit prodesse voluptas,
Si modò non possit displicuisse tibi.
Scilicet ingenii sua se post otia virtus
Erigit, & vatum nobile sudat opus.

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO BOXHORNIUS, S.D.PL.

Zirizaam.

Utinam verò & singulari humanitati tuæ & desiderio meo respondere liceret, Vir amplissime! Aliò enim trahor, dum tam comiter me ad vos invitas. Versabar inter amplexus amicorum &, ecce, præter exspectationem intelligo ferias nostras excessisse, quibus novi laboris auspicio proximo die Jovis exsequias imus. De quo cum primum dubitarem, mox Calendariorum omnium consensus necessitatem credendi imposuit. *Noch Italiaenschen Waersegger, noch Almanacken van Geervliet, ofte Antwerpen konnen my jegenwoordigh helpen.* Vides quam magni auctores sint, ex quorum præscripto labores nostros aut otia metimur. Intererit profectò ordinis nostri, & amœnitatis illustriorum ingeniorum, ut publicâ auctoritate in posterum malè consultum sit illis, qui dierum canicularium calculos maximo nostro incommodo tam infeliciter disponunt. Si ejuscemodi agyrtis aqua atque igni, ut olim in Rep. Romana, interdiceretur, ex usu generis humani foret. Sine dubio singulis mensibus caniculam in Kalendariis suis celebrarent, si æstus ejus, qualia nobis, otia etiam illis adferret. Jam verò per illorum nebulonum invidiam minus felices sumus, quia à tam illustris beneficii usu destituuntur. Et ut otia illis nunquam eveniant, præpostera sua diligentia meruere. Querelæ nostræ justissimæ sunt, & ejusdem fere ponderis, cujus illæ parasiti cujusdam apud Plautum, qui ventris sui calamitatem deplorat post horologia inventa; ex quorum judicio cibum capere debebat, cum antea, quotiens visum esset, epulis se expleret. Ignosces ardori meo, Vir amplissime, quem præsens calamitas, quia ad vos excurrere non licet, magis magisque accendit. Ceterà versuum tuorum elegantia inprimis me cepit. Debeo judicio tuo id quod in me non agnosco. Debeo amœnitati ingenii tui, quam existimationi nominis nostri impendisti. Debeo denique singulari huma-

humanitati tuæ, cui quovis cultu respondere semper decrevi. Invitas me ad delitias urbis vestræ, & agri circumjecti, quas omnes merito tibi postpono. Porro equum offers in equestri arte non versato. Quid dicturum existimas, amicum tuum, D. Marci equitem, si collegam acciperet equitem pulverulentum? Domi subinde caballus me exercet, sed tam honestæ ac compositæ indolis est, ut inter familiares meos Suetonii Tranquilli meruerit cognomentum, existimantibus aliis ob tarditatem incessus cum Plauto Asinium appellari oportere. Ita modestiam innocentissimi animalis ingeniorum quorundam petulantia proscindit. Piscium, ferarum, aviumque capturam etiam offers. Gratias debeo, quia obtulisti. Sed quid piscatori fieret in aquam prolapso, quid infelici? Natare non possum, qui forsan litteras novi. Nec Delphines præsidio essent, & quia longius à vobis absunt, & quia, vitio familiæ nostræ, infeliciter admodum cano. Et forsan Arion magis in fabulis Poëtarum, quàm inter undas est servatus. Ego autem qualis, quantusque in Musica arte sim, norunt delicatæ aures, quæ, quotiens cantillare occœpi, silentium nostrum præ cæteris commendant. Cum enim puer aliquando Musico traditus essem, incredibili diligentia tantum profeci, ut, annuo spatio exacto, ipsa artis principia adhuc ignorarem. Venationem quod spectat; si retibus res gerenda, nimis lentæ sunt amœnitates; si canibus, metuo Actæonis fortunam. Pluribus jocari vellem, vir maxime, sed nec tibi legere ineptias nostras vacat, nec mihi scribere, dum ad prælium atrocissimum me accingo. Proximo enim Jovis die adversus Cæsarem cum Pompeio sum pugnaturus. Non quod bellis civilibus obnoxius mihi sit animus, sed quia Lucanus meus eo me vocat, scriptor gravissimus, & cujus auspicio extra omnem periculorum aleam positus, victor ac immotus consistam: Certè longè aliter atque illi, qui ad Calloäm, aut Geldram nuper tam improsperè rem gessêre. Vale, vir amplissime, & audaciæ meæ ignosce. Uxori tuæ matronæ integerrimæ, liberisque omnibus devinctum me agnosco.

Raptim, Lillöæ 1638, *Septemb.* 23.

Moggius

Moggius tuus, meusque misso elegantissimo carmine nuper admodum me obstrinxit. Plurimum salvere eum cupio, responsurus quamprimum fuero domum reversus.

JOHANNI BEVEROVICIO

M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

QUid, Bevrovice, Terminum vitæ petis
A me explicatum? sitne decretus Deo,
Suusque vitæ semper & morti suus
Nunquam movendus? sitne sistendus dies
Funestus ille, dirus, illætabilis,
Manu medentum? tempus an præoccupet
Vitæ statutum carnifex Cato sui?
Stupenda quæris, digna quæ polo sata
Tantum reponant & recludant pectora.
Mens vestra talis, maximarum particeps
Et plena rerum, digna quæ mysterio
Præsit verendo, quo nec intricatius
Nec majus ullum disputant omnes Sophi.
Proinde quid me destitutum ab omnibus,
Vir summe, poscis? qui nec interpres Deûm,
Nec sævientûm scriba Parcarum fui,
Nec fata novi? Nunquid est tibi satis
Tot magna sæcli nomina hoc libro legi,
Et inter illa quod superbit Heinsii
Illustre nomen? Solus hic pro millibus,
Rex eruditæ gentis, &, quod haud ulli datum,
Qui mente penetrat, cuncta; quæ cuncti sciunt
Complexus unus; atque omnis simul
Quid ergo poscis? Heinsius dixit satis,
Quamque ille dixit approbo sententiam.
Hæc Woelewicæ, (villa quæ Scriverii est,
Qui te salutat æstimatque plurimum)
Raptim exarabat principe Octobris die
Tuo dicatus nomini Boxhornius.

JOH.

JOH. ISACIO PONTANO
BOXHORNIUS, S. P.

Harderſvicum.

Clariſſime Cognate,

MItto ad te Orationem funebrem, nuper dictam diſcipulo quondam tuo (cujus beneficii etiam honorificam mentionem injecimus) Collegæ autem noſtro, Danieli Sinapio. Scripſeram ad te nuper, addito Epigrammate in Hiſtoriam Gelricam, quam brevi prodituram intelligo. An acceperis nondum ſcio. Scire tamen inprimis velim, ut & quo valetudo tua ſit loco, quam tot laboribus, & inuſitata illa diligentia non parum læſam eſſe amici tui ad nos retulerunt. Hiſtoria Obſidionis Bredanæ ſub finem anni in lucem progredi audebit. Hactenus ſingula hinc inde petenda, & non ſine magna moleſtia digerenda fuere. Nuperus morbus meus, qui me adhuc per intervalla exercet, ardori nonnihil ſufflaminis injecit. Superabimus tamen omnia, ſi Deus volet. Neſcio an videris Florum apud Elzevirios noſtros editum, cui ſub calcem Julium Ampelium, cujus Sidonius alibi meminit, auctorem hactenus non editum, & breviter orbis hiſtoriam quaſi per locos communes perſequentem, Salmaſius noſter adjecit. Accepi ex nonnullis in eo te eſſe ut concinnes Bibliothecam doctrina, & fama illuſtrium fœminarum, egregio hercle inſtituto. Pergas quæſo, & erit forſan in Bibliotheca noſtra quo juvare te licebit. Berovicius ſimile quid dicebatur meditari. Sed aliud longe eſt argumentum. Quippe eas tantum Philoſophorum, Medicorumque quæſtiones amœniores perſequitur, quæ ſexum illum concernunt, quem cur ſequiorem dixerint Romani, equidem neſcio. Vale, amiciſſime Cognate, & me ama. Uxorem tuam, omnemque familiam ſeriò ſalvere jubeo.

Raptim, Lugd. Bat. 1638. Novemb. 7.

JOH. ISACIO PONTANO

BOXHORNIUS S.

Clarissime Cognate,

TUas diu exspectatas tandem accepi, eo animo quo istas soleo quibus tristissima nunciantur. Doleo, & ex animo doleo afflictam adeo valetudinem tuam. Spero tamen futurum, ut Optimus ille Maximusque Deus te restituat tibi ac Reipub. litterariæ, quam multis nominibus tibi devinctam pluribus adhuc posses demereri. Velim, quamprimum Gelrica tua prodierint, videre exemplar. Teneor enim eo legendi desiderio, ut majus unquam mihi fuisse non meminerim. Superioribus diebus apud me Hortensius noster fuit, quem in Italiam ante menses aliquot abiisse acceperam. Narravit dilatum iter in proximi anni vernam tempestatem. Iturus tamen non est, si verum sit, quod ex Collega meo Golio audivi, Galilæum de Galilæis pluribus additum. Quod si verum, maximam in acutissimi illius viri morte jacturam disciplinæ Mathematicæ fecerunt. Provectæ jam erat ætatis, &, quod miserrimum, utroque oculo captus. Scriptum ab eo Systema mundi, & Latio donatum ab optimo virorum Berneggero nostro ad te Argentorato nuper demum missum intellexi. Quis tam lentus alieni negotii curator fuerit, scio juxta cum ignavissimis. Casauboni Epistolæ prodierunt. Gaudeo editas. Quippe multa me docuerunt. Fuit in eo homine de magnitudine & probitatis & eruditionis assiduum pulcherrimumque certamen. Tales mori non debebant. Vale, & Deus te multos adhuc annos servet, mi Cognate, quem in animo & oculis quotidie fero.

Raptim, Lugd. Bat. 1638. Novemb. 24.

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Zirizæam.

MOriar igitur ingratus, Vir Amplissime. Nec id tam ab animo nostro est, quam magnitudine tuorum beneficiornm, quibus majus nuper pondus adjecisti Integra vera apud me est illustris doni tui æstimatio. Quo nec tu innocentiam meam à recto transversam agere voluisti; nec ego corruptus sum, ut plurimi eorum qui hodie in republ. versantur. Accipe igitur candidissimi hominis confessionem, qui exsequi non potuit quæ destinaverat, & tamen accepit quæ meruisse debebat. De excessu porro Cunæi nostri quid scripturus sim aut non scripturus vix scio. Amisit Academia nostra virum incomparabilem, & in quo omnem splendoris sui jacturam ac famæ fecit. Mori profecto non debebant, qui quotidie non nascuntur. Lachrymas meas in sinum tuum nunc effunderem, sed eas per filium accepisse te intelligo. Nescio an credere debeam, quæ de Barlæi & Pontani nostri pari fato superioribus diebus referebantur. Certe non libenter credo. Uterque tamen cum morbo gravissimo conflictatur. Si sic mori pergant eruditi, quid, quæso, futurum est sæculo nostro, quo à plerisque, inominato quodam odio ac contemptu litterarum, magnis passibus ad Barbariem itur? Optimus Deus te patriæ, & nobis diutissime servet, Vir amplissime.

Raptim, Lugd. Batav. 1638. *Decemb.* 15.

ROCHO

ROCHO MOGGIO
BOXHORNIUS S.D.

Zirizaam.

QUod felix sit faustumque, Moggi amicissime, vi morbi propemodum novissimi oppressus hactenus & tantum non exstinctus pristinæ valetudinis robur indies colligo. Vides autem quid ob febrem laudatam mihi evenerit, quæ ne ingrata esset, meo me exemplo falsi convicit, & ne sine collega noceret, Aphthas etiam injecit. Cum his hostibus tantum mihi negotii fuit, ut interea de turbatis Germaniæ, & afflictis Belgarum rebus, multò minus de matrimonio, ad quod serio me invitas, cogitare licuerit. Næ tu es homo facetissimus, qui apud querulum adhuc, & ex morbo languentem de nuptiis verba facere voluisti. Gratias ago pro Epithalamiis, & ingenium tuum æstimo. Debeo etiam ob sapientiæ præcepta. De conjugio autem quid statuendum sit, respondeo nondum liquere, & amplius deliberandum censeo. Et cum tam diversæ ævi omnis sapientum hac de re sententiæ fuerint, hodie aut cras Senatusconsultum condendum non existimo. Justinianum vestrum cum viderem, verba ejus me terruêre. Nuptiæ sunt unius viri & fœminæ conjunctio. Ubi est illa animorum? Continent individuam vitæ societatem. Perpetuæ igitur illorum calamitates, qui Xantippen domum duxere. Ne tamen temerè aut tu me monuisse videaris, aut ego consilii tui rationem sequar, ad hæc pauca velim mihi respondeas. Cur sequiorem fœminarum sexum appellavit populus Romanus? Quare homines proletarii inter vilissimos habebantur? Quid magis Trojæ nocuit an Paris, ob perfidiam, an verò Helena ob pulchritudinem? An male fuit Boxhornio uxorem hactenus non habenti? Num melius futurum si haberet? Quamobrem Amazones viros non admisêre? Vides ex eo, amari posse, quæ amantem odere. Nos crurifragium appel-

appellamus. Quod tamen ne dedecori esse existimes, ætatis nostræ maximo Regi in Hispania evenit. Nuper in somnio dominam ejusmodi mihi finxeram, & experrectus ac poëta factus ita eam compellavi;

Te placuisse mihi doleo, suavissima rerum,
Sed me plus doleo non placuisse tibi.

Denique quæro an plures tales sint, qualis tua? Et, si sint, An Boxhornius possit mereri? Exemplo enim tuo uti voluisti. Vale, amicissime, ac me ama; sed & iterum atque iterum considera, num mihi expediat nomen habere inter illos, qui Patres aut mariti vulgò appellantur. Iterum vale, & lituris ignosce. Nec enim tam scripsi hæc quam festinavi.

Raptim, 15. Decemb. 1638. *Lugd. Bat.*

JOH. ISACIO PONTANO
BOXHORNIUS, S.D.P.

Harderswicum.

Vir Eruditissime,

ITerum ad te scribo, non tam ut meis tuas eliciam (quomodo enim nunc molestus esse tibi ausim?) quam ut de valetudine tua me inprimis sollicitum esse intelligas. Libenter autem ex Acronio vestro accepi de morbi tui atrocitate aliquid remissum; sed & ad finem perductam Gelrorum Historiam, maximoque Ordinum applausu exceptam. Me miserum vero quod nondum videre eam contigerit! Si scires, quanti te faciam, quanto me gaudio operum tuorum lectio perfundat, quantum fructus ex iis reportem, quantum tibi debeam, & debere adhuc velim, desiderio nostro jam jam satisfaceres. Si quid obtinere à te possim, id mihi beneficium præstes velim. Et si bene humanitatem tuam novi jam desiderio meo est satisfactum. Nos superioribus diebus extulimus unicum fere Academiæ

nostræ ornamentum, Petrum Cunæum. Justa illi facta sunt eâ oratione, quam hic vides. Quid futurum existimas, si in hac barbarie, & inscitia sæculi, tam illustria ingenia, Fata nobis porrò eant ereptum? Vale meum, & ætatis tuæ decus. Hofferus noster quidvis tibi defert. Litteras ejus, quæ meis nuper additæ, accepisse te opinor. Iterum vale, & me ama. Iterum quoque Gelrica tua flagito. Ignosce tamen audaciæ hominis, qui tui, tuorumque æstimationem omnibus præponit.

Raptim, Lugd. Bat. 1638.

Vigilia nativitatis Christi.

VINCENTIO FABRICIO S. P. D.

M. Z. BOXHORNIUS.

Trajectum ad Rhenum.

Amicissime Cognate,

MIraberis forsan tam arctæ necessitudinis nomen à me usurpari, cum consanguinitatis vinculo, quod sciam, conjuncti non simus. Ausus tamen sum ita apud te ordiri, insuper habitis quæ à JCtis vestris de cognationum gradibus operose disputantur. Solius Labeonis auctoritatem jam sequor, cui cognati sunt, qui commune nascendi initium habuerunt. Quod in nobis verum esse, ipse me docuisti, mortalium suavissime, cum Natalem nostrum, qui idem tuus est, eruditissimo carmine ante biennium celebrares. Et, profecto, ita est; eodem die inquilini terrarum uterque facti sumus. Gemelli sumus, nisi quod eandem matrem non agnoscimus. Ejusdem syderis sive favorem sive inclementiam experimur, si standum sit sententiæ Genethliacorum, quibus si genesis nostra excutienda foret, unâ fidelia duos parietes dealbarem. Itaque merito te sic appello, mi cognate. Et, si gradatim cognati, teste Ulpiano vestro, ad bonorum possessionem admittantur,

jure

jure donationis inter vivos, hunc animum meum sine vi, metu, doloque lubens tibi transcribo. Quicquid per eum exsequi voles, arbitratus tuus nunc & ęternum esto. Utinam vero hodie Zuerius tuus Lucum,

Pocula potilet,
Adstet, accipiat, tibi propinet ut bibas?

Adderemus, si ita tibi videretur, fumi aliquid, cujus delicias veterum ætate incognitas fuisse facile tibi persuasére. At vero cum loco divisi simus, votis me absolvo.

Qui pariter nati pariter vivamus, amice;
Tam bene conjunctos non male jungit amor.

Plures versus in sinum tuum effundere decreveram, sed ad aurium tuarum delicias adsurgere non licebat. Vale jucundissime Cognate.

Raptim Lugd. Bat. 1638. *ipso natali nostro.*

VINCENTIO FABRICIO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

Ultrajecti ad Rhenum.

IN nupera Poëmatum tuorum editione excitati ingenii nec minoris doctrinæ indolem, in cæteris humanitatem tuam libenter agnosco, juvenis eruditissime. Qui quicquid antiquæ venustatis est animo complexus, & nunc publico testatus, eorum tibi famam devinxisti, quos, quanquam plerique eorum paria haud possem, commendatos voluisti. Quid natali meo futurum sit nunc video, de Epicedii autore nondum sollicitus, quamvis eam curam atrocissimus morbus nuper injecerat. Ceterum, quoties tua evolvo (evolvo autem sæpissime) faciunt, ut absentem te vix feram. Redde te aliquando nobis, aut, si id non liceat, experiri velim, quantum pro te possim, candore, æstimatione tui,

tur, amicitiæ denique constantia cessurus nemini. Vale Corculum Musarum,

Raptim Lugd Bat. 10. *Januar.* 1639.

Qui ex voto tibi eveniat.

GABRIELI OXENSTIERNIO,

Gabr. fil. lib. Baroni &c.

M. Z. BOXHORNIUS, S. P.

QUantum vero tibi debes, tantum desideriis nostris subtractum ivisti, illustris Domine. Et nisi maximi parentis tui ac publica exspectatio aliò te vocarent, jure sistendi meritò ageremus. Ad Galliam enim nunc contendis, quæ te pridem nobis invidit. Qui Academiæ nostrę adscriptus Gabrielis & Axelii Oxenstierniorum, patris patruique tui, summorum heroum, virtute ac fama usus, tuam insuper contulisti. Nec jam votis tecum agam, cum quibus natus es, & quæ superasti. Quod Batavia omnis & nos privatim publico testamur. Quamquam enim nemo de te majora alii, quam tibi credat, pietatis tamen nostræ officium impulisti. Qui de te magis nobis, quam tu forsan tibi, gratulamur. Leyda, quam post patriam incoleres, prima fuit. Ubi itineris molestias amore litterarum dispunxisti. In quibus tanto magis progressus es, quanto propius illos contingebas qui earum benificio in Republ. inclaruere. Ante omnia ævi cujusvis historia in delitiis erat, quæ ut Persarum primum, mox Græciæ, dein Romanorum factis se commendat, ita eam quæ horum temporum adjecisti: cum male de hoc sæculo judicet qui ad vetus tantum adtendit. Quod divini Regis tui exemplo acceperas, qui cum Alexandros & Cæsares post se reliquerit, de ingratitudine expostulat cum ætate; & omnia indeptus ac meritus, existimationi quoque omnium ac famæ insertus, nescio, quo fato, cum secordia tantum aut defectu illustrium ingeniorum colluctatur. Quod ne pa-

tiatur diutius, gentis tuæ & terrarum orbis interesse existimamus. Tacitos aut non habet ætas nostra, aut non agnoscit. Quo scriptore abdita Imperii ac Principum nemo altius indagavit. Cujus amore capto tibi viam præire me voluisti, ut diligentiam potius nostram quam ingenium æstimares. Et ne artem dicendi postponeres, subinde ad me accessisti, cum declamatorum more, nato aut defuncto Rege vacuam vel occupatam Rempubl. fingeremus. Nec nostrum judicium aspernatus es. Quod, cum laudanda omnia faceres, sæpe præveneras. Ex Philosophia autem modum tenuisti, gravi ac seriæ tantum intentus; nec masculam indolem tuam non profuturis occupasti. Intelligebas enim, quod in sapientia primum est, quid fortunæ tuæ deberes. quam aut nesciunt aut avertunt, qui, fatali fere ingeniorum contagione, inter acumina captionum, ac otiosorum somnia jactati, ut vetulæ Sabinorum, delirant potius quam excoluntur. Itaque labores tuos ad bonas artes recte atque ordine contulisti. In quis & architectura militiæ fuit, ex cujus præscripto in charta, velut hostico, opera & arces meditabaris, minoribus, hercule, quam ad Bredam nuper periculis ac impensis. Namque castra etiam metatus es. Quæ inspicere quidem nobis, ingredi autem non licebat. quorum circinus Dux ac Imperator; & numeri instar militis erant. Ante omnia vero severioribus, Politicæ inprimis, satisfacere solebas. In quibus ea & celeritate & temporis æstimatione versatus es, ut cum studiis ac tuorum votis jam propemodum transegeris. Curas tamen aliquando remisisti, cum opus; sive corporis caussa, ne dum se intendit semper animus, sterteret illud ac jaceret; sive etiam animi, cui ferias, quamquam extra caniculæ æstum, non tam otii, quam laboris, qui antecessit & sequitur, gratia subinde adsignamus. Cœlum illud, quod spectas, tantum in perpetuo motu est & nunquam fatigatur. Tempus, quia nunquam quiescit, solœcismum sæpe facit, & ideo annos intercalamus. Jupiter apud Homerum nostrum, fractus scilicet rerum curis, ad Æthiopum convivium vocatur, ali-

aliquando & accedit. Exercitationes verò tuæ quam honestæ, quam compositæ? quæ oblectamenta tua, non occupationes. Usus inter otia tempore, fallere noluisti. Pilam agitare, equum conscendere, & imagine pugnæ defungi, aliquando rus excurrere, &c, ut ille olim, inter agros veluti in Musæo philosophari; altitudinem istic solis aut turrium ex radiis seu umbra noscere, campos sine termino inter se partiri, fingere hostem qui non est, castra metari, in quibus nec aquilæ, nec legiones, condere castellum in media Batavia, ubi non opus, & animo complecti quæ istic nec facta sunt nec eventura, remissiones tuæ, & eorum quæ domi didiceras exercitationes erant. Nonnunquam ad aulam, quæ in proximo est, deflectebas, tam cognoscendæ ejus cupidus, quam à vitiis illorum alienus, qui in eâ non nisi delitias & inania rerum consectantur. Ibi tu inspicere quidquid magnum; congredi cum primis; & tu non magis eorum consortia, quam illi tuum æstimare. Memini cum celsissimo Principi nostro te probares, qui ut magnitudinem rerum publico, ita comitatem suam privatim tibi testabatur. Inter viros enim principes eductus jam consuescere cum illis didiceras. Eadem in castris, & cum agmen nuper duceret, tui ratio erat. Quæ enim militiæ nostræ forma noscere, ad curas tuas pertinere existimasti, Musarum partim & Martis candidatus. Instituto gentis tuæ, quæ cum utrumq; conjungat, jam excellit; & pro hac sæculi tempestate in quam devecti sumus; qua fato aut ambitione Principum commisso terrarum orbe togæ ac belli artibus opus est inprimis illis qui Reipubl. commodis destinantur. Neque enim quis melius profecit, quam qui ea excussit quæ in rerum administratione locum, in viro usum habent. Quod qui prætermittunt, ab instituto suo ipsi dissentiunt, & ad Remp. ut Claudius ad amplexus lunæ, aut boves ad ephippia accedunt. Ad ista insuper in Gelriam, Frisiam, Brabantiam iter adjecisti, non ut videres quę tantum referres: quod aliorum potius est, quam tuum; sed ut acciperes quibus animum adornares. Sunt qui illa fere suspiciunt quę eorū manent apud quos spectantur. Placet sibi ingenium in portentis animantiū,

in quibus modum excessit natura, aut defecit. In crepundiis alieni orbis sæpe viri in nostro oblectantur; & quantivis pretii credunt quisquilias Indorum, apud quos nascuntur. Quæ ut obiter etiam inspicere tibi visum, ita prudenter majoribus posthabuisti. Quæ quam nostra erant tam tua fecisti, mores, instituta, leges, imperium, vim gentis. Quę origine modica, cum supra famam & admirationem omnium se evexerit, quid sibi, aliis, hosti, felicitati, virtuti, loco denique debuerit, quantum licebat, discernere didicisti. Quod, quanquam tibi nihil desit domi, ex usu tuo deinceps erit: sive propter exempla, quæ, cujuscunque tandem sint, à magnis ubique æstimantur, & semper prosunt; vel fœderis caussa, cui vestræ nostræque gentes illigatæ, animos hac tempestate, vota & consilia conjungunt. Quæ cum non ignorares, ista nescire noluisti. Et ne frustra tentares, primum domi lectione rerum nostrarum, mox colloquiis judiciisque gnarorum hominum te imbuisti. Quibus nec gravis, cum tempestive, nec curiosior æquo videbaris, cum arcana rerum intelligeres potius quam extorqueres. In hac verò urbe cum primariis congressus comitate omnes devinxisti. Tu tamen pro modestia cultum tui beneficium interpretabaris; cum acceperit qui se tibi impendit. A factionibus & petulantia juventutis nostræ tanto alienior, quanto majoribus, quam cæteri, destinatus. Ea vitæ integritate, ut hanc velut legem illis, qui tuæ gentis, & exemplum aliis reliqueris. Ad quod provocandum deinceps erit. Quod in gloriam tibi, nobis in solatium cedit. Mihi imprimis, qui abesse te vehementer doleo. Hospitio enim nostro excipi, & privatim me virtutum tuarum amplexu præferre voluisti. Ita animatus, ut integra splendoris tui persona, ad omnium æstimationem ac effectum te submitteres. Noveras scilicet heroicam vocem; *Unum se ille ex nobis, & ideo magis excellit, quia se unum ex nobis putat.* Ea dicendi modestia, ut jam tum cæteris major esses, cum animi caussa dissentires; inter sermones varios, quos studia, Resp. occasio, alios atque alios suppeditabant. Quibus injecti joci ac sales,

sed

ſed innocentes, qui cum offenderent neminem, omnes oblectarent; verum epularum ac linguæ condimentum. Præ quo phaſianum & attaginem ſpreverim. Quæ Apicii & Lurconum ſunt, cætera erectæ mentis, & excitatæ. Prandium nobis unius horæ, cæna unius: & cuique alteram fabulando adjiciebamus. Nullum frequentius quam Germania argumentum. Cujus florentiſſimæ gentis caſum dolebamus. Albis & Viſurgis tuæ, Morini noſtræ curæ erant. Et cum quiſque patriæ ſuæ bene cuperet, utriuſque eandem fortunam ac cauſſam fatebamur. Aliquando de Repub. ſecuris Germania qualis ante turbatorem Arminium, Batavia qualis ante Civilem erat videbatur. Non aliter atque prætextatos ſenes in curulibus ſellis ſedentes, velut Deos Genioſque, Gallorum adventum exſpectaſſe accepimus. Ne quis temeritatis nos poſtulet, aut ſine exemplo feciſſe arbitretur Itaque alio ſubinde deflectebamus; ſtudiorum ſcilicet amœnitatem: cum Planaſiam aliquando cum Agrippa, Rhodum cum Tiberio ſecederemus, inter bella aliorum, exilia, cruciatus, extrema ſecuri, immoti. Fuit inter alia cum ea conditione ingenia commiſimus, ut tantum diſſentiremus. Pugnam veſperâ ingreſſi, & mox noctis totius inducias pacti, poſtera luce ad prandium ſimul & certamen concurrebamus. Quas animorum exercitationes imprimis antiqui laudavere? Anima autem omnium & norma temperantia fuit. Ad quam iiſdem præceptis omnes imbuti videbamur. Nec laudaverim niſi ab eâ ſæculi noſtri mores jam eſſent alieni. Fuit cum nunciatâ illuſtri victoria unius poculi modeſtiâ integro triumpho defungeremur. Sed garrulum me dices, illuſtriſſime Domine, & ad Rempubl. non ad movendum, ne palam faciam imperii arcana. Id tamen mihi credas velim, quidquid temporis & rerum tecum exegimus animo meo jucundum & ſemper averſaturum eſſe. Ac ſi, aliud forſan agendo, præſente te non agnoverim, ut mihi ignoſcas rogo. Quod ut fiat humanitatis tuæ ac candoris noſtri intereſſe exiſtimabis. Viri maximi Heinſius, Vorſtius, Scriverius quid tibi velint, ipſe non

ignoras. Vale patriæ tuæ spes maxima & desiderium.

Lugd. Bat. 1639. *Febr.* 24.

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Hagam-Comitis.

QUæ de Somniis nuper admodum disserui, in publicum exire passus sum, Vir illustris, & amœnitatis nostræ arbitrum te potissimum delegi. Adeo ut eodem facinore & stuporem meum, & audaciam prodiderim. Ignosce verò temeritati nostræ, quam magnitudine virtutum tuarum & incredibili comitate impulisti. Si modò vitam mihi Deus produxerit & curas majora se offerent, quibus ex amplissimi nominis tui auspiciis decus ac pondus accedet. Utinam tantum hoc corpusculum, quod perire indies sentio, egregiis animi nostri conatibus responderet! Nescio enim quid post nuperum morbum mihi evenerit; nec valeo, nec ægroto. Historiam tamen obsidionis Bredanæ adversâ valetudine interruptam sæpe aut impeditam, brevi affectam videbis. Fateor quidem paullo diutius eam differri; sed cum Tiberio apud Tacitum semper existimavi, non esse simplices nostras curas; & cautè admodum agendum illis, qui Regum Principumque ad posteros sunt legati. Vale, Vir maxime, & me constanter ama.

Raptim, *Lugd. Bat.* 1639. *Martij* 14.

Velim schedas meas, quas nosti, ad me remitti, ubi commodum tibi & visum fuerit. Vides autem quàm audacem me comitas tua fecerit.

JOH. ISACIO PONTANO
BOXHORNIUS S.

QUod tardius ad tuas respondeam, tu ipse in caussa es, Vir Clarissime. Quippe Gelrica tua ita me affece-

affecerunt, ut finem legendi facere non potuerim, nisi ubi tu scribendi fecisti. Itaque gratias amplissimas tibi debeo, &, si judicium meum desideras, testor te exemplum sæculi supergressum, & ita illustrissimi facinoris omnem gloriam occupasse, ut nullam ejus partem reliquam feceris post ausuris Et jam ad laudem nihil tibi superesse scito; & votis pro longævitate tua non tam tibi, quam nobis, & Reipub. litterariæ est opus. Scriverio nostro exemplar tradidi, quo nihil exspectatum magis, nihil gratius sibi unquam fuisse testatus est. Historia nostra Bredana brevi lucem videbit. Nec mirum tibi videri debet eam in hunc usque diem dilatam, quia temporis spatio opus fuit ad excutienda singula quæ si non alio nomine, saltem veritatis gloria, se commendabunt. Atque inter istas quidem occupationes nonnihil temporis somnio dedimus, in cujus laudem integram orationem contulimus, ut vides. Velim nobili viro Ernesto Brinchio gratias meo nomine agi, ob transmissum Syllabum eruditarum fœminarum. In quarum gratiam Bibliothecam meam, & amicorum scrinia nuper excussi. Deprehendi autem non pœnitendum earum numerum, quæ vulgò ignorantur. Si tibi animus sit pergere in eo, quod aliquando cœpisse te intelligo, lubens qualiacunque mea transmittam, sin verò tibi visum lampada mihi tradere, ut tua non deneges, unicè rogo. Vale, magnum sæculi ornamentum, & diu & sospes vive.

Raptim, Lugd. Bat. 1639. *April.* 15.

De MSS. tuis apud Scriverium nostrum seriò sum acturus. Lentum enim illud nomen est, ut nosti. Cyprianum tuum mihi tradidit Gronovius, qui hodie in Angliam contendit. Martyrologium Ravii se mihi redditurum Thysius promisit. Hæc scripseram, &, ecce, incidit in manus meas Decretum Sacræ congregationis Illustrissimorum S. R. E. Cardinalium, conditum sub Paulo Papa V. anno 1616. editum Romæ. In quo c-sertim *Rerum & urbis Amstelodamensium historia, Authore Johanne Isacio Pontano, tanquam perniciosissima, & innumeris erroribus, hæresibus, blasphemiis atque calumniis scatens damnatur.* Ipsa tibi verba retuli, ut sacerrimorum

morum istorum patrum operosas ineptias videres. Ipsum Exemplar penes me est. Si desiderare te intelligam, libenter transmittam. Iterum vale.

In decretum hoc Cardinalium ita lusit

JACOBUS ZEVECOTIUS.

Amstelodamensis quem scripsit Isacius Urbis
Damnavit verò Roma inimica Librum.
Non satis Urbanum te tunc, Urbane, probasti,
Ad Barbarinum, Barbare Papa, redi.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS, S. D. PL.

Zirizæam.

Virorum amplissime,

DUm abitum ad vos paro & litteræ tuæ, & pariter novæ curæ offeruntur. Gratias tibi habeo pro perpetua illa humanitate tua quas possum maximas. Nec minus mihi ipse irascor aliis nunc occupato. Equidem quidvis desideriis tuis ac affectui in me tuo libenter postponerem, si liceret. Sed urgent alia, atque alia, publica & privata. Et hic distineor, & donum, & ad te vocor. Cur dubites, quin aliquid hic sit DULCE MEUM? Qui neminem hactenus odimus; forsan unam nunc amamus.

Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.

Sed deliberamus adhuc potius, quam decernimus. Et arcana Imperii non sunt vulganda mihi, palam tamen semper facturo quo animo, quantoque exosculer incredibilem tuam comitatem. Vale, vir patriæ tuæ & amicorum bono nate. Vale cum lectissima uxore, cum lectissimis liberis tuis.

Raptim Middelburgi, 1639. *Aug.* 18.

VA-

VALERIO ANDREÆ,

M. Z. BOXHORNIUS, S.

Lovaninm.

Litteræ tuæ hesterno demum die mihi traditæ sunt, Vir clarissime, gaudeo tibi visos labores nostros probatosque: imprimis oblatam mihi nunc occasionem testandi, quanti semper fecerim facturusque sim summum illum candorem tuum, & eruditionem. Hanc ex scriptis aliis, istum ex insigni ista Bibliotheca tua jam olim collegi. Demeruisti tibi profectò multorum memoriam ac famam; tam diligenter undique conquisitis, qui eruditione ac scriptis vulgatis, in Belgio hoc nostro, cum cæterarum gentium invidia, tot ac tanti inclaruêre. Perge ita, Vir eruditissime, & primas illas, adeoque laudabiles curas secundis nunc absolve. Vel enim hoc tantum nomine & prior, & hæc, & post futura ętas industriæ tuæ plurimum debebit. Hunc verò à me nonnulla observata, quæ, quia pro instituto tuo factura, & desiderari à te intelligo, libenter admodum proximè transmittam. Nunc enim non licet, festinante illo, qui has tibi est traditurus. Gratias verò plurimas; judicio tuo debeo, quo hic homo, nullâ adhuc doctrinâ, multo tamen amore ejus, ac æstimatione instructus, dignus tibi creditur, qui

Se quoque Principibus permixtum agnoscat Achivis.

Pleraque pueri scripsimus, ut vides, & jubentibus amicis, in vulgus exire passi sumus. In quo si quis temeritatem nostram notandam existimaverit, solatio fuerit illud Quintiliani, *Audendum aliquid esse primâ ætate, dum & venia est, & spes, & favor, & audere non dedecet, & si quid desit operi, ætas possit supplere.* Saltem diligentiæ laudem nemo nobis negaturus est. Cunæus noster vivere & scribere desiit, plurium numero adscriptus. Orationes suas vulgandas filio commisit. Heinsius noster vivit floretque, cujus Sacræ

Exercitationes, opus ingens & eruditum, superioribus diebus prodiere. Sed quæ huc factura videbuntur, proximè pluribus indicabo. Vale, vir clarissime, & bono litterarum diu sospes vive. Salutat te magnus Heinsius noster. Illustri viro Puteano vestro, nisi grave est, obsequia mea velim offerri.

Raptim, Lugd. Bat. 1639. 8. Eidus Sept.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Ziriz æam.

Amplissime Virorum,

HEsterno die domum reversus sum post gravissimas occupationes. Quæ enim non agenda, quæ non dicenda fuere, ut unius virginis pectus suavissimum expugnarem? Vis tibi compendio perstringam quotidianas meas in Zelandia prælectiones? Audebo sane, ut intelligas quàm amœnum fuerit illud, in quo versati sumus, argumentum. Præfandum erat, Professorem eloquentiæ ad studiorum crepundia & Grammaticam labi. Primam Conjugationem ordiri & Amare. In eâ Passivum Activo præferri. Solitudinem declinare. Inter casus Genitivum, inter particulas orationis Conjunctiones omnium auctores esse. In poësi, Amo primâ brevi esse, & ideo longas moras necti non oportere. Epithalamia Heroum versibus celebrari. Aurea Veneris opera Homeri annalibus efferri. Qui cum cæcus esset sentire potuit, quæ non vidit. Deësse hodie Poëtis argumenta, dum negotia Reipubl. lente aut frustra geruntur. A me autem argumentum amicis deberi. Hofferos, Heinsios, Scriverios inter eos primos esse. Laborare jam Professoris eloquentiæ partes, qui nisi virgini amores persuaserit, actum esse de usu nobilissimæ artis, ac pariter fama nostra & existimatione. Verba suspensa ac dubia, qualia puellarum, summa vitia esse orationis. In Anthologiis & Florilegiis Germano-

manorum Nuptiarum titulo plures paginas occupari. Amores ac fidem conjugum inter facta ac dicta summorum hominum referri. In Mathematicis amorem punctum esse indivisibile. In Arithmeticis unitatem non numerum, sed ejus principium; par primum, ex sententia Pythagoræ, omnium perfectissimum. In nuptiis multiplicari

Liberum gregem parvum,
Parvos Quirites.

Ab Astronomis inter sidera etiam Virginem, sed & Geminos referri. Quos non nisi sublatâ matris virginitate nasci potuisse. In Geographicis, ubique gentium Matres esse, & amasios. Et cum ad Historiam flecterem, præcipue Romanam, delitias meas Tacitum, nisi fallor, in partes vocabam. Urbem Romam à principio Reges habuisse. A quîs raptu Sabinarum negatas nuptias merito vindicatas. Non præferendos mihi esse, qui dignitatibus & ambitione in administratione Reipub. utuntur. Nam non Syllæ, non Cinnæ longam fuisse dominationem. Mercatorum fortunas incertis tempestatum jactari. Periculosum esse Virgini viduos amplecti, & Novercæ odio laborare ante acceptam Matris dignitatem. Id Liviam docuisse, gravem Reipubl. Matrem, gravem domui Cæsarum Novercam. Sapientiam professis quieta studia, & iter ambitione vacuum ad famam aperiri. Hæc & alia tum nobis meditata, & parum abest, quin virgini lectissimæ jam sint persuasa. Adeo ut vix quidquam jam restet, nisi ut relicta triviali contubernalium Schola, ad Academiam hanc nostram promta, post inauguralem de Nuptiis disputationem, ex auctoritate Magnifici Parentis sui, Matris titulum accipiat, & dignitatem. Horum voluî nescius ne esses, Vir amplissime; qui secundis litteris tam liberaliter me invitato, omnes humanitatis numeros implesti. Erit, ut spero, aliquando, cum virtutes tuas præsenti mihi, ut olim, licebit venerari. Iterum vale.

Raptim. Lugd. Bat. 1639. *Novemb.* 12.

Bene sit uxori tuæ, & liberis lectissimis.

CARMEN
ADRIANI HOFFERI
Quo superiori Epistolæ ex parte respondet.

Siccine, cui primis facundia claruit annis,
Linguaque vel magnis vix imitanda viris;
Qui toties Batavo, Cultissime Marce, Lycæo
Eloquii applausus nobilioris habes;
Laberis ad primas, puerique crepundia, partes,
Grammaticesque tibi dogmata trita placent?
Atque iterum docto crambe neglecta palato,
Ponitur ante oculos illa recocta tuos?
Res nova. Quid facias? Domina dum quæris amorem,
Hac quoque, si possis, arte placere cupis.
Totus amas, *totâque à virgine poscis* amari,
Conjuga *sic recitas prima elementa scholæ.*
Passivum *præfers, sed in hoc, me judice, peccas,*
Non patitur *quisquam, ni prius alter* agat.
Quid juvat amplexus mulier passura *jugales,*
Si vir habet pigro languida membra toro?
Declinas *soliloquium*; Conjuncta *requiris*;
Spesque placet, Casus *quam* Genitivus *habet.*
Pace tua liceat tamen hîc junxisse Dativum,
Quo sine nil genii vox Genitiva *tenet.*
Vera loquor, nam si careat res illius usu,
Accusanda *vides hinc tibi facta sequi.*
Dicite Grammatici, cur postera regna Dativus
Occupet, & genitum *pone sequatur opus?*
Corripitur *metris* Amor, *& non longus* Amanti
Esse cupit, brevitas *hac in* Amore *placet.*
Persuadere tuum tamen est; facundia *flammas*
Mulceat, & longas diluat arte moras.
Ut Cytheræa suum bene per Genitiva Dativum
Misceat, unitas detque coïre faces.
Fausta precor thalamo, postquam persuaseris illi,
Casus *inest illic, hic erit* artis *opus.*

RICHAR-

RICHARDO LUBBÆO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

Bergam ad Zomam.

Vir Clarissime,

DOmum reversus Hortensium nostrum in ipso ætatis flore, atroci tabe absumptum exstinctumque intelligo. Et sane doleo hoc nomine quam maxime. Amisit litteraria Respub. virum eruditionis & industriæ summæ, à cujus ingenio maxima quisque exspectabat. Et plurima jam pene absolverat, quorum edendorum spes fato tam immaturo omnino est intercepta. Amisimus uterque amicum candidissimum, cujus indolem ad omne humanitatis & officiorum genus factam cum maxima animi ægritudine jam recolo, &, quamvis pro merito non possim, tamen prædicare nunquam desistam. Sed hæc divinæ providentiæ sunt arcana, quæ, ut mortalibus fas est, venerabundi admiramur. Opusculum quoque tuum, quod nomini nostro consecratum voluisti, quod ille mecum faciebat maximi, cujus denique edendi curam susceperat, hactenus morbo ejus, nunc extremis debet, quod nondum in lucem prodierit. Aliam igitur viam insistam, & faxo ut fidem meam intelligas, in iis procurandis quibus justo desiderio tuo satisfiat. Caussam intelligis, ob quam mihi agnoscas. Vale, Vir doctissime, quem inter primos amicorum ut hactenus habui, ita semper sum habiturus.

Raptissime Lugd. Bat. 13. *Septemb.* 1639.

JOH. ISACIO PONTANO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

Vir Clarissime,

ANte triduum reversus domum litteras tuas, Julio mense datas, recte accepi. Quibus Apologia tua pro

pro Originibus Francicis addebatur. Placuerunt mihi inprimis istæ dissertationes tuæ, quibus veræ antiquitatis ductum sequutus adversariorum tuorum nugas ac somnia, velut fumum, dispulisti. Agam proximè cum Typographo, & editionem maturabo. Gratias verò plurimas tibi debere me agnosco, quod hanc ingenii ac doctrinæ tuæ curam nomini nostro consecratam volueris. Faxo ego, hoc tam insigni benificio obligatus, ut desideriis tuis explendis, & cuivis obsequio tibi potissimum præstando, natum, & semper victurum me intelligas. Statueram his feriis ad vos ire, sed dum alia, atque alia continuo offeruntur, paullo diutius in Zelandia distentus, iter id in alia tempora differre nunc cogor. Utinam vero rectæ valetudini te restitutum tandem aliquando intelligam! Dabit id, ut spero, votis nostris Deus immortalis. Heri litteræ Valerii Andreæ, Professoris Lovaniensis, viri candidissimi, doctissimique, mihi traduntur. Bibliothecam ejus Belgicam vidisse te opinor. Eam secundis curis ornandam augendamque suscepit. In quam rem opem nostram & amicorum, qui hic sunt, seriò implorat. Respondi, in ejus gratiam quidvis me acturum. Nullus autem dubito, quin apud te quædam de viris Belgii eruditis passim observata sint, quæ juvando huic tam præclaro instituto conducere possint. Quæso quam primum, (Bibliothecam enim novam typographo jam tradidisse se scribit) intelligam, quid in hoc genere ab humanitate tua liceat exspectare. Si Epistolam dedicatoriam, operi tuo præfigendam adjeceris, plurimum tibi debeo. Vale, vir Eruditissime, & Cognate amicissime.

Raptim, Lugd. Bat. 1639. Septemb. 14.

JACO-

JACOBO BASELIO
S.
BOXHORNIUS.

Lugdunum Batavorum.

Mi Baseli,

LItteras tuas recte & eleganter scriptas Neussâ reversus accepi. Quæ Historiam Bredanam concernunt bene se habent & pro voto, pauculis quibusdam vitiis typographicis exceptis, quæ correxisse te aut Eusebium opinor. Alia nunc mitto, quorum parem curam geres. Urge typographos & insta, ut progrediantur. Ubi reversus fuero, hoc acturus sum, ut eorum sitientia ora, qualia veterum Afrorum fuisse crediderim, liquore melioris notæ madefiant. Hoc enim argumento omnia istis hominibus persuadentur. Fons iste, cujus meministi, ab architecto tibi tradatur, quem domi illibatum servabis. Nescio enim quando ad vos reversurus sim, forsan diutius hic hæsurus, prout valetudo futuri Soceri mei se habuerit, qui æger Amstelodamo reversus hic decumbit. sed indies convalescit. Si quid ad me litterarum sit, continuo mitte & ipse scribe. Oratio de caussis impeditæ Europææ pacis digna mihi videtur quæ in publicum exeat. Quod Auctori Schoelleno indicabis & officia mea pariter deferes. Saluta Heroëm Crœsium, Hofferum, Ommerum & reliquos contubernales, Hospitem quoque Hospitamque. Quæ hic nova, ad Heinsium filium perscripsi, ex quo omnia intelliges. Vale & rem bene gere. Quæ excusa porro in Historia Bredana sunt, confestim transmitte.

Middelburgi 1639. *Octob.* 22.

JACO-

JACOBO BASELIO S. P. D. BOXHORNIUS

Lugdunum Batavorum.

Mi Basli,

Misi ad te fasciculum litterarum ante octiduum, quem an acceperis tandem, inprimis scire aveo. Erant inter alias quæ amoribus meis, Nicolao Heinsio, inscriptæ. Erant quæ Historiæ Bredanæ porro excudendæ destinata. Nescio quid debeam suspicari. Hodie enim ad nos reversus Avunculus Serofkerckius die Mercurii elapso nihil istorum omnium accepisse te rettulit. Doleo & angor animi quam maxime. Si tandem acceperis, indica quamprimum, & metu me libera. Si contra, adi nautam qui ante octiduum, die sacro, Middelburgo ad vos profectus est, inquire in fasciculum tibi inscriptum, & ab ancilla nostra (nisi mendax sit animal) ipsi traditum. Sed lubet optima ominari. Itaque alia operi nostro addenda nunc mitto. Quorum curam geres, ut ipse tui. Urge typographos, hominum genus lentum. De quibus plura in prioribus meis ad te perscripsi. Ob morbum futuri soceri mei nulla adhuc magna facinora gessi. Meliuscule tamen se habere cœpit. Itaque proxima hebdomade (volentibus Deo & gratiis) nobilissimo desideratissimoque operi coronam imponemus. Quam paucissimis complexus ille est, qui dixit,

Accipe daque fidem.

Nihil hic rerum novarum. Socii navales

Vacuo spirant mendacia folle.

Inter tot dubia & incerta famæ placet illud Varronis: CRAS CREDO, HODIE NIHIL. Classis tamen Hispanica maximam partem attrita est & profligata. Vlissingæ interea novem naves captæ, inter quas

quas sunt aliquot immensæ molis, monumenta sunt virtutis Batavicæ, & ignaviæ Hispanorum, aere omni perenniora. Hispani plerique, illato vix ferro, tanquam amarent nostros, se dedidere. O pecora generis humani! Quomodo victoriam referrent, qui nondum pugnare didicerunt? Sed hæc hactenus. Vale & quamprimum scribe, quæ me scire interest. Saluta omnis ætatis, ordinis & sexus amicos quam humanissime.

Raptissime 1640. *Octob.* 31.

ANTONIO MATTHÆO M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

Ultrajectum.

Vir Clarissime,

DUplex mihi offertur & quam maximè diversum ad te scribendi argumentum. Dum enim Middelburgi Zelandorum hæreo inter oscula dominæ meæ & amplexus ecce, præter omnem exspectationem, nuncio tristissimi excessus Soceri tui, cognati mei, viri modestiæ & eruditionis raræ, sum deprehensus. Verbis sanè assequi non possum magnitudinem luctus, quem desiderium tanti amici, & memoria tot ejus in me beneficiorum injecit. Manet tamen, mansurumque est in animis nostris, quicquid in eo mirati sumus; & doctrinæ ejus ac ingenii & summa industriæ fama, tot præclaris & semper duraturis scriptis propagata, nominis ejus æternitatem abundè tuebitur. Nec alia nunc mihi apud te dicenda sunt, qui immortalis Dei immormotam & invictam legem revereri & amplecti didicisti. Molior interea mei in defunctum affectus monumentum, quod additum Epistolis Apologeticis illi operi leges, cujus editionem mihi, dum decumbit & sensim moritur, commisit. Cæterum ad alia nunc flectendum. Amores enim nostri ad optatam me tam feliciter jam sunt perducti, & de virgine lectissimâ, Susanna Duvelaria, Senatoris Middelburgensis filia, triumfamus.

mus. Itaque ad nuptiarum nostrarum sollemnia, quibus dies dictus est Decembris septimus, te cum uxore tuâ nunc voco. In quo ut desiderio nostro satisfiat, cognationis nostræ & amicitiæ interesse existimabis. Nec ab eâ alienum erit, si virginitatis nostræ exsequias, Epithalamio, ut mos majorum est, prosequaris. Hæc serio, iterumque iterumque flagito. Vale, Vir amplissime, & me inter tuos agnosce. Uxori tuæ & familiæ maxima quæque cupio.

Raptim, Lugd. Batav. 1639. Novemb. 13.

Hofferus noster, cujus amorem in Pontanum tuum expressum hic vides, plurimum te salvere jubet.

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS, P. S.

Zirizæam.

Vir Amplissime,

Litteras tuas & fasciculum Middelburgi rectè accepi, mox Lovanium ad Valerium Andræam destinatis, quæ desiderio ejus ac curæ, & tibi debebantur. Qui inter primos sæculi viros legendus, ac numerandus es hac ætate, qua sive ignorantia sive stolida ambitione præclaræ artes omnes contemnuntur. Et libenter inprimis ad exemplum tuum provocamus, qui cum illustri dignitate eruditionem ac modestiam summam, & pronum in literatos affectum, & idcirco horum quoque in te studia, conjunxisti. Ceterum ad pristinum argumentum iterum nunc labor. Nam faventibus Gratiis, eò inter amorum blanditias provecti sumus, ut initio Decembris ultimus virginitatis nostræ indictus sit dies; ad cujus exsequias Epithalamio celebrandas si Musas tuas conferre fueris dignatus, plurimum tibi sum debiturus. Vale, Vir Amplissime, qui, quâ es morum comitate, desiderio meo satisfacies aut ignosces. Moggium meum plurimum salvere velim, ad quem litte-

litteras differo, nova & inusitata negotiorum mole obrutus, & tantum non oppressus. Tam operose omnes amamus. Lectissimæ fœminæ, Uxori tuæ, ac toti familiæ, prospera omnia sint & fortunata.

Raptim, Lugd. Bat. 1639. Novemb. 14.

CONSTANSTINO HUGENIO

Hagam-Comitis.

Nobilissime Domine,

QUanquam aliis me nunc occupatum, publica tamen gaudia nuper disertum fecere. Nec enim ob privatos amores, ille patriæ postponendus erat; cujus specimen, quod hic vides, si uni tibi probari intelligam judicium tuum obtrectantium ronchis ac morsibus facile opponam. Bredana nostra sub prælo sudant, brevi proditura. Quod præsenti tibi indicare nuper animus erat; sed illustrem dextram tuam, distento te alibi & occupato, tangere non licebat. Intereà vale, vir maxime, & me agnosce

Nobilissimo nomini tuo æternum colendo

Obstrictum, obligatum

BOXHORNIUM.

Raptissime 23. *Nov.*
1639. *Lugd. Bat.*

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Zirizaam.

Vir Amplissime,

MIddelburgum, post summas aëris, & brumæ injurias tandem delatus, tuas rectè accepi. Iterum profectò

fectò tibi debeo, cui fasciculo litterarum nuper transmisso, gravis esse coactus sum, dum apud nos idonea occasio vix offertur. Meum erit, vel hoc tantum nomine, cum plurimis tibi sim devinctus, jussa tua, ac mandata semper explere. Sed, ut impudentiam meam agnoscas, Virorum summe, iterum Musas tuas sollicitare audeo, quibus si imminentes jam virginitatis nostræ exsequias ornare volueris, novum benificium agnoscam, cujus caussa procurandæ, quantum licet, nominis tui æternitati, quanquam eâ satis superque à te, & aliis instructus sis, totum me impendam. Vale, Vir amplissime, & ignosce audaciæ.

Raptim, Middelburgi Zelandorum, 29. Novemb. An. 1639.

ADRIANO HOFFERO

BOXHORNIUS, S. D. PL.

Ziriʒaam.

QUod ille olim apud Imperatorem suum, meritò apud te usurpaverim; nullus locus est, qui me beniticii tui non admoneat, Vir Amplissime. Obsignaveram quas hic etiam vides, cum, portitore lepore, tuę mihi redderentur. Quæ quo palato exceperim, nondum dixero; quo animo, nunquam satis expressero. Si vera sint, quæ ex superstitione veterum produntur, ad vultus nostri formam, ac decus non parum nunc contulisti; quem, cum virum fingeret, à pulchritudine natura noluit commendari. Equidem dixisse mihi visus es,

Formosus septem, Marce, diebus eris.

Quod an futurum sit, Heroina mea viderit. Cujus benificio proximum Mercurii diem in Veneris mutaturi sumus. Illa etiam comitati tuæ plurimum obstrictam se agnoscit. Utinam verò tuæ & Moggii nostri Musæ in tempore redderentur!

Raptissime Middelburgi, Decemb. 11. 1639.

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO BOXHORNIUS, PL. S.

Zirizæam.

QUi nunquam dissimilis tibi es, Vir Amplissime, qui cum amoris tui magnitudine ejusdem constantiam conjungis, qui denique liberalis esse pergis, idem & illustrius indies gratiarum agendarum argumentum mihi obtulisti. Epithalamia tua quam grata mihi accidere, tam ingratum illud, quod cum inscitia & lentitudine Typographorum commissus, eorum lectionem amicis impartiri non potuerim. Adeò ut coactus sim consilium mutare ac differre, donec Leidam reversus, uno fasciculo omnia conjungenda operis nostris, longe profecto accuratioribus, tradam. Caussam vides, cur desiderio meo hactenus non sit satisfactum. Et uberrima mihi interim oblata est, ob quam eximia illa benificia tua æternum & ubique debeam profiteri. Bene sit Scaldiæ vestræ collibus, quorum fœcunditati cuniculos saporis optimi debuimus. Bene sit Zoöthecæ tuæ, quæ velut nova Africa, traduces ejus gallinas, optimè saginatas, suppeditavit. Bene, denique, sit tibi, cujus in frequentissimo amicorum congressu meminimus, & longævitati prolixa vota impendimus inter modesta, ut majorum mos est, pocula qualia

Coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum & Cassi natalibus.

Socer meus verbis amplissimis gratias tibi à me agi voluit; ut & Venus mea, quæ, accepto jam Boxhorniæ cognomento, tibi debet quidquid mihi impendisti, qui sum incomparabilis benivolentiæ tuæ

Testis ipse & æternum monumentum
M. Z. BOXHORNIUS

Vale, vir maxime, & in optima exempla nate. Uxoris tuæ ac familiæ omnis felicitati vota omnia consecramus.

Raptim Middelb. Zelandorum, 15. Dec. 1639.

ROCHO

ROCHO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D. PL.

Lugdunum Batavorum.

TUæ rectè mihi traditæ sunt, Roche Hoffere, Juvenis ornatissime. Pro Epithalamio Slichtenhorstiano tibi, & auctori plurimum debeo. Prodiisset jam illud, ut & tuum ac aliorum si per Typographos licuisset. Quos rerum suarum & artis ignaros, lentos, & ut paucissimis me absolvam, barbaros hic offendi. Mutavi proinde consilium, & ad vos reversus Wilhelmo nostro tradam, quæcunque amici nuptiarum nostrarum festivitati consecrare dignati sunt. Inter quos vel primas obtinet vir maximus, Parens tuus; cujus aliis insuper beneficiis adeo in præsens sum obstrictus, ut quid pro merito ejus dicturus sim aut non dicturus ipse nesciam. De quibus plura coram. Brevi enim ad vos contendo. Quod ut Heroinæ meæ persuasum sit, inprimis jam laboro. Paucula tamen ista, quæ hic vides, post aliquot dierum intervalla, Typographi præstitêre. Quæ ut cum Heinsio utroque, Scriverio, & Blevio communices, & me ames, obnixè te rogo. Contubernales omnes, & clarissimum virum Hospitem nostrum, plurimum salvere jubeo. Vale, suavissime rerum.

Raptim, Middelburgi Zelandorum 1639. *Dec.* 14.

ROCHO MOGGIO
BOXHORNIUS, S.

Zirixæam.

QUantum judicio tuo tribuam, jam tandem agnoscis, Vir clarissime. Titulo enim sive nuptiarum, sive donationis inter vivos suavissimæ virgini nunc transcriptus, involavi ejusmodi delitiarum possessionem, quas post

post tot maritos ac patres velut adhuc vacuas alibi potius quam in chartis experimur. Bene igitur isti Diei sit, qui ut conjugii ita vitæ primus fuit, bene etiam tibi, qui forsan adhuc stertentem hortamine tuo olim excitandum putasti. Nisi quod plurima etiam debeam votis, quæ veluti centuriatis Comitiis vocato Musarum senatu, prosperitati nostræ augendæ conservandæque concepisti. Utinam verò ea typis descripta, velut publica, mihi cæteris ac tibi offerre licuisset! Sed desideria mea inopia Typographorum, aut, si qui sint, barbarie ac inscitia sunt intercepta. Nunquam vidi homines tam ignaros artis, quam profitentur.

Bœotos crasso jurares aëre natos.

Sed in unum volumen conjicienda omnia, & Leidæ procudenda destinaturus. Quorum exemplaria brevi habebis. Proxime enim eò festinamus. Vale, amicorum jucundissime, & me non uno nomine devinctum tibi agnosce.

Raptim Middelburgi Zelandorum, Decemb. 15. An. 1639.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS, S.D.Pl.

Ziriziam.

Vir Amplissime,

VLissingæ blanditiis amicorum per dies aliquot distentus, & tandem Middelburgum reversus postremas tuas rectè accepi. Epigrammata, elegantissima sane, & in quibus nihil desideramus, quibus Nuptiarum nostrarum festivitatem prosequi dignatus es, jam ad te, quandoquidem ita velle te video transmisissem, nisi illa Leydam delata essent cum sarcinulis cæteris, famulo meo ante hebdomades duas eò ire jusso. Scripsi tamen ut ea filio tuo traderet, ad te quamprimum curanda, ut quamprimum reddantur.

Dic

Dic enim craſtino itineri me dabo, nuptiales illuſtrium ingeniorum luſus, Typographo quantocius traditurus. ut igitur deſiderio noſtro brevi ſatisfiat, unicè te rogo. Cujus humanitatem & famam eo cultu proſequar ſemper, qui magnitudini ejus ac meritis debetur. Vale, Vir maxime, cum familia omni quam feliciſſime.

Raptim Middelburgi Zelandorum, ipſis Kal. Jan. anni 1640.

Qui ut tibi, tuiſque bene eveniat Deum poſco:

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS, S. Pl.

QUod promiſſum totiens ac flagitatum, Bredanæ obſidionis opus, tandem ad te venit, Vir Nobiliſſime. Cui præter Spartæ noſtræ varias occupationes, tarda Typographorum miniſteria nonnihil ſufflaminis injecere. Equidem ſtatueram celſiſſimo Principi ad ipſam ejus dextram id conſacrare, ſed expeditionis interventu prohibitus, humanitatem tuam nunc convenio. In qua quantilla hæc cura noſtra præſidium omne reponit. Nihil in ipſa ſcriptione propoſitum mihi præter fidem; nihil in hac dedicatione, præter gratiam tanti Principis & favorem. Si enim hos qualeſcunque conatus noſtros haud diſplicuiſſe intelligam, vota omnia abſolviſſe me & complexum exiſtimabo. Sed auſimne in comitatis tuæ ſinum effundere deſiderium honeſtæ noſtræ ambitionis? Utique adjicerem animum ad pulcherrimum facinus,& ordirer integram ſeriem rerum à celſiſſimo Principe geſtarum, ſi ad induſtriam noſtram ac fidem authoritas accederet; & Hiſtorici ejus titulo æſtimarer. Quod ut præter veteris ac noſtri ævi exemplum non eſt, ita ſi hujus ſpei noſtræ audacia diſpliceat, quæſo te, ne me ſcripſiſſe arbitreris. Primum enim mihi votum eſt pro ſummi imperatoris æternitate; & primum nomen meo tot inſignium

ſignium tuarum virtutum cultum ubique teſtari. Vale, Vir illuſtris, & audaciæ ignoſce.

Lugd. Bat. 1640. *Ipſis Kal. Junij.*

ADRIANO HOFFERO BOXHORNIUS, S.

Ziriʒeam.

NOn concedit jam tibi mihive ſcriptionem longam infirmior valetudo mea, Vir ampliſſime. Sed nec per benificiorum tuorum, nec per candoris noſtri in iis agnoſcendis rationes qualecunque hoc curarum noſtrarum monumentum diutius apud te differre licebat. Quod, quæſo, eo animo accipias quo offertur. qui meus, ut ſuæ ſibi tenuitatis eſt conſcius, ita in doctiſſimorum, qualis tu, hominum non tam exactis judiciis, quam humanitate ſpem omnem veniæ ac fiduciam reponit. Talibus enim modo ſcribimus, non ſycophantis, qui litterarum & alterius famæ exitio reperti, quantumvis ſumma eruditione inſtructi propter veſanam, & nullis ſæpe rationibus innixam calumniandi libidinem ſuæ ipſi exiſtimationis jacturam apud probos omnes ac bonos merito patiuntur. Vale, Vir ampliſſime, &, quod facis, me conſtanter ama. Lectiſſimam uxorem tuam, & familiam omnem diu ſalvam Deus conſervet.

Lugd. Bat. 1640. *Junij* 14.

Exemplaria iſta, per famulum, amicis, quibus inſcripta ſunt, tradi velim. Mala valetudo in cauſſa eſt cur à litteris ad eos deſtinandis jam cogar abſtinere.

dem posterorum & præsentis sæculi intererat ut felicitatis publicæ rarum hoc exemplum exstaret. Sed & felicius ingenium tam illustri argumento debebatur; cum in hac qualicunque industria nostra nihil præter fidem ac pietatem in Rempub. venerit commendandum. Quas saltim virtutes latratibus invidentium composito & invicto animo opponam. Est enim eorum hominum hæc ætas feracissima. Ne de Academia nostra nunc dicam, in qua à bonis litteris & humanitatis cultum professis, nescio quo fato, *Bella geri placuit nullos habitura triumphos*. Nullo saltim merito meo, qui istas litterarum exitio repertas factiones continuo exosus, id antiquissimum habui, ut Spartam meam pro virili exornarem, & summis, ac erectis ingeniis cultum quemvis ac æstimationem deferrem. Sed quid facias? Pessimi quidam delatores sunt, quorum artes in obscuro sunt & ideo difficulter evitantur. Qui ad gloriam sæculi nata ingenia inter se commisere. Mihi interim solatium est in bonorum judiciis, ac imprimis tuo. Quæ ut mereri tantum possim, Deum rogo. Te verò, ut constanter me ames, quemadmodum eruditionem tuam, & virtutes quorumvis officiorum cultu æternum sum æstimaturus. Vale, Vir eruditissime, cum familia omni.

Raptim, Lugd. Bat. 1640. Junij 24.

ADRIANO HOFFERO

BOXHORNIUS, S. PL.

Zirizæam.

STo in Hollandici itineris procinctu, & jam tuas accipio, vir amplissime. Quo minus ad vos me conferre licuerit, factum est pertinacissimo unici fratris, & clarissimi & jam pene depositi ac conclamati morbo. Quæ res ita animum meum affecit, afflixitque, & affligit etiamnum, ut fere ejus impos sim. Sed provocandum est, inquies, ad cæli legem; indurandus est animus, & acqui-

escendum supremi Imperatoris mandatis. Equidem id fateor lubens, sed nescio, quî fiat, quod in ipso adhuc adspectu ac sensu nostræ, aut charissimorum calamitatis hæc virilis sapientiæ præcepta, in quibus aliis præscribendis aliquando diserti sumus, vix admittamus. Hæret animo meo ille ejus vultus, continua mensium ferme octo atrophia ita confectus, & exhaustus, ut haud alias unquam viderim similem vivi hominis sepulturam.

Et nunc magna mei sub terras ibit imago?

Quidni enim sic exclamem, qui mihi videor in moriente illo ipse mori; qui inter amplexus calidissimis lachrymis imbutos vix dubito quin dixerim postremum Vale. Adhuc tamen spirat, sed vix quidquam restat quod speremus. Nisi è machina forsan superveniat magnus Deus, & lentissimo, ac vitalia jam rodenti morbo (eò enim est ventum) imponat salutares manus. Hæc in sinum tuum effundo, vir amplissime; cujus desiderio ut satisfacere jam non possum, ita solatii non vulgaris loco fuit illa comis tua invitatio, illa blanda tua, & quæ supra merita nostra sunt, verba, quibus nostrum in te cultum non infimo apud te loco esse profiteris. Infælix sim, nisi hanc reputem magnam partem nostræ felicitatis. Deus hunc tuum in me animum ita conservet, ut ego statui quavis occasione, quantum virtutibus tuis debeam, ubique locorum testari. Toti familiæ tuæ sit bene.

Raptissime Middelburgi Zeland. 1640. *Aug.* 20.

Salve, vir maxime, à me, qui sum

Amplissimo nomini tuo dicatissimus

M. Z. BOXHORNIUS,

CON-

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS, S.

Illustris Domine,

EQuidem mea interesse video, ut intelligas, qui factum sit, quod ad illas litteras tuas, plenas, hercle, prolixissimæ comitatis, & quæ tam insignis benificii meminerant, nunc demum responderim. Caussam igitur pro me dicam. Ante quatriduum tuas primum accepi ac legi. Nec tamen ideo tabellarium negligentiæ arguerim. Sed tunc demum ex peregrinatione æstiva, quam Caniculæ sydus permiserat, domum sum reversus. Nec, cum in itinere locum sæpe ac Provincias mutarem, certò uspiam poteram deprehendi. Et paullo diutius in Zelandia, sub finem feriarum nostrarum, hærere coactus sum ob contumacissimum unici & jam desideratissimi fratris mei morbum. Quem jam menses novem cum atrophia ac tabe colluctantem, ab humanæ omnis artis præsidio defectum, desertum, superioribus diebus vitæ exemplum ita doleo, ut ob recentem & atrocem adeo plagam, vix solatia nunc admittam. Atque hæc quidem caussa est, cur serius & nunc demum intellexerim, quantum iterum tibi deberem. Celsissimo Principi pro rara ista liberalitate quod rependam nihil habeo, præter sanctissima vota, quæ magnitudini tantæ ejus fortunæ, & communis patriæ desideriis debentur. Atque istis quidem accinctum & imminentem hostibus velut præsentes & auxiliares, inter quævis discrimina, comitamur. De te vero quid dicam, Heros nobilissime? Cum tuum sit bene agendo non defatigari, & Musarum nostrarum, quæ à contemptu, in aulis præsertim, vix hac ætate se possint vendicare, gloriam ac innocentiam, quod strenuè facis, tueri; cum summorum hominum exemplo in auctoritate tua ac gratia omne præsidium reposuerim; cum, quemadmodum & illi, mancupio sim tuus, multis & maximis nominibus obstrictus tibi ac obligatus,

gatus, &, si pateris, adhuc obstringendus; Deus tibi servet hanc mentem, & producat hanc vitam tuam, has tuas curas, quibus hanc Rempub. eruditionem omnem, ac ejus candidatos, & hujus ac sequentis sæculi famam continuò tibi demereris. Hæc mihi dictant merita tua, & meus in ea, quanquam impar, remotus tamen ab adulatione, affectus. Sed audebone plura apud occupatissimum verba facere? Unum est, quod hic silentio non involvendum, & stuporem omnem excedit. . . . , ... negat illum, cui nostra merito inscripsimus, dicendum esse Imperatorem; & multò minus vocari vult, Supremum. Ac proinde dedicationis nostræ caput velut atrocissimum crimen, apud quosvis proscripsit. Quid censes? Profecto nimis crudele est illud ingenium, & non tantum aliorum impatiens, sed etiam sui. Nobilissimus Heinsius plurimum te salvere jussit.

Raptim, Lugd. Bat. Sepemb. 8. *An.* 1640.

GULIELMO GOESIO

M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

QUam mihi à contentione omni aversus animus, tam studiosus veritatis est, Vir amplissime. In quam cum nec defuerint unquam, nec jam desint, qui invehantur, ab iis semper dissentiendum mihi existimavi. Non sane alium in finem, quam ut cæteris exprimerem merito mihi persuasæ & satis assertæ veritatis confessionem. Quod à candidis ac cordatis facillime obtinetur. At ita animati sunt hominum plerique, illi inprimis, quorum in eruendis rebus abstrusis, & à memoria nostra longissimè remotis, curæ occupantur, ut prava semel opinione imbuti, plus in contumaciâ laudis ponunt, quàm confessione veritatis. Illa autem confirmati, cum nihil in ratione aut fide dignorum hominum auctoritate habeant præsidii, ne nihil agere aut temere falsa amplexi videantur, ad cavillas & illiberales jocos, sæpe etiam contumelias & convitia dilabuntur.

tur. Pestis illa licet olim haud incognita, hodie tamen, nescio quo fato, latissimè grassatur. Quâ qui aucupantur famam, inveniunt tantum apud ignoros, & similes sibi; & mox cum ipsis, inter quos nata est, perit. Interim cum eo homine mihi in hac quam vides dissertatione res est, qui dum à nobis dissentit, majorem modestiæ rationem habuit, quàm veritatis. Quorum illud, ut alias ejus virtutes, & eruditionem diligentiamque singularem, agnoscimus libenter ac æstimamus; hoc autem excusare & silentio transmittere non licebat. Et mihi, post multas & majores curas, Canicularium feriarum beneficio otium erat, cum liber ejus prodiret. De Typographica arte omnis hæc disputatio instituitur. Cujus inventæ gloriam Harlemensibus, non Moguntinis, ut olim, nunc denuo assertum imus. Tota facti quæstio est, ut juris vestri auctores loquuntur. Nec ex me caussam quæres, cur nomini tuo opellam hanc inscribendam censuerim. Nam ea in te & juris, & humaniorum litterarum, & rerum patriæ nostræ exacta peritia, eaque judicii rectitudo est, ut sicut ad alios omnes, gnaros veri ac studiosos, publico hoc scripto, ita primo loco ad te debuerim provocare. Et quæ virtus tua ac quanta sit, patria tua non agnoscit nunc tantum, cura sui in te collata & amplissima dignitate, sed etiam experitur. Quantum quoque singulari tuæ humanitati, cujus suavissima consuetudine per annos jam multos utor, deferrem, hic profiteri debebam. Ut & studia mea omnia ac vota meritis tuis dedicare. Quam animi mei de te sententiam serio hic testor, & immotam tibi ac constantem addico. Qualis si in hac controversia mansura sit ejus, cum quo hic contentio est, ejus saltim caussa poteram siluisse. Sed vel propter alios deserendæ non erant partes veritatis. Tu interim hæc boni consules, dum majora tibi destinamus. Vale, Vir amplissime, &, ut soles, me ama.

Raptim, Lugd. Bat. 1640. Kal. Novemb.

ROCHO MOGGIO
BOXHORNIUS, S. D.

Ziriczæam.

EGo verò, vir ampliſſime, unici fratris triſtiſſimo exceſſu ita hactenus ſum confuſus, ut vix mei meminiſſe potuerim aut amicorum. Gratias tibi debeo pro affectu, & maſculis verbis, quibus animum meum nonnihil erexiſti. Quid enim? Divinæ providentiæ conſilio ac inevitabili neceſſitate inter adverſa omnia confirmandi ſumus. Erit etiam mihi aliquando ſupremus dies. Quem ſane neſcio cur non impensè debeam optare, inter tot ſæculi mala, inter tot diſſidia ac factiones, quæ litterarum etiam regnum jam invaſere. Pudet me horum temporum, ac propemodum ſtudiorum, quæ dulciſſimè olim colebamus, dum iis ad humanitatem vocantibus, quidam ad invidiam, odium, virulentiam, obtrectationem, & iniquiſſimos cavillos abutuntur, homines non aliorum tantum impatientes, ſed etiam . . . . . Interim calumniæ nec tegunt, nec vulnerant. Nec minor vis eſt veritatis. Cujus pretium ac æſtimationem nemo nobis maledicendo extorquebit. Itaque aggreſſus ſum de Trapezitis, ſive Longobardis noſtris, eorumque ortu ac conditione, Diſſertationem, multa ratione, & inſtrumentorum publicorum fide confirmatam. Eſt ea jam ſub prœlo, & brevi ad vos ibit. Atque eas modeſtiæ in ea ſequuti ſumus leges, ut facile me probaturum bonis ac candidis confidam, adverſarium, cætera victum & inferiorem, maledicendo tantum ſuperiorem eſſe. Habeat illam laudem ſibi, *Non equidem invideo; miror magis.* Summo viro, & quem meritò tanti facio, Adriano Hoffero, offeres omnem officiorum noſtrorum cultum. Ad quem exemplaria Diſſertationis iſtius, ut & alterius de Typographica arte inventa (ad quod argumentum denuo tractandum à Moguntinis nuper compulſi ſumus) brevi deſtinabuntur. Sed & proxi-

proxime ad eum scribam. Nam nunc id cogitanti mihi non una cura injicit manum; sed & ab aliis nunc ad te scribendis avocat. Vale, vir doctissime, & me ama, qui te colo.

Raptissimè Lugd. Bat. 1640. *Novemb.* 11.

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, D. PL. S.

Ziriz.eam.

Amplissime Vir,

QUod in aliis virtutis est, in te consuetudinis aut naturæ esse, majoribus experimentis indies compertum habeo. Benificia enim, quæ ut agnosco libens, ita nunquam meritus sum, anniversaria esse voluisti. Pro quibus ut uberiores gratias nunc agam, nec mihi permittit eorum magnitudo, nec sinit erecta illa Indoles humanitatis tuæ, quæ quamvis maxima præstiterit, nihil eorum sibi patitur imputari. Interim opellam hanc meam ad te ablego, in qua nihil quidem placere tibi poterit, præter confessionem veritatis. Cui ut paterer vim inferri, meum non erat, qui jam ante annos aliquot, post Junium, & Scriverium, ea produxeram argumenta, quibus silentii lex omnibus, veritatis studiosis, necessario imposita videbatur. Sed sunt, qui amant λογομαχεῖν. Quorum tela cum verba tantum sunt & voces, facillime repelluntur. Andreæ Valerii Bibliotheca Belgica sub prælo est. Excrevit ea in magnam molem, ut ex litteris ejus intelligo. In quibus etiam de miserrima rerum ac temporum in Brabantia conditione conqueritur. Cum peste enim, & annonæ caritate, & bello colluctantur. Quamprimum liber prodierit, confestim eum ad te transmittam. Blevii, cujus meministi, juvenis doctissimi & elegantissimi, Rochi tui quondam familiaris, Poëmata sub prælo sunt Amstelodami. Heinsii nostri Musas renatas, & filii ejus, qui Parentem pari jam gradu sequitur, lit-

teras hic habes. . . . .
Salmasius in Galliam nuper delatus est. Ego meam caussam contra eum tuto sum aggressus, & publico scripto ostendi, qui de Trapezitis nostratibus, sive Longobardis, ex ipsa Magistratuum sententia, sit statuendum. Carcerem illud jam mordet. Non dubito quin omnibus studio partium non occaecatis, inprimis tibi, sim satisfacturus. Habui interim tantum modestiae rationem, quantum veritatis. Nam nunquam mihi se probabunt illi, qui, dum ab aliis dissentiunt, non tam scribunt, quàm irascuntur. Vale, Vir maxime, &, ut soles, me ama. Scriverius noster tibi, & nupero beneficio tuo, plurimum obstrictum se agnoscit, ipse hoc litteris brevi testaturus. Deus te, & lectissimam uxorem tuam, & familiam omnem diutissime incolumem conservet. Gaudeo illum tantae spei filium tuum salvum in Gallias venisse. Talis ut patriam & te, & nos denuo videat, quibusvis votis contendo.

Lugd. Bat. 1640. Novemb. 23.

Cl. Moggio à me salutem. Ejus sit alterum illud Dissertationis nostrae exemplar.

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S.

PRodit jam tandem & ad te venit, Vir nobilissime, dissertatio haec nostra de trapezitis, quam & patriae, & veritati, & adversario, & mihi me debere existimavi. Interim tantam in eâ modestiae rationem habui, quantam veritatis. Nec enim ejus, cum quo hic commissus sum, exemplum mihi sequi licebat. Scio atrocissimum bellum & ipsam Styga calumniarum mihi imminere. Sed & scio, calumnias nec tegere nec vulnerare. Utinam multi essent similes tui! cujus exquisitae eruditionis, candoris, & humanitatis exemplo ut diu fruamur, Deum rogo. Vale, Vir illustris, & me, ut soles, praesidio tuo complecti perge.

Lugd. Bat. 1640. Decemb. 12.

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS, S.

Zirizeam.

Amplissime Vir,

PRodit tandem dissertatio hæc nostra de Trapezitis. quam & veritati, & mihi debere me existimavi. Quid ab adversario mihi exspectandum sit, facile divino. Sed qui in calumniis, & maledicentia tantum præsidium ponit, eo ipso apud æquos arbitros caussa cadit. Hactenus saltim, Politicorum & Theologorum judicio, & modestia, & argumenti veritate ac fide . . . major sum. Videbis etiam in qualicunque hac commentatione, quid debeam tibi. Plura scriberem, sed clarissimus vir nauta, qui jamjam ad vos contendit sufflaminat plura meditantem manum. Vale, Vir amplissime. Deus familiam tuam incolumem diu conservet. Spectatissimo viro Moggio proxime exemplar tramittam. Aliud enim jam non erat ad manum.

Lugd. Bat. 1631. *Jan.* 28.

RICHARDO LUBBÆO
BOXHORNIUS, S.

VIr Doctissime, & amicorum integerrime, Disputationem Medicam filii tui nudius tertius rectè accepi. Deum rogo, ut favere porro ejus studiis velit, qui jam non magna tantum promittit, sed præstat. Legi frontispicio à te inscriptam querelam. Quid facias? Inficetum sæculum est; quo major est, quisquis strenuè contemnit. Interim ecce tibi duas nuper hic editas dissertationes nostras, diversi argumenti. Nunquam futurum existimaveram, ut in polemico illo scribendi genere, à quo naturâ abhorreo, curas meas ac studia occuparem. Sed nefas mihi erat, deserere, partes veritatis. Cujus quantam rationem, tantam etiam modestiæ ha-

bui. Quid præstiterim, tu videris. Systema tuum, cujus nomine plurimum debere me tibi hic serio testor, nondum typographo tradidi. Est is Johannes Jansonius, & Amstelodami agit, & morbo distentus suum hactenus, quem addixerat, ad nos differt adventum. Confido eum hujus libelli tui editionem in se tandem suscepturum. Typographis enim nostris id haud potui persuadere. Vale cum omni familia, vir integerrime, & indica, si quid pro te, aut filio tuo me posse existimaveris.

Raptim Lugd. Bat. 1641. *Febr.* 13.

Exemplaria hæc incompacta ad vos mittere coactus sum, angustiis temporis circumscriptus. Amplissimo Turcæo à me salutem; quem ad postremas hactenus non respondisse, valde mirari subit.

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS, S.D.

JAm verò id certissimum est, quod de Musicorum in Ecclesia instrumentorum usu, publico & elegantissimo scripto adseruisti, Vir nobilissime. Quidni enim pro tam illustri beneficio ita gratias tibi agam, qui & sic debeo, & aliter non possum? Nec enim hujus argumenti tui sententiam ad me transmittere tantùm dignatus es, sed etiam, quod meritò pluris facio, ipsam persuasisti. Memineram, cum tua legerem, Justini Martyris, qui inter primos & sanctissimos Patrum Christianorum, sive ætatem videas, sive eruditionem, censetur. Is, ubi de Musica, quæ Christianorum Ecclesias decet, agit, assuetas Ethnicorum scenis, fides cantusque inanimorum organorum pariter cum saltationibus & crotalis, ab Ecclesia perpetuo vult exulare. Addit interim, eodem loco, placere sibi, ut in Christianorum cętibus relinquatur ἡ χρῆσις τῶν τοιούτων ὀργάνων. Quæ autem est illa laudata χρῆσις; ipsa illa, quam tu tot rationum pietate commendasti. Illa, quam religiosam mulcedinem, ad Donatum, vocat Cyprianus. Illa cujus, ut & Organi tui, meminit Prudentius;

Quid-

Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit;
Quidquid in arcano vomit ingens Spiritus haustu;
Quidquid casta chelys; quidquid testudo resultat;
Organa disparibus calamis quod consona miscent;
Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra;
Christum concelebret, Christum sonet; omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquantur.

A quâ veterum pietate multis passibus deflexímus; ex quo Musicorum instrumentorum concentu, in Christianorum templis, non cœleste aliquod, sed vanum argumentum; non animos; sed aures intramus. Quod nisi sit prostituere fana nostra, quid sit nescio. Hoc interim scio, & imprimis id debeo tibi; ut magna & stupenda quædam Musicæ vis est in animos humanos, ita cum incredibili conjunctam esse hominum utilitate, si in divino & Christiano argumento occupetur. Sæpe ego experiendo didici, intimos sensus meos hac ratione, vel maximè commoveri. Si enim mutatâ Musica, ut censuit Plato, etiam Respub. mutentur; (quo de argumento, à veterum aut recentiorum nemine satis, quod sciam, explicato, nonnulla olim privatim mihi sum commentatus) quantum illam posse credendum est, cum Majestate, & meditamentis divinarum rerum, conjunctam, ad conversionem, sive, ut ille loquitur, purgationem animorum? Quidquid, ut tu quidem, sicut alia omnia, censes rectissimè, populi in ecclesiis nostris non tam canentis fere, quam boantis, intemperies, solo Organorum, de quibus agis, beneficio possit profligari? Est quidem in templis nostris, & cæteris præit Phonascus aliquis, vocisque, ut Varronis verbis utar, suscitabulum,

Cantantiumque gallus gallinaceus;

Non tamen rarò contingit, ut rugitum audias, ubi hymnum exspectas, postquam sine ordine ac lege

Insonuêre cava gemitumque dedere cavernæ.

Quidni enim hæc experto tibi & testato sic exponam? Agnosco quidem turpissimæ hujus ἀταξίας caussam

caussam in imperitia populi, & illa multitudine ac varietate modorum, qui longè diversissimi in Psalteriis nostris deprehenduntur. Sed interim ita mihi persuasum est, eam varietatem vel maximè esse necessariam. Quod Carolus ille Magnus non ignoravit. Cum enim eâ tempestate Gregoriana Musica maximè vigeret, quæ non omnibus modis in Ecclesiis locum concedebat, ille incredibili diligentiâ, singulorum modorum vim ac leges propius investigans, diversos, qui antea in usu non erant, invexit, quibus Ecclesia Dei omnis argumenti hymnos commodius exprimere posset. Ac sane plurima in sacris litteris, Psalmis inprimis, offeruntur, quæ non bene iisdem modis, sed multò meliùs aptiùsque hoc quàm alio exponuntur. In caussa sunt varii animorum motus variique affectus, qui pro argumenti diversitate legentibus offeruntur. Quis enim est, qui non sentiat; nunc rapi animos in sanctissimum quendam furorem; nunc iterum reddi placidiores; nunc dejici in mœrorem & singultus; nunc iterum inde in spem, lætitiam, inque cœlestem amorem abripi, attolli? Quæ omnia qui iisdem modis obtineri & præstari posse existimat, næ ille, meo saltem judicio, dissentit à ratione. Nec proinde laudare possum Anglorum institutum, qui intra arctas nimis angustias illud tam latè exporrectum, & variegatum argumentum cohibuêre. Nec quidquam obstat, quo minus te sequamur. Qui ad imperitiam vulgi in ordinem redigendam, ac incendendum ardorem animorum, eam Organorum vim, ac usum commendasti, ac gravissimis rationibus asseruisti, ut nihil nobis addendum supersit, præter adsensum, & ea vota, quæ summis virtutibus tuis debentur. Tuo enim ingenio omnem gloriam illustrium litterarum, tua humanitate eruditos, tuis denique curis omnem hanc Rempublicam agnoscimus maximè juvari. Deus te quam diutissime incolumem superesse velit, Vir nobilissime.

Lugd. Bat. Febr. 20. 1641.

CON-

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS S.D.

Hagam-Comitis.

QUantum omnibus nobis, ac mihi inprimis, dolorem adtulerit morbus, cum quo nuper conflictatus es, verbis haud facile expressero, Virorum nobilissime. Si quid interim vota nostra posse credendum sit, debes profectò illis, ut cum bona venia tua sic loquar, valetudinem meliorem, quam & gratulamur tibi meritò, & indies magis magisque cupimus confirmatam. Agit apud nos, studiorum caussa, Franciscus Bleuvius, gente Batavus, ætate juvenis, & ingenio ætatem supergressus. Is in vernacula Poësi, si te & majorum gentium paucos alios excipiam, præ cæteris excellit. Et jam quædam ejus sub prælo sudant, quorum lectione, ubi eam, quæ tibi raro, & tamen eruditissima semper, contingant otia permiserint, si quod hic judicium meum est, delectaberis. Ausus est in illum tantopere exspectatum & in sæcula, nisi durus pater esse pergas, iturum DIEM tuum, ista, quæ hic vides, nuper effundere. In quibus præter animum nihil omnino cupit spectari. Qui quam egregiè in summas virtutes tuas affectus est, tam desiderat aliquando ad dexteræ tuæ contactum admitti. Quod ubi per occasionem licebit, dimittes haud dubie novum testem ac præconem illius tuæ quam raræ, tam nunquam satis laudatæ humanitatis.

Lugd. Batav. 1641. *Martij* 17.

CON-

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS, S.D.P.

Hagam-Comitis.

CUm in ære tuo jam pridem ſim, Vir nobiliſſime, nec ſit, unde ſatisfaciam, agam, quod illi, quorum mala ſunt nomina, & debitum augebo. Eſt mihi ſocer, Petrus Duvelarius, qui Senatoriam aliaſque dignitates in Middelburgenſi Republ. per viginti jam annos magna cum fide, omnium judicio geſſit. Vacat in eâ, Marco de la Palma, optimè merito ſene, nuper pluribus addito, conſulatus. In cujus locum, quo ſubſtitui ſocer meus poſſet, inter alios nominatus eſt. Heros Knutius, qui non malè ei cupit, & jam Hagæ eſt, ſua apud celſiſſimum Principem gratia plurimum in eo negotio poteſt. Apud hunc ſi commendationis tuæ auctoritate ſocerum meum juvares, obſtringeres tibi optimi ſenis virtutes, meque incomparabili beneficio, ſi magis obſtringi poſſim, magis tibi obligares. Sed ante omnia rogo, ut audaciæ meæ ignoſcas. Vale, Vir nobiliſſime, & publico ac noſtro privatim bono diutiſſime vive.

Lugd. Batav. 1641. *Aprilis* 9.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS, S.D.

Zirizæam.

DUm & gratias tibi pro novo benificio debeo, quas nunc ingentes ago, & quotidie ad te ſcripturio, virorum ampliſſime, elapſæ mihi ſunt nautæ, viri profecto diligentiſſimi, feſtinatione, aut aliunde injectis curis ereptæ, præſtandi hujus officii occaſiones. Tu pro humanitate tua, hanc moram bene inter-

pre-

pretaberis. Litteras Rochi tui accepi; cujus & mores & ingenium ut ad exemplum tuum sunt, ita absentem illis votis prosequor, quæ & ejus meritis & exspectationi tuæ debentur. Ecce autem tibi ea, quæ in nuptias filiæ Heinsianæ nuper meditatus sum. Ne ambitiosos conatus nostros nescias, egi militiæ Imperatorem. Si quid in iis displiceat severis istis Catonibus, quibus barba prolixior, & toga, & in fronte cohors tota rugarum insignia sunt pædagogicæ Majestatis, ratio argumenti apud bonos excusabit. In quo ut obscœni esse noluimus, ita non potuimus non esse urbani. Vale, Vir amplissime, & chartacea hæc munuscula non in solutum accipe, sed ut debiti confessionem.

Lugd. Bat. 1641. *April.* 22.

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S. D.

GEnius lætitiæ publicæ iterum disertum me fecit, Vir nobilissime. Neque inter lituos jam & acies agenti tibi displicebit tam illustre pacis argumentum. Quod sermone celebrari publico, rei gestæ ac gerendæ porro interesse, prudentissimi quidam in hac Reipub. viri existimabant. Quantilla vero hæc cura nostra si, auspiciis tuis, juventutis nostræ Principis oculos subeat, ingens benificium tuum interpretabor. Hoc interim scias velim, non esse aut qualiscunque nostræ fortunæ, aut ingenii nostri liberalitatis, quidquam aliud, præter gratiam principalem, ex ejusmodi scriptis exspectare. Vix scio an diutius jam morari, debeam tot majores curas tuas; unum tamen est, quod superioribus diebus observatum mihi, celare te nec possum, nec debeo. Exstat in Anglorum annalibus illustrissimum exemplum Principis, alteri extero desponsatæ, & quinquennium modo egressæ, sponsum aut maritum sequutæ. Est illa Caroli, magnæ Britanniæ Regis avia, Maria, Scotorum Regina, quæ Francisco Galliarum Delphino obstricta, licet quinquennis tan-

tantum, eum est sequuta. Cambdenum auctorem hic sequor, scriptorem longè gravissimum. Mihi saltim in hoc exemplo nonnihil & argumenti & ponderis esse videbatur. Vale, virorum illustrissime, & , ut soles, amore tuo me amplecti perge.

Lugd. Bat. 10. Julij 1641.

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Ziriz̃aam.

Amplissime Vir,

NUper privati hominis, & amici, nunc publicæ, & Principis Nuptiæ disertum me fecere. Nisi quod haud suffecisse me magnitudini illustrissimi argumenti libenter agnoscam. Sed eorum, qui qualiacunque hæc nostra lecturi sunt, candida ac faventia judicia, impares curas nostras haud difficulter excusabunt. Tuum inprimis, Vir humanissime. Nam utraque laus tua est inusitatæ & eruditionis, & humanitatis. Futurum spero, ut feriarum nostrarum, quæ hodie natæ sunt, occasione, propius, ut ante, non oculos tuos tantum subeam, sed etiam virtutes. Vale, Vir amplissime, cum uxore lectissima, & familia omni.

Lugd. Batav. 1641. Jul. 16.

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS S. D.

Nobilissime Domine,

IMminet anniversaria Consulum Middelburgensium designatio, & iccirco repetitis precibus pro socero meo humanitatem tuam convenio. In quem quidquid virtus tua & excellens apud Principem gratia contulerit, ingens tuum beneficium, & immortale to-

tius

tius familiæ nostræ debitum erit. Meum in primis, qui quanta audacia virum optimum, & per annos plurimos Senatorem integerrimum, & inter capaces amplissimæ dignitatis nunc iterum suorum suffragiis receptum, & nulla unquam in te obsequia intermissurum, commendo, tanta fiducia eidem non tantum veniam peto, sed, tot aliis pridem nominibus tibi devinctus, impetrasse me confido. Vale, Vir illustrissime. Deus te Reipub. Principi, & privatim nobis diu servet.

Middelburgi Zelandorum 1641. *Aug.* 14.

CONSTANTINO HUGENIO
BOXHORNIUS S.

SI pro gemino beneficio, iisdem literis, gratias tibi nunc agam, Virorum nobilissime, recentium potius, quàm veterum videbor meminisse. Auctoritate enim tua, quam summam in optimi maximique Principis aula excellens virtus tua & ingenium fecit, aurea Deorum munera iterum referre mihi licuit, tam non merenti, hercule, quam non exspectanti. Et qui ni auctam soceri mei, Integerrimi senis, dignitatem eidem debeam imputare. Ita enim sentit ipse, & nos agnoscimus, & eo nomine æternum omnes debituri sumus. Equidem pluribus magnitudinem gratissimi animi in sinum tuum hic effunderem, si post tanta ac pristina tot in me merita novas agendarum gratiarum formulas quantillæ facundiæ meæ reliquisses. Itaque quod pace tua fiat, ad alia me converto, & tibi in castris agenti bellum non tantum indictum nuncio, sed jam geri. Enim vero superioribus diebus nonnemo, sine nomine tamen & tribu, Typographo Leydensi tradidit dissertationem satis longam, qua illam elegantissimam tuam de Musicis Instrumentis, in Christianorum ecclesias admittendis ita est aggressus, ut dubitem, an Impudentia ejus an Inscitia sit major. Nam utraque excellere proprium pridem terrigenarum esse non ignoras. Ac proinde licet hostis

tuus

tuus lectus tibi nondum aut visus sit, victoriam tibi certissimam, huic aut perpetuam nominis, si quod habet, infamiam audeo polliceri. Clam nomen quidem dissimulavit. Quod unum prudenter fecisse videri potest. Ubi prodiisse insulsum opus intelligam, exemplar ejus continuo ad te transmittam. Quamvis merito dubitem, an tali id honore debeam dignari. Quæ de Hellenistica controversia leges, Voetium, ut fama est, auctorem habent. Vale, Vir illustris, & me qualem fecisti, talem agnosce, totum tuum.

Raptim Lugd. Bat. 1641. *Octob.* 12.

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS S. PL.

Zirizaam.

POstremas meas, quas, priusquam ex Zelandia nuper discederem, ad te, Vir amplissime, destinaveram, quin acceperis, vix possum dubitare. Cæterum in iis exposueram rationes gravissimas, ob quas humanitati tuæ ac exspectationi, meisque promissis mihi satisfacere haud licebat. Injeceram & aliarum rerum mentionem, ejus inprimis quæ patriam vestram concernit, & in qua humanitas tua, totiens oblata mihi, & totiens perspecta, plurimum poterat prodesse. Et potest etiamnum. Itaque audeo easdem preces nunc repetere. Constitui vero Chronicon Zelandicum vulgare, quod Reygersbergium auctorem habet, prælo denuo subjicere, urgentibus primariis aliquot in vestrâ Repub. viris, quorum vel auctoritate vel precibus factum est, ut Romano, Bibliopolæ Middelburgensi omnes in eam rem curas meas addixerim. Nam in Bibliotheca mea plurima sunt, *molta*, ut ille loquitur, *anteiquitus sepolta*, quæ quam hactenus ignota, & paucis, aut nullis visa, tam lucis plurimum & ornamenti ad gentis vestræ historiam possunt conferre. Interim ad partem egregiæ hujus curæ te voco, Vir maxime. Scio enim plurima, præsertim quæ Zirizæam & Scaldiam vestram spectant, aliaque ex instrumen-

tis

tis publicis accepta, & accurate consignata penes te esse (& ante annos aliquot, nisi fallor, vidisse me opinor) quorum usum, quam mihi & publicæ & existimationi nominis tui (quod quanti faciam, & merito faciam, nescire non potes) profuturum, tam facile ad dies aliquot impetraturum me confido. Est autem periculum in mora. Nam Typographus noster jamjam operi se accingit. Itaque ut ad magnitudinem tam illustris benificii, ejusdem adjicias celeritatem, obnixè te rogo. Vale, Vir amplissime, &, ut soles, constanter me ama. Raptissime, inter plurimas occupationes.

Lugd. Batav. 1641. *Octob.* 24.

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS S.

Hagam-Comitis.

QUæ ex castris reduci tibi officia debebam ipse, litteris transcribo, Virorum nobilissime. Nam postremas meas accepisse te opinor, quibus eam gratiarum actionem sum complexus, ex quâ, in exprimenda beneficiorum tuorum magnitudine, Professorem Eloquentiæ defecisse, haud dubie intellexisti. Qui has tibi tradit, natione Gallus, genere nobilissimus, religionis causa exul, ad præclara omnia non natus tantum, sed optimis etiam studiis imbutus, denique tuarum virtutum, quas nemini ignorare jam licet, summus æstimator. Quod ut significarem tibi, sua interesse existimavit. Et id, etiam non rogatus, meritis viri & causæ debebam. Virtutes tuæ faciunt, ut toties, non nostro tantum, sed aliorum etiam nomine, molesti tibi esse cogamur. Ex quo enim optimos quosque ad curam tuam pertinere non judicasti modo, sed ostendisti, audacter optimos quosque tibi commendamus. Vale, Vir illustrissime, & toties mihi peccanti, nunc quoque ignosce.

Lugd. Batav. 1641. *Novemb.* 3.

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS S.

Ziriʒæam.

NIhil nunc quidem ad te ſcribo, Virorum ampliſſime, niſi quod hodie par mihi otium non ſit uberrimo ſcribendi argumento. Itaque pro ſingulari tua humanitate proxime gratias tibi acturus ſum. Quod ipſum ut ab illuſtri Heinſio noſtro exſpectes, voluit ut tibi indicarem. Sed & ſimul tibi luculenter aperiam omnem rationem inſtituti mei. Utar interim iis, quæ tam liberaliter ſubminiſtraſti. Vale, patriæ tuæ & meum decus.

Lugd. Batav. 1641. Novemb. 19.

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D.

Ziriʒæam.

ITaque indies debere tibi pergo, Virorum ampliſſime, & cum pro illuſtri benificio quod reponam nunc aliud non habeam, reddo bonâ fide id, quo me plurimum tibi, nec me tantum, ſed & patriam tuam devinxiſti. Quod ipſum alii aliquando legent publicè, & agnoſcent. Nam in eo codice MS. cujus uſum impartiri dignatus es, plurima ad inſtitutum facientia & memoriæ annalium commendanda ſeſe mihi obtulerunt. Siquid ſimile apud te, aut tuos, apud quos magna meritò tua eſt auctoritas, exſtet, ut, quamprimum fieri poteſt, ad me veniat, votis omnibus contendo. Ne vero rationem hujus inſtituti mei ignores, animus eſt, Reigersbergiano Chronico ea paſſim inſerere, quæ ab eo, & aliis prætermiſſa, neſcio quo rerum veſtrarum fato, hactenus ignorantur. Neque res anni quinquageſimi, ſæculi milleſimi & quingenteſimi excedere

cedere decrevi. Quæ enim post gesta sunt aliis curis servare potius mihi visum est, & has in experimentum præmittere. Et jam annotationes nostræ mole sua superant, &, nisi fallor, præstantia quoque rerum excedunt quæcunque à Reigersbergio sunt consignata. Adeo ut si forte alia ad manus meas ventura non sint, tuto tamen subire possim periculum editionis. Vixenim tibi scripsero, quam rara, & recondita, sive, ut ille loquitur, *molta antiquitus sepolta* in medium adducturus sim. Quod non arrogantiæ, à quâ absum longissime, sed curæ, quam maximam impendi, sit argumentum. Heinsius noster plurimum te salvere jussit. Cujus litteras hic vides. Vale, Vir magne, & me non amare tantum, sed etiam juvare perge. Filio autem tuo quid factum est! Spero sospitem rediisse. Saltim id ex animo voveo. Scribebam hæc raptissime inter alias ex aliis natas plurimas occupationes. Quare lituris ignosces.

Lugd.Bat. 1642. quem felicem tibi, tuisque præstet Deus immortalis. *Januar.* 22.

CONSTANSTINO HUGENIO

BOXHORNIUS S.

Hagam-Comitis.

QUi has tibi tradit, etiam poposcit litteras, quod sic tibi impensius se probandum existimaret, vir nobilissime. Ego autem cum æquissima ejus desideria tibi curæ, & infucatas virtutes satis cognitas esse intelligerem, ab ipso illo petii, ut mihi redderet apud te officium, quod exigebat, & me totum, ac mea omnia, qualiacunque tandem sint, velut mancupio tua, tibi offerret. Quod & manu mea nunc testor, quo plus apud te fidei inveniat; & breviter, ne peccem in tot tuas occupationes. Vale, Vir illustris, & me, ac hunc mei in te cultus interpretem, amare & fovere perge.

Lugd. Batav. 10. *Febr.* 1642.

CON-

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS S. D.

Hagam-Comitis.

SIngulare tuum in me studium, quam nullis meritis meis provocatum, tam solo humanitatis tuæ judicio quotidie auctum est, Vir nobilissime. Et jam intelligo, quantum solicitudinis habeat, tantum tibi debere. Interim mentem meam, virtutibus tuis imprimis devotam, sicut impari facundia, ita, summo candore, in hujus libelli aditu, publicè testari ausus sum. Sed & tuorum meritorum sic apud te meminisse debebam, qui tot nova & tanta iis quotidie superaddis, ut priorum oblitus videaris. Itaque in magna spe sum fore, ut qualecunque hoc officium nostrum, quod nisi ingrato diutius differre non licebat, haud ingratum tibi accidat; &, si mea displiceant (quomodo enim placere ista tibi possint, tantâ sapientiâ viro?) saltim non displicitura sint, quæ hic leges, quæque obviâ, ut cum auctore isto etiam hic loquar, similitudine exprimis, aliena. Vale, illustris Domine, & benivolentiam tuam integram mihi conserva.

Lugd. Bat. 1642. Kalend. April.

JUSTO TURCÆO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

Bergizomium.

CUm superiore anno, caniculæ æstu anniversarium nobis otium faciente, ad te venissem, Vir amplissime, tum ut tui, amici veteris, tum ut dulcissimæ patriæ, cujus regundæ ornandæque cura tibi inprimis est demandata, aspectu me oblectarem, ea humanitate exceptus sum; ut nihil majoribus officiis aut bene-

benevolentia fieri posse judicarem. Quod in hujus libelli aditu agnoscere, haud absurdum est, cum ea occasione factum sit, ut de repetenda ejus editione ageremus. Meministi enim, inter alios atque alios, semper autem eruditos tuos, sermones: qui post annorum aliquot silentium, aut absentiam, fere esse solent jucundiores; eum, quem pernox alea, procul à fritillo, in Bibliotheca tua, suggesserat, ad meridiem usque, ut cum Varrone nunc sic loquar, noctis aliquando nos detinuisse. In quo ab aleatorum more tum non deflexímus. qui non diurna tantum, sed nocturna etiam, semper autem indefessa manu, in illo unius fritilli campo, non aliis instructi armis, quam talo, & singulari certamine commissi, si non alio nomine, saltim isto vigilantiæ diligentiæque, severissimorum etiam hominum judicio, veniunt commendandi. Et erat nonnulla nobis hic pugna, sed qualis esse solet dissentientium amicorum. In eo interim mihi tecum conveniebat; ut homines fortunæ ludus sunt, & jocus, ita quamvis eorum ætatem in aliquo exerceri; omnem illum vel in imitatione versari, vel ab affectibus quibusdam, quos animi morbos sapientes, haud sine causa, vocant, fingi ac impelli, avaritia maximè & ambitione. Et sane ita est, Juste Turcæe, jucundissime amicorum. Quàm faceti in infantia imitatores omnium sumus! quàm egregii à natura facti Pantomimi? Quamprimum repere desiimus, tanquam aut cura nobis esset libertatis, aut in cunarum puparumque nostrarum exitium jurassent Iberiæ Reges, armati quasi ac accincti in arundine longa equitamus. Matrimonium etiam inimus nuper nati, & parentum, præceptorum, denique publica omnia, Regum quoque & Principum, nec interim rei majestatis, & privata munia usurpamus. Nos, nisi fallor, hæc olim agebamus; & si primæ ætatis nostræ scriberentur annales, non alia illos facinora implerent At vero non consistimus intra metum innoxiæ imitationis. Alia enim, eaque in perniciem graviorem mox eruptura, ab affectibus, duobus inprimis, quos jam diximus, ducemur. Quæ cum ætate vires accipiunt, & plus nocent, & rarissimo

exuuntur. Vis ambitionem? Inspice Βασιλίνδαν, imperium & aulam puerorum.

At pueri ludentes, Rex eris, *ajunt*
Si recte facis.

Et sic sensim proficimus ad ambitionem. Cætera quippe ejusdem generis alia, olim hodieque à pueris reperta, ac prima arrogantiæ nostræ & contemptus aliorum incunabula, nunc prætermitto. Alea enim, amor semper & deliciæ prope omnium, ipsum avaritiæ regnum, hujus operis est argumentum. Cujus indomiti affectus vim pueri etiam sentimus, & ludere simul cupimus, & aliquid lucrari; ea augendæ rei, & quasi castrensis peculii acquirendi cupiditate, ut sortem sæpe totam, parentum liberalitate aut amicorum acceptam, Par vel Impar feliciter dicturus, permittamus. Et ipse meminisse possum, ea temeritate, puerili omni possessione, quæ tum terunciorum forte septem erat, uno momento olim fuisse me evolutum. Quam privatam cladem illa ad Allias aut Cannas Romanis illata haud minorem, tunc interpretabar. Cæterum per hos gradus ad Aleam & veras clades itur. De quibus quod plura hic dicenda non sint, Paschasii Justi tui, Vir amplissime proavi, & ingenio & judicio & doctrina exquisita factum est. Quibus sicut & experientia instructus, libris elegantissimis duobus, quos nunc tibi reddo, totam Epidemici, ut vos loquimini, scenam mali aperuit, & ipsum profligavit. Qui olim editi & à plurimis expetiti, ac in publicum profuturi, nunc iterum, meo, &, nisi fallor, bonorum ac eruditorum omnium judicio, videre lucem debebant. Neque sub alterius auspiciis, quam tuis. Qui majorum tuorum non tantum sanguinis, fortunæ & honorum, sed virtutis quoque singularisque doctrinæ, hæreditatem adeundam tibi judicasti, & feliciter adiisti. Vale, Vir amplissime, & me amare perge.

Lugd. Batav. 1642. *Kal. April.*

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS PL. S.

Zirizæam,

Amplissime Domine,

PRæter omnem exspectationem meam sub initium feriarum curis auctus, hesterno demum die in Zelandiam sum delatus; proximâ, si volet Deus, hebdomade ad te iturus. Sunt enim, quæ à te doceri debeo. Interim qualiacunque funebria hæc per otium leges, in quibus piis nobis magis esse licuit, quam disertis, quod ipse facile videbis. Vale, Vir doctissime, &, ut soles, me ama.

Raptim, Middelburgi Zelandorum, 21. *Aug.* 1642.

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. D. PL.

Zirizæam.

Amplissime Domine,

ET litteræ tuæ rectè mihi traditæ sunt, & ea munera, quæ tu jam anniversaria esse voluisti. Pro quibus equidem nihil nunc tibi reddo præter constantem memoriam tot insignium tuorum in me benificiorum; quam proinde, novis superadditis, necesse non erat excitare. Historia Zelandica jam sub prælo sudat; & ecce hic tibi specimen operis, de quo illud severum rectumque judicium tuum requiro. In primorum certè Comitum historia, fabulosa, obscura, mutila non alia, quam ista observanda mihi sese offerebant. Et primam illam Reip. vestræ faciem nosse, ac penitus introspicere, nec inutile, nec injucundum videbatur. In cæteris alia quędam legentur. Primam partẽ postremis curis servavi; si fortè quid interea sese offerat, quod vel isti, vel secundæ pro-

prodesse possit, ne id latere me sinas, officiosissime te rogo. Si in Musæo tuo exemplar aliquod primæ editionis Chronici Reigersbergiani sit, utinam ejus usum ad tempus impartiri dignareris! Habui ipse illud, sed nescio quo fato nunc factum sit fugitivum. MSS. has schedas tumultuariè satis scriptas ad partem operis primam pertinentes audeo tibi inspiciendas tradere, &, si id patiantur otium tuum, valetudo, amor denique tuus & industria in Patriâ ornandâ, corrigendas, augendas. Intelligis, me hercle, plura adhuc me velle tibi debere. Sed & alii intelligent plurimum me tibi esse obstrictum. Clarissimi Viri, Heinsius & Scriverius gratissimo animo comitatem tuam agnoscunt. Spanheimius, Vir plane eximius, superioribus diebus Professionem Theologicam feliciter apud nos est auspicatus. Talis Atlas illud cœlum debebat sustinere. Vale, Vir incomparabilis, & cum lectissima uxore, ac familia omni, meo meæque nomine ea vota accipe, quæ summis virtutibus tuis debentur.

Lugd. Batav. 1642. *Novemb.* 12.

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS, S.

Hagam-Comitis.

ILlustris viri, Cornelii van der Wijle, cum id optime, tot per annos, de nobis merito Curatori deberi omnes intelligeremus, memoriam publica laudatione superioribus diebus prosequuti sumus, Nobilissime Domine, &, quod hic etiam dicendum est, Incomparabilis Patrone eruditorum. Ego vero, cujus semper imparem facundiam esse non ignoras, huc insuper contuli multo singultu ac dolore impeditam. Adeo quidem, ut aliunde præsidia mihi nunc petere sit necesse. Quare præter Forestianas aliorumque Musas, & Heinsii nostri lachrymas, tuarum etiam immortale ingenium convenire ausus sum: quamquam non ignorem tot gravissi-

vissimmas tuas, quas Aula indies requirit, & omnis patria semper probat, occupationes. Quodsi tamen hac tam audaci prece peccasse me existimes, patieris, hercle, ut, quamquam non sis eorum hominum, qui cœlo suo receptis sanctissimis manibus nimium tribuunt hujus defuncti, tot ingentia merita pro me apud comitatem tuam intercedant. Vale, Vir illustris, & ut soles, desiderio meo fave.

Lugd. Batav. 1642. *Decemb.* 11.

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S. D. PL.

Hagam-Comitis.

CUm id humanitati tuæ haud displicere intelligam, Nobilissime Virorum, desideria mea hic expono: quorum nunc summa est, ut, si quidem id tibi concedant tot immensæ occupationes, die crastino agnoscere nobis liceat, &, cum tua omnia nihil spirent nisi raram quandam elegantiam, & eruditionem exquisitam, admirari illam in Mylianos Manes florentissimi ingenii tui pietatem. Oratio enim nostra jam pene tota typis descripta est, cui nihil minus quam disertæ, singultienti ubique ac cespitanti, maximum pondus adtexta à te purpurâ accedet. Ante omnia autem Deum rogo, ut te Reipubl. & mihi istum animum tuum diutissime conservet.

Lugduni Batavorum 1642. *Decemb.* 18.

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

Hagam-Comitis.

ACcipe tandem singultientem Orationem istam, Heros nobilissime, & siquidem humanitatis tuæ sit, nimia, quibusque minor sum, audenti mihi ignoscere, si hoc tam illustre, tam luctuosum argumentum neque explere possit disertissima ora, neque alia quam lachrymæ, & questus absolvant, si, denique non tanta facundiæ gloria sit, quanta est pietatis, nec veniam admodum nunc rogo, nec de qualicunque laude etiam despero. Tuo saltem judicio hæ curæ nostræ non improbabuntur, quod jam luculentissimum expressisti. Quo nomine ut immortales tibi gratias ago, ita faxo semper, ut intelligas, non nisi ad præclara omnia contendere Boxhornium tuum decrevisse. Quidnî enim tuum dicam, quem tot ingentibus beneficiis talem fecisti? Vale, Vir illustris, & talis mihi ac Musis nostris esse perge.

Lugd. Batav. 1642. *Decemb.* 27.

ROCHO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S. PL.

Hagam-Comitis.

Vir Clarissime,

LItteras tuas, ipso Natali tuo (qui ut sæpius tibi & lætior semper redeat, Deum rogo, scriptas recte accepi. In quibus amorem in me tuum potius, quam judicium agnosco, dum ea mihi tribuis, quæ in mediocritatem nostram non cadunt. Quod vel ex eo colliges, quod voto tuo vix nunc satisfacere liceat. Quæris enim de re antiquitus sepolta, & cujus origo nescio à quoquam accurate possit expediri. Interim qualiacunque ista accipe. Hydromylarum originem refero ad tempora Wilhelmi Romanorum Regis, patris Florentii Quinti,

Quinti, à quo & Præfecti aggerum, qui *Heimradii* vulgò dicuntur, primitus sunt instituti. De quo vide eruditissimum Hadrianum Junium in Batavia pag. 233. Certè isti aggerum Præfecti aut Curatores, hydromylis aliisque ad arcendas aquas machinis operibusque non repertis demandata sibi munia nequaquam exsequi potuere. Unde haud operosum est colligere, & ejus magistratus, & hujus machinæ eadem cunabula exstitisse. Omnino etiam operæ pretium erit, videre in hanc rem litteras Florentii Quinti, quas ex Rhenoburgensis Monasterii archivis olim descriptas inserui Theatro Hollandiæ pag. 39. Si quid insuper sit, quod juvandis rebus tuis facturum intelliges, & à me expediri poterit, paratissimum tibi ac plane tuum cense. Scripsi nuper ad amplissimum Parentem tuum. Sed nihil adhuc responsi accepi. Spero tamen omnia salva esse. Schedas operis Zelandici, quas nuper tibi tradidi, ad eum destinatas esse nullus dubito. Rogo te, ut has quoque, quamprimum licebit ad eundem transmittendas cures. Vale, suavissime amicorum, & me ama.

Raptissime Lugd. Bat. 1643. *Ipsis Kal. Janua. quæ tibi sint fortunatæ.*

HENRICO BRUNONI
M. Z. BOXHORNIUS, S. PL.

EGo verò admiror ingenii tui fœcunditatem; Juvenis ornatissime; cum & infans te fecerit disertum, & primi nascentis vagitus lepidissimi Epigrammatis subjecerint tibi argumentum. Jam ante illam eruditæ indolis tuæ elegantiam merito æstimabam, meus etiam exosculor & amo, postquam non eruditi tantum, sed etiam amici partes apud me egisti. Pro quo beneficio amicum tibi reddo, cui cum cætera omnia desint, optimæ saltim fidei & candoris nomine eædem virtutes vicissim debentur. Quæ quidem quantæ in me sint, experieris cum voles. Ne interim nihil tibi nunc reponam, accipe pro Genethliaco tuo, quanquam nostrum sit imparis ingenii, funebre hoc Epigramma, quod optimo, & cum omnis egregiæ doctrinæ, tum

litterarum orientalium peritissimo viro, Ludovico de Dieu, debebamus.

TUMULUS
LUDOVICI de DIEU.
ORIENS, VIATOR, OCCIDENTIS HIC JACET.
FALLOR. SEPULCHRUM HOC OCCIDENS ORIENTIS EST.

Vale, Juvenis doctissime, & me amare perge. Illustri Hugenio ut quævis obsequia debeo, ita per te officiosissime offerri velim.

Raptim, Lugd. Batav. 1643. *Jan.* 23.

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS S. D.

Ziriza:am.

NEque erat cur longiorem moram excusares, Virorum amplissime, in eo conferendo benificio, quod ego ipse à te petere non debui, sine veniæ præfatione; neque interim quidquam mihi gratius accidere potuit, quam humanitate litterarum tuarum, quæ mihi proxime redditæ sunt, certa jam spes facta, futurum ut desideria nostra quamprimum expleantur. Pro quo nihil in præsens tibi reddo, præter animum antiquum, quam obstrictum tibi, tam beneficiis tuis minorem, neque neglecturum unquam omnis, quamcunque, hercle & quoties expromere licebit, suæ in te gratitudinis edere significationem. Erat porro in litteris tuis, quod silentio prætereundum non duxi. Bene mihi, & filio nato precaris. Gratias ago, &, ut ea vota expleat, sicut pro te, ac tuis nostra, Deum rogo. Sed an non eo ipso graviter à te peccatum sit in Grammaticorum leges, tu videris, Vir eruditissime. Enimvero nata mihi est,

est, ac strenuè vagit Virguncula Juno, cui masculina vel nomina, vel elogia non tribuuntur. Sed ipse potius culpandus sum, qui Eloquentiam tot per annos professus, ipso opere ignorare me ostendo, mascula fœmineis digniora esse, ac ideo præmitti oportere. Interim non peccavimus sine gravissimorum clarissimorumque hominum, veterum, & recentiorum, etiam Heinsii & Scriverii tuorum, auctoritate, qui sic nobis præivere. Vale, Vir amplissime, cum uxore, & liberis, ac salve.

Lugd. Batav. 1643. Februar. 26.

ADRIANO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS S.

Ziriz eam.

FAsciculum, Vir amplissime, rebus fartum lectissimis mihique acceptissimis, rectè accepi. In quo, præter alia, iterum iterumque te legere mihi visus sum. Equidem nescio quid magis hic debeam æstimare, an rerum Patriæ in te cognitionem singularem, an diligentiam indefessam, an amorem ac fidem in me incomparabilem. Sed his dicendis suus alibi erit, id est, quem merentur, publicus locus. De illo vocabulo, *Steenschieten*, ubi per majores curas tuas licebit, paullo certior fieri velim. Syllabum eruditorum Zelandorum attexere operi, eumque, nî fallor, accuratissimum, decrevi. Sed an eum subire debeant etiamnum superstites, nondum constitui, idque tui plane judicii facio. Si enim horum meminerim quantum mihi paratum erit invidiæ apud illos milites gloriosos, qui iis seipsos laudibus extulerunt, ut existimem ne minimam quidem earum partem iis competere? Suppetunt interim mihi rationes, per quas Catzii, Hofferi, & si qui alii similium virtutum, ac meritorum, non silebuntur. Vale, & salve, Vir amplissime, cum uxore, & familia omni.

Raptissime, urgente tabellario, Lugd. Bat. 1643. Mart, 17.

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS, S. D. Pl.

Ziriʒæam.

Magnifice vir,

ECce tibi, quæ ad Chronicon Reigersbergianum pertinentia nunc quidem plura transmittere constitueram, si per clarissimos viros Typographos, homines non nisi lentitudinem professos, licuisset. Sed diligentiores in posterum se fore addicunt. Interim maximo mihi usui sunt, quæ continuò tam liberaliter suggerere non dedignaris. Si quæ alia sub manus tuas se dabunt, ne ea me celes, obnixè te rogo. Etiamsi ad posteriora usque tempora nunc progressi simus, animus tamen est amplissimam appendicem adornare, quam sequetur Syllabus eorum inter Zelandos eruditorum hominum, qui ad plures translati in ejusmodi legi ac superesse debent monumentis. Cui prodesse plurimum te posse scio. Itaque & ista exspecto. Neque enim eorum exemplar servavi, quæ olim tuo nomine ad Cl. Valerium transmisi. Ejus Bibliotheca jamjam prodibit. Ita enim superioribus diebus Lovanio ad me scribit. Passus tandem sum meum hominis non adeo formosi vultum æreâ tabellâ accuratissimi artificis manu repræsentari. In quam ut epigramma aliquod tuum legatur, mea interesse puta. Quod mihi non negabis, qui alia tam promptè & prolixè in me contulisti. Et me exuisse me putes indolem hominis impudentissimi, audeo epigramma tuum constringere intra angustias quatuor distichorum. Sed ipse forsan agnosces tam sterile hic Musis tuis offerri argumentum, ut totidem versus vix possit implere. Ad benificium hoc, adjice, quæso, celeritatem.

Raptissime, & occupatissimus hæc scripsi,
Lugd. Bat, 22. April. 1643.

MAGNO

MAGNO GABRIELI de la GARDIE.

Comiti in Leckjöo, &c.

M. Z. BOXHORNIUS S. D. P.

CUm omnium, qui Romanorum Cæsarum res memoriâ annalium complexi sunt, maximus auctor, Cornelius Tacitus, nunc iterum in publicum exiret, haud alius prior adeundus ei fuit, quam tu, Magne Gardæe, Comes illustrissime. Nihil nunc dicam de loco, quo plane excelso, aut sanguine, quo invicto ac triumphali natus es; nihil de majoribus tuis, qui non Septentrionem vestrum, Martis olim, siquidem fides habenda antiquis, certè fortissimorum ducum matrem semper aut palæstram, sed Belgium quoque nostrum, inter ausa prima & ancipitia libertatis, inusitatâ virtute ac felicitate auxere; nihil etiam de incomparabili Heroë, vero belli fulmine, Parente tuo, quem proximum Boream, ac ultimos ejus, & prope hominum recessus victoriis aut immisso terrore emensum, potentissimo, nec uno, hoste toties castris exuto, tot ad deditionem validissimis civitatibus compulsis, vel vi expugnatis, tantâque accessione amplissimi Suecorum Imperii finibus prolatatis, duo inprimis Divi Reges vestri, Carolus, inter tot facta ingentia, Gustavus, inter tot opera prodigiosa, in tantæ gloriæ societatem haud inviti admittunt; cujusque, cum jam pridem senio fatiscat victrix dextera, optima nunc domi consilia, sive belli illa, sive pacis, audiuntur. Eruditio quippe & ingenium, judiciumque, ac industria immensa, quæ ut egregiæ omnis disciplinæ, ita hujus inprimis omnium prudentissimi Scriptores suam fecere possessionem, hic mihi maximè offeruntur. quæ, hercule, in ejus fortunæ aliis rarò aut nunquam agnita, in te tanta sunt, ut vel hoc solum nomine quantillæ nostræ in Cornelium curæ tibi uni offerri debuerint. Et quid tandem ego non debeo tibi? Tu absens me solâ, quæ plerumq; errat, fama commendatũ prolixissimo judicio tuo, nisi amor potius sit, ornasti; tu præsẽs te-

ctum nostrum quotidie subire, horas tuas mecum partiri: tu in hoc tanto auctore explicando audire cespitantem, non tam ut disceres aliquid, qui ipse omnia absolveras, quam ut cespitanti animum adderes, & ignosceres, ac ignoscere etiam voluisti. Inter quæ cũ idemtidem mecum exputarem, qua maximè ratione grati animi pietatem testari tibi, & horum benificiorum immortalem memoriam adstruere liceret, tu, ecce, splendidissime Domine, debere te mihi censuisti, & ingentis ponderis, pulcherrimique operis torque liberaliter donatum, quamquam multo jam pridem nexu obstrictum tibi, præter omnem exspectationem, in nova me vincula conjecisti. Offerebas tu quidem, ut alicujus nostri in te meriti, ego verò accepi, ut fortunæ tuæ, tuique in me animi illustrissimum monumentum. At virtutes tuas longe antiere posse cętera gratissimi hominis destinationes, neque prodigalitatis tuæ tibi constare semper rationem, ex me disce, qui aliud tibi reddere non possum, neque nunc reddo, præter repetitam hic, & jam publicam confessionem; ei nimirum, qui gratus esse velit in tantorum benificiorum auctores, nec possit, anxiæ inprimis curæ esse tantum debere. Si tamen partem aliquã istiusmodi gratitudinis absolvant sanctiora vota nostra ac complectantur, iisque etiam Principes rerum juventur, scias velim, tuam & illustrissimæ domus vestræ incolumitatem, quotidianarum, quibus supremum numen convenimus, precationum nostrarum esse argumentum. Vale, splendidissime Domine, & dum illustrem operam tuam Gallia haud minus quam Suecia ambit, ac ipso Christianissimi Regis judicio probatum te Augusti corporis custodi legioni imponit, hoc munusculum, ut sic etiam plus debeam tibi, eâ dexterâ amplectere, quâ me solebas; & istum animum tuum semper mihi conserva.

Lugd. Bat. 1643. *ipsis Kal. Maji.*

REL.

REINERO NEUHUSIO
M. Z. BOXHORNIUS, S.

Alcmariam.

QUod inter tot atrocia passim odia, tantaque nunc regnante invidia eorum, qui humanitatis studia sic saltem non nisi nomine profitentur, in votis mihi semper fuit, id tuo nunc etiam judicio assequutus sum, Reinere Neuhusi, Vir eruditissime. Neque enim suaviora offerri nobis possunt qualiumcumque curarum nostrarum delinimenta, quam si honestissimas destinationes iis, quos eruditio & virtus ac candor inprimis commendant, haud improbari intelligamus. Inter quos cum tua tibi præclara merita fecerint locum, magnum sane illud gratissimumque habeo quod me tantopere à te amari intelligam, quem colui jam pridem & æstimavi. Ego autem qui tantum abest, ut earum laudem, quas mihi tribuis, magnitudinem admittere possim aut tueri, ut serio sentiam, tot hactenus à prima usque adolescentia in his litteris ausa nostra vix veniam mereri, pro isto tuo tam prolixo in animo parem tibi reddo, & quorumvis officiorum, quoties tu quidem experiri illa voles, sanctitatem ac constantiam addico. In cujus rei fidem hæc opuscula nostra nunc admitte, in quibus nova, antiqua, læta, tristia, sacra, profana, denique farrago rerum diversissimarum, vel, quod potius, & solum dicendum erat, temeritatis juxta, ac inscitiæ nostræ publica exempla. At quàm erudita, quam diserta, quam cum ipsa meliore antiquitate contendunt, quæ tuo nunc beneficio lego, quæ passim jam celebrantur, quæque pari veneratione ipsa aliquando posteritas intuebitur, Neuhusiorum ingenii monumenta? Tu quidem in illo Eloquentiæ tyrocinio fastigium ejus, ac verum robur absolvisti. Tantum est ex erudito, & ad immortalis gloriæ adeundam hæreditatem facto sanguine prognasci; tantum in Romanæ facundiæ alumna

alumna domo, & omnis egregiæ officina disciplinæ educari. Quæ dum scribo, Parentem tuum inprimis cogito, qui ista adeo exculta manu ea consignavit, ad quæ ipsa invidentia assurgere, & venerantium officia conferre necesse habet. Inter quæ, ut de aliis nunc non dicam, merito suo censenda est, cujus ἀπεσπασμάτων ad me misisti, *Infantia populi Romani.* Quæ quod in eâ ætate solenne est, nullos hîc vagitus edit; sed cum majestate quadam dicendi gloriæ suæ majestatem prælud it. Hoc ipsum epigrammate nostro his diebus expressi. quod ut æqui bonique consulas, impense te oro. Vale Clarisſ. & amicissime Neuhusi, & sic bene de Repub. erudita mereri, ac me amare perge.

Raptim Lugd. Bat. 1643. *ipsis Kal. Jul.*

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S. PL. D.

Assenedam.

Nisi generosi animi, ac proinde tuum esset, illustris Domine, prioris beneficii magnitudem in ejusdem constantia tueri, nullus nunc apud humanitatem tuam precibus nostris locus esset. Socer meus Duvelarius, cum inter eos, quos ut gerendo Middelburgensis Reipubl. Consulatui pares judicium publicum Celsissimo Principi nunc sistit, *se quoque Principibus permixtum agnoscat Achivis*, authoritatem tuam implorare per me iterum audet, experiendo ante biennium edoctus, quantum illa ad honestissimæ ambitionis explenda vota possit conferre. Patere itaque sic denuò te rogari ab iis, qui ut nunquam grati satis esse possunt in tantorum beneficiorum auctores, ita frequenter eos conveniunt, à quibus promoti hactenus sunt, & solis intelligunt se posse juvari. Vale, illustris Domine,

Middelburgi Zelandorum. ipsis Kal. Augusti, 1643.

Ad

Ad hujus quoque causæ commendationem vel illud imprimis facit, quod optimo Principi visum fere hactenus sit, ad consulatus honorem eos hic maxime provehere, qui eum ex fide recteque jam ante gesserant. Inter quos cum bonorum omnium judicio socer meus censeatur, conservandæ hujus tam præclaræ existimationis interest, ut in authoritate tua ac gratia, qua polles plurimum, decus nunc ac præsidium inveniat. Iterum vale, Nobilissime Domine, & audaciæ meæ ignosce.

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS S. PL.

Ziriczeam.

Amplissime Domine,

CUm nullæ mihi unquam feriæ magis districtæ sint oblatæ; & in earum finem incidat terribilis visu moles monumentorum, quæ hæc ditio habet, publicorum; inque iis, ut oportet, excutiendis, opus sit lectione adsiduâ, & prope infinitâ, veniam mihi, ut spero, dabis, culpam non nisi apud te excusandæ temeritatis profitenti, &, licet aditum ad vos addixerim, abiturienti tamen potius; quam abeunti. Equidem scribo hæc invitus; at interim in eam conjectus necessitatem, quam ipse haud dubiè agnoscis, & ob quam nihil sequius de meo in te animo statuendum arbitraberis. Multa supersunt, fateor, ad quæ penitius cognoscenda, constitueram præsens oracula tua consulere; sed cum manum mihi injiciant ea, quæ præfatus nunc sum, & in tua manu sit docere etiam me absentem, in magnâ spe sum fore, ut per te quidem nihil eorum desiderem, quæ perficiendo suscepto operi, quod sane haud mediocrium curarum esse intelligo, factura videbuntur. Ecce tibi syllabum eorum, quæ rogamus; & cum eo conjunctam ingenuam ejus confessionem, qui quod totiens addixit, totiens invitus distulit, & inter charissima ac desideratissima habet habebitque semper, aliquando aliam, si id

si id velit Optimus Deus, prolixè est expleturus. Vale, Vir maxime, & mihi ignosce. Lectissimæ conjugi tuæ, totique familiæ omnia prosperrima eveniant.

Middelb. Zeland. 1643. ipsis Kalend. Septemb. quæ me Leydam vocant, nec tamen, ob plurima, quæ agenda restant, nisi proxima hebdomade dimittendum.

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS, S.

Ziriz.eam.

Amplissime Domine,

Binis litteris, ac fasciculis totidem, quæ Middelburgo ad te destinaveram, quid factum est, Vir amplissime? Nam tanto solicitior hæc rogo, quod in eorum altero Codices aliquot rationum ejus Zelandiæ, quæ ad Orientem Scaldis est, quos beneficio tuo inspexeram, cum veteri Chronico Goudano, aliisque continerentur. Probe ea ad te curata esse, hactenus spero potius, quam credo. Quid, quod, inter alia, ex te quæsiverim nonnulla, de quibus inprimis certior fieri velim. Tu interim nunc demum intelligis, rem tibi esse cum eo homine, qui finem audendi, rogandi, & in graviores curas tuas involandi non facit. Nihilominus responsum tuum efflictim desidero. Sed & adimendis animi curis multum conferet si intelligam, haud vanas tibi esse visas eas rationes, ob quas, quanquam contra spes meas omnes, ac promissi fidem, proximè elapsis feriis, ad te ire me haudquaquam potuisse, significavi. Domum reverso mihi Lovanio ab Andrea Valerio, V. Clar. traduntur litteræ, quibus nunciat Bibliothecam suam Belgicam, opus, opinione, ut fit, vastius, jam prodiisse, & intra paucos dies exemplaria ad nos itura. Faxo ego, ut videas, quamprimum licuerit. Pars Chronici Zelandici altera ad finem perducta est, appendice exceptâ, ad quam augendam tu forteau nonnulla adhuc potes conferre. Quod ut facias,

cias, iterum te rogo. In exstrudendâ primâ, totus nunc sum; in quâ ea leges, ex quibus intelliges, quam multa antiquitus sepulta nuper in Zelandia inspexerim. Quid in eâ hactenus præstitum sit, schedæ, quas hic vides, testabuntur. Typographi absentia fecit, quo minus id nunc præstare potuerim. Vale, Vir amplissime, & fac quamprimum intelligam, nihil à me commissum esse, ob quod amore tuo, quem sane maximi facio, indignus possim videri. Conjugem tuam, ac familiam omnem Deus sospitet.

Lugdun. Batav. 1643. *Septemb.* 19.

ADRIANO HOFFERO

BOXHORNIUS S. PL.

Zirizeam.

Amplissime Vir,

PArum abest quin crurifragium imprecer tabellario vestrati, homini quidem, quod sciam, non malo, sed, immane dictu, quàm nunc festinanti. Prope credas, Zelandiam salvam esse non posse, nisi hic ardelio actutum ad vos excurrat. Ignosces justissimæ indignationi. Sic enim fit ut in ipso exordio finem facere cogar litterarum. Et vix est, ut vota mea nunc consignem, quibus, ut carptim exponam eorum argumentum, satisfactum erit, si quamprimum ad me ea veniant, quæ augendo, ornandoque operi nostro sunt factura. Utinam etiam redirent schedæ istæ, in quibus Zelandicæ Dynastiæ (Ambactosi forte Cæsaris) sunt comprehensæ, quas, aut fallor, aut Middelburgo ad vos transmisi. Vix moram desideria nostra pati, ex his, quæ excusa vides, satis cognosces. Vale, Virorum humanissime.

Lugd. Batav. 1643. *Octob.* 20.

JOH.

JOH. FRED. GRONOVIO

M. Z. BOXHORNIUS, S.

UT nihil mihi gratius tua amicitia est, humanissime Gronovi, ita longo huic silentio nostro facile ignosces, præsertim si ex tuis occupationibus meas etiam collegeris. Quæ in Tacitum, qui multum certè debet tibi, per otium nuper meditatus sum, per Heinsium nostrum ad te inprimis destinanda curavi; non quod ea mihi talia viderentur, in quibus aliquid magnopere placere posset tibi, qui in hoc scripturæ genere eo ingenio, eâque felicitate versatus es, ut has litteras plurimum obstrictas tuis curis agnoscamus; sed ut limatissimum judicium tuum elicerem, de iis cum primis, in quibus (qualia forte pleraque omnia tibi videbuntur) aberrasse à recta via mihi contigerit. Quod ut facias, per amicitiam nostram, & candorem tuum, te serio nunc rogo. Tuas in Livium observationes avidè omnes exspectamus. Manilii editionem novam, & uberrimos in eum Commentarios Gevartius tuus meditatur. Freinshemius bonas litteras Ubsaliæ docet. Vale, Vir eruditissime, & me ama.

Lugd. Batav. Novemb. 13. 1642.

ADRIANO HOFFERO

M. Z. BOXHORNIUS S. D. P.

Zirizæam.

PAtieris, Amplissime Domine, ut silentio tibi gratias agam, qui alio, atque alio identidem beneficio à te ornatus, non alia, quam superioribus annis testatus sum, adferre nunc possum, neque debeo eorundem instituere fastidiosam repetitionem. Obiter hactenus mihi inspicere licuit, ea quæ postremo transmittenda censuisti,

fuisti, & sic satis intelligere, merito tuo deberi tibi ORNATORIS PATRIÆ TUÆ cognomentum. De inscriptione numismatis quod mones, gratissimum fuit. Ego eam modo semel inspexeram apud amplissimum Schapium, harum inprimis rerum studiosum, & memoriæ lapsu, præsertim tot districtæ curis, neque totam repræsentavi, & *immensas*, pro *indigenas* rescripsi. Quod postremum planè probum est. Elegantissimi ingenii distichon illud esse statim agnoscebam; sed de ipso auctore nihil mihi constabat. Quousque in opere nostro perventum sit, ex his facile colliges In Middelburgensis urbis descriptione offeret sese Abbatum syllabus, sed nostra cura multo auctior, &, nisi fallor, planè restitutus. In eadem leges seriem multorum sive Corporum, sive Collegiorum, & Magistrorum sive Præfectorum nomenclaturas. Quod non tam judicio meo dedi, quam illorum, qui id inprimis urgebant Sic factum est, ut multi, qui sine historiæ dispendio omitti poterant, *se quoque Principibus permixtos agnoscant Achivis*. Opus nostrum exspectatione ac destinatione majus fit. Utinam in majore forma, sive folio, ut loquuntur vulgò, in lucem exisset! Sed illa vota sera jam sunt. Ex illis tabulariis Brabantiæ, quorum meministi, nonnulla Zelandiam, Veriam inprimis, spectantia, ad manus meas pervenerunt. Vale, Vir amplissime, & salve. Uxori tuæ, liberisque etiam faveat propitium Numen.

Lugd. Batav. 18. *Novemb.* 1643.

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS, PL. S.

Zirizæam.

Amplissime Domine,

CImelia ista, quæ oculis nostris subjicere dignatus es, ut jusseras, jam nunc remitto, & iterum me plurimum debere tibi agnosco. Statueram in Zelandicarum Urbium descriptione, eorum etiam meminisse, quæ sub initium

Bel-

Belgicorum motuum evenêre; sed in eam molem opus excrevit ut ea aliis curis servare potius duxerim. Nunquam sane futurum credideram, ut hic labor tam diu nos distineret. Sed jacta est alea, & quod restat eodem, quo cœpi, animo, devorandum est; filio tuo non displicuisse nostra, ex elegantissimo carmine intelligo, quo industriam nostram celebrandam existimavit, & gaudeo; nisi quod modestiæ nostræ graves sunt nimiæ ejusmodi laudationes. Proxime apud eum gratiarum actione defungar. Non ignorat prope immensas meas occupationes, ideoque huic moræ facilè veniam dabit. Sed & proxime Heinsius noster testabitur, quanti tuum istum in se animum faciat. Munera enim tua illi, Scriverioque, ac mihi, eò majora visa sunt, quia non debebantur. Quæ in Zelandicis nostris Commentariis notaveras libens legi; & amicos meos, quorum te Principem habeo, in qualibuscunque scriptis nostris excutiendis non ut amicos, sed ut hostes velim versari, & de iis serio severoque judicio me admonere, quæ perperam se habent; sed & monito etiam, quod humanitatis tuæ maximè est, ignoscere. Neque interim grave tibi erit, hujus hominis, qui minimè contumax est, audire defensionem super iis, quæ nonnullâ ratione licet tueri. Quod enim non dignationis singularum urbium, sed situs, in earum descriptione pertexenda, rationem habuerim, datum est exemplo antiquorum, quos tamen forte nimis anxiè sequor, qui in Topographico ejusmodi opere haud aliâ methodo utuntur. Neque sic singularum gloriæ aliquid decedit, cum in singulis meminerim ejus loci, quem in supremorum Ordinum Comitiis tuentur. Elegidia tua in aliquot Patriæ tuæ urbes & legi, & probo. Vale, Vir amplissime, & cum omni familia salve.

Raptissime Lugd. Bat. 1643. *ipsis Cal. Dec.*

Salmasius ad nos reversus est. *Arma, virumque cano.* Fortè in aciem nobis iterum prodeundum erit. *Quem dabis finem, Rex magne, laborum?*

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO
BOXHORNIUS S.

Ziriʒæam.

Amplissime Domine,

BEne me habenti mihi tuæ traduntur; sed lectæ ægritudinem animo injciunt, dum nunciant tuam. Verna interim, quæ indies mitiorem se dabit, tempestas, & vota, quæ pro salute tua sanctissima concipio, optimè jubent me sperare. In excudendo opere nostro quam lentus sit typographus, ex paucis, quas hic vides, pagellis, intelligis. In magnâ tamen spe sum fore, ut sub proximi mensis finem ultima ei manus imponatur. Excrevit liber supra primas destinationes longissime; quod quanquam nonnihil laboris ac molestiæ mihi, tot aliis tracto, adferat, tamen tuebitur plurimarum rerum memoriam, quæ in luce hominum olim gestæ, in præsentissimo jam discrimine perpetuæ oblivionis versabantur. Ego certè id inprimis volui; an assequutus sim, eorum judicii esto, qui candidè judicare possunt de curis non omnino infelicium, aut desidum ingeniorum. Ea, quæ monere dignatus es, faxo ut intelligas, mihi probari. Si quæ alia docendus sim, utinam in tempore intelligam! Hesterno die ex Scaldia in Zuydbevelandiam transgressus sum, & tamen, quod miraberis, hæc scripsi *Lugd. Bat. Martij* 8. *an.* 1644.

Inter par nobilissimorum, Heinsium, Salmasiumque, Illustrium Academiæ Curatorum interventu, pax tandem sancita est. Utinam tam facile in illa afflictissimâ nunc Europâ! De Monasteriensis Conventus fine ac exitu futuro, nuper ambigebam; nunc de initio dubitandum est. Inter has interim pagellas habes minus ardui operis nostri secundæ partis & initium & finem.

ADRIA-

CONSTANTINO HUGENIO
BOXHORNIUS, S.

QUod tuum eſt, tibi ego offero, Hugeni Conſtantine, Virorum Nobiliſſime. Puteani epiſtolæ ſunt, amoris ac fidei, humanitatis ac elegantiarum omnium coagulum. Addo etiam, beneficium in publicum ac me tuum. Quod enim ſoli tibi ſcripta, non ego modo ſed & alii jam legant, ac meis id votis datum ſit, lubens gratuſque agnoſco. Tu autem, Vir illuſtris, talis porro eſſe perge, qualem, id eſt, omnibus ejuſdem fortunæ ac loci aliis imitandum, te hic legis; & ab eo ſalve, qui ut rariſſimum ſæculi ornamentum te colit.

Quid ex *Scythiâ* illâ noſtrâ, illâ, ut iſte loquitur, vaginâ gentium & officinâ nationum, proxime exſpectandum ſit ex his Quæſtionibus, ad quas jam reſpondeo, facile intelliges.

ROCHO HOFFERO
M. Z. BOXHORNIUS, S.D.P.

Zirizæam.

Vir conſultiſſime,

NOn erat nunc otium multa ſcribendi, quanquam multa deberem tibi. Unum id verbis pauciſſimis, animo autem prolixiſſimo teſtari ſic licet, & ampliſſimi Parentis tui morbo indoluiſſe me vehementiſſime, & intellecta valetudine in melius indies eunte gaviſum eſſe quam maxime, ac denique optimum & maximum illum Deum rogare medullitus, ut eum ſervet quam diutiſſime. Vale, amiciſſime, & brevi à me aliud reſponſum exſpecta. Nunc enim judicare tantum licet, hominem jam occupatiſſimum non poſſe reſpondere.

Lugd. Batav. April. 21. 1644.

ADRIA-

ADRIANO HOFFERO

BOXHORNIUS, S.D.

Ziriʒæam.

Amplissime, & Consultissime Vir,

DE immenso mœrore, quẽ mihi gravissimus morbus tuus injecit, multa jam non præfabor; unum id modo nunc dicam, haud minorem esse lætitiam, qua sum affectus, postquam te reddi sensim pristinæ valetudini accepi, cumque ea conjungi sanctissima vota, quæ virtutum tuarum caussa, longævitati tuæ debentur. Chronicon nostrum rerum Zelandicarum ultimam manum & meam, & typographi, celeberrimæ lentitudinis hominis, jam accepit. Et postrema, quibus partem operis primam clausimus, probè ad te delata esse confido. Restant dedicatio, & præfatio. Non possum non istâ ad Illustrissimos Zelandiæ Ordines ire, cum eorum ea omnia sint, quæ impari quidem ingenio & stylo, sed animo devotissimo, descripsi. Non lucelli alicuius reportandi spe (quæ ab animo meo, hercle, abest, quam longissime) sed ut industriam meam probem. Interim id & gratissimum & honorificum inprimis accideret nobis, si forte Historiographi Zelandiæ Ordinum titulo donaremur; non ambitionis caussa, sed quo plus auctoritatis ac ponderis sic accedere possit ad ea, quæ in gentis vestræ annalibus, sive priscis, sive recentioribus, dehinc adhuc ausuri sumus. Et sane identidem hæc animum meum subit admonitio, quod per ejusmodi hominem hactenus æternitati gloriæ suæ Zelandiæ non prospexerit, cum id jam pridem ab aliarum Belgii ditionum Ordinibus factum sit, in quorum annalibus, si cum vestris conferantur,

Infœlix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Non potui, aut debui apud te dissimulare honestissimam ambitionem, præsertim cum eâ auctoritate sis, ut haud difficulter civitatis vestræ votum mihi valeas

con-

conciliare; & eo in me animo ac fide, ut etiam velis. Quod ut quamprimum fiat, per humanitatis tuæ genium te rogo; ſicut &, ut me certiorem facere non digneris, quid ſuper hac re conſilii tui ſit; quod mihi inſtar omnium eſt futurum. Sed næ ego ſum hominum omnium, quotquot vivunt, impudentiſſimus, qui adhuc infirmo tibi, & vix ab atroci morbo ſatis reſpiranti, gravis eſſe audeo. At confido cœlo placuiſſe, & auditas eſſe noſtras pro te preces, & optime, ac baſilice, ut ille loquitur, te valere. Ita diutiſſime vale, & vive, Vir ampliſſime. Ita etiam ſemper valeant omnes tui.

Raptim Lugd. Batav. 1644. Maji 5.

Statui proximis Ordinum Comitiis curas noſtras offerre. Quando autem illa celebrabuntur?

NICOLAO BLANCARDO M. Z. BOXHORNIUS, S.P.D.

Noviemagum.

CORnelius Tacitus, divinus ſcriptor, ſæpe mihi in manibus: & fidenter dicam, non ſinè immenſo fructu. Sive enim prudentiam quæro, quis magis aperit, quis ſubtilius oſtendit? ſive priſcos ritus; multa in eo recondita: ſeu denique majores noſtros, quis curatius, melius, diſertius deſcripſit? Quæ de iis poſteri noverunt, uni Tacito debentur. nam quæ Livius Aſiniuſque Quadratus & Plinius de Germania tradidere, iniquitas temporum conſumpſit. Sed de auctore omitto, qui ſuis ſe virtutibus ſatis prædicat, ſuis ſe dotibus ſatis commendat. Is Lipſii cenſuris probè limatus: niſi quod vitiorum etiam nunc ſupereſt, emendandum nobis. Locus eſt primo Hiſtoriarum: *Dilapſis ſpeculatoribus, cetera cohors non aſpernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis & nonnullo adhuc conſilio, parat ſigna.* In manuſcriptis, ut Pichena notavit, legitur; *Ut turbidis rebus eventior te magis, & nonnullo ad-*

lo adhuc consilio, par signas. Ex quarum literarum vestigiis sic rescripserim; *ut turbidis rebus evenit, reverentior magis, & nonnullo adhuc consilio, parat signa; an, quod postea creditum est, insidiis & simulatione.* Ait, *reverentior magis*, nempe Principis, quam speculatores, qui Pisonem concionaturum deseruerant. *Reverentior*, ut alibi noster, *metuentior*, aut *metu intentior*. Nec ambigo, quin ea vox lateat in corrupto verbo, *eventior*. Sequitur: *nonnullo adhuc consilio*, quo hactenus sic utcunque statuebant, utilius fore Reip. ac sibi, agnoscere Principem potius Pisonem, quam Othonem, nulla virtute redemptum. *An* illud postrema syllaba antecedentis vocis, *signa*, intercepit.' Est verò particula dubitantis. Annalium quintodecimo legitur: *Vis fulgurum non alias crebrior, & sidus cometes sanguine illustri semper Neroni expiatum.* Ubi inducenda vox, *Neroni.* Ridiculum est, mortem illius in eo sidere expiando notari potuisse. Idem notat quod alio in loco, nempe eo sidere mutationem regis portendi, aut in simili re, parari rerum humanarum aliud caput. In Germania occurrit quod non mutem, sed distinguam. Lege sequentia: *Primo à victore ob metum, mox à seipsis invento nomine Germani vocarentur.* Clarum est interpungi debere: *Primo à victore ob metum, mox à seipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* Nomen *Germanorum* olim unius tantum nationis fuit, ejus nempe, quæ deinceps dicta est, *Tungrorum.* Nota erant variarum gentium vocabula, ut Suevi, Vandali, Catti, Batavi. At Tungri, cum Rhenum transgressi Gallos expulissent, aliæque vicinæ gentes, omnes transrhenanos populos communi nomine *Germanorum* insignivere. Hinc Tacitus: *Primo à victore ob metum Germanos omnes esse vocatos.* Postea transrhenani nomen ab aliis inventum libenter admisere; quod neque alienum esset, unum extare, quod commune esset multis, vocabulum; neque indecorum, id nomen à celebratissima fortissimaque postea Tungrorum gente mutuari. Hæc mens auctoris, cum statim subjungit, *mox à seipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* Sagacissimus interpres emendandum conjicit: *à reipsa invento nomine.* Germani enim

etymo prisco bellaces viri sunt. *Gerra* bellum. Invenisse ergo id nomen ait ab ipsa re, quia tales. Sed ea conjectura ingeniosa magis quàm vera, ut ex dictis liquet. Est simillima ejusdem emendatio ad hæc verba: *Herthum, id est, Terram matrem colunt.* Ibi *Herthum* mutat in *Aerthum*, quia id vocabulum cum adspirata non terram nobis, sed focum notat. Sed *Hertam* scripsisse Germanos, testes antiquæ Glossæ nostræ, in quibus *solum* exponitur *herda, herdi.* Hos paucos locos, mi Blancarde, facio judicii tui.

Vale. Lugd. Bat. 1644. *Idibus Maiis.*

Nimium quantum desidero Johannis Smithii oppidum Batavorum. Tu, qui in Smithianis ædibus nobilis antiquarii Romanam supellectilem curiosa mente perlustras, monebis virum atque urgebis, ut cœptam telam aliquando pertexat. Quo nomine, quia id solus potest, apud præsentes favorem, apud posteros famam sempiternam demerebitur. Iterum vale.

ROCHO HOFFERO
BOXHORNIUS, S.D.

Ziriʒæam.

Consultissime vir, & præcipue amicorum; Ego ad inexspectatum nuncium excessus optimi Parentis tui, quem paullo ante convalescere, quem me constanter adhuc amare, quem destinationibus ac commodis nostris promovendis pro virili incumbere, ex tuis, velut ejus, litteris acceperam, ita profectò sum consternatus, ut magnitudinem justissimi doloris scribendo non valeam adæquare. Tu tamen facile eam colliges si incomparabilem jacturam, quam ego etiam privatim feci, tecum reputaveris, eo mihi erepto, qui ad instar filii me dilexit, qui tot rerum testimoniis id probatum fecit, qui tot obtulit mihi, tot petiit præsentis, quibus nihil mihi gratius accidere poterat, amplexus, qui nuperrime tot publica instrumenta, ad augendum gentis

gentis vestræ splendorem facientia, benignissime communicare dignatus est, quo cultius locupletiusque illud opus prodiret, cui extremâ manu vix à me imposita, ossa ejus, ecce, & extrema componuntur, qui his in me prolixissimis officiis adversæ valetudinis momenta continuo dispunxit, & in his prope defecit, qui denique optimi sanctissimique amici virtutes omnes erga me ita excessit, ut cum injuria indulgentissimæ ejus pietatis conjuncta futura quæ mihi superest semperque superfutura est ejus memoria, si solo amicitiæ nomine illam commendem. Vides igitur quanta mihi vobiscum dolendi imposita sit necessitas; ac pariter intelligis, à me consolantis officia, quæ mœstissimæ domui vestræ debentur, in præsens non esse exspectanda, cum ipse maximopere indigeam ejusmodi solatiorum. Quod & optimæ matri tuæ, quæ jam *compari*, ut ille loquitur, *viduata gemit*, meo nomine significabis. Quàm primum se paullum collegerit animus, faxo intelligas cum desideratissimo parente tuo memoriam tot illustrium ejus virtutum apud nos haud esse sepultam. Vale, dilectissime amicorum, & animum sensim confirma constantibus exemplis; sed & patiaris adire me paternæ amicitiæ hereditatem. Salveat à me mater tua, & familia omnis atrata.

Lugd. Bat. 1644. *Iunii* 5.

HENRICO BRUNONI

BOXHORNIUS S. PL.

Hagam-Comitis.

Amicissime virorum,

VIde quantam in virtutibus tuis fiduciam reponam, quamque iis quidvis debere constituerim. Litteræ, quas hic vides, ut ad manus ejus veniant, cui inscriptæ sunt, interest illius, cui ego jam pridem obstrictus sum. Itaque opem tuam nunc implorare ausus sum, eâ lege,

ut viciſſim à me erigas, quidquid præſtare poſſe judicabis. Inprimis autem, ut certo credas, me illud præclarum ingenium tuum conſtantiſſime & amare & æſtimare.

Midd. Zeland. 5. *Aug.* 1644.

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS, S.

PRodit ergo tandem Zelandia noſtra, & ſe tibi ſiſtere audet, Vir Nobiliſſime; vetus ſimul ac nova, ſedes illius gentis, quæ progenies Neptuni pariter ac Martis geſſit plurima & tulit: quæ magnam partem obſcuriora hactenus aut ignorata, tibi exiſtimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi ſcribenti fuere. Occurrent & quædam, quæ more potius inter noſtros recepto, quàm recto judicio probantur, populo potius data & ſcripta, quàm tibi, aut iis, quorum oculis nonniſi magnifica omnia ſubjiciuntur. Paucorum adhuc, ſed id benignum ſatis, judicium intellexi de hoc opere, quod omnibus ſcripſi; ac idcirco, tanquam ſit eadem omnium futura ſententia, iſto paucorum judicio, velut omnium, lætor. Auctores vero mihi fuere præcipuæ hic dignationis viri, ut ad hiſtoriographi hujus populi titulum contendere auderem: & jam certus ſum fore, ut de hoc deſiderio noſtro, quod amoris plurimum in hanc gentem ac fidei, nihil autem arrogantiæ aut avaritiæ habet, proximis Ordinum Comitiis agatur. Aſſumo te in præſidium ſpei meæ, Heros maxime, ac ſupplere rogo, quæſoque, ut illuſtri Knutio, quem plurimum hic poſſe non ignoras, qualiacunque iſta ſtudia noſtra commendare non dedigneris. Intereſt ſaltim Zelandorum, ut majores eorum tandem aliquando veris laudibus & perpetuo opere celebrentur, ac poſteri ſub eorum illuſtri exemplo præmoneantur, quâ potiſſimum viâ poſſint ad eandem gloriam eniti. Porro, officium pietatis, quod ſocero meo, Duvelario, hujus urbis Exconſuli, ſeni optimo & integerrimo, debeo, nunc

nunc etiam iujungit mihi, ut repetitâ anniversariâ, quam nosti, prece eum tibi commendem. Quod ut petenti negare nefas erat; ita tu mihi facile ignosces, qui ejus gratiâ, cui obsequentissimum me addixi, tibi, cui nimium jam debeo, gravis esse cogor. Statueram ad castra ipse excurrere, & dextram tuã supplice osculo contingere, sed trepida Venus nostra intervenit; quæ crebro occinit; *Bella gerant alii.* Deus te Patriæ, Principi, ac nobis quam diutissime servet, Vir illustris.

Middelburgi Zelandorum 1644. *Aug.* 15.

REINERO NEUHUSIO
S. P. D.
M. Z. BOXHORNIUS.

Clarissime Vir,

Agnoscis epigramma hominis ab itinere recentis, & qui post anniversarium otium, quod caniculæ æstus hactenus nobis fecit, cum Musis suis nondum in gratiam rediit. Tua verò omnia quàm docta, quàm venusta! Quantum in iis elegantiæ antiquæ! in publicum ergò securus prodi, Vates & disertissime & suavissime. Ac boni consule hanc imparem devotissimi tibi animi nostri significationem. *Lugd. Batav.* 1644. *die Sept.* 8. quo ipso mihi è Zelandicâ reduci illæ tuæ gratissimæ tradebantur. Quæ ad amplissimum SCHOTANUM nostrum destinaveras, rectè tradita sunt. Vale, Amicorum jucundissime, & salve.

In NEUHUSIORUM
Nomen, Cum
REINERUS NEUHUSIUS
Poëmata vulgaret.

Hactenus antiquis desertis sedibus errant,
Nec certos habitant Numina nostra lares.

Hactenus & nostris pulsæ quæruntur in oris,
Hactenus ignotæ sed latuere Deæ.
At pridem extorres, Neuhusi, *haud quærimus ultra*;
Ecce Novam *veteri præposuere* Domum.

M. Z. BOXHORNIUS.

JACOBO BASELIO
BOXHORNIUS, S. D.

Bergizomium.

CUr in natalem urbem per has ferias non venerim, si rationes omnes explicarem, multæ essent, Baseli ornatissime. Reduci autem mihi tuæ traditæ sunt, in quibus à gratiarum actione incipere, necesse non erat apud me, qui virtutes tuas & amavi semper & ornare, ubi licebit, nunquam, desistam. Dum Middelburgi hæreo, scripsi vernaculâ linguâ commentariolum de Comâ. Argumentum est, majores nostros ab omni retro ævo Comam aluisse, ac proinde admodum eos falli, qui hunc morem ut novum pro concione damnare non dubitavere. Editus est ille Middelburgi apud Fierensium, sed exemplaria nondum ad me transmissa sunt, quæ & causa est, cur jam ea ad vos destinare non potuerim. Specimen collectionis Proverbiorum fac, si placet quamprimum videam. Ego in iis multum sapientiæ latere semper judicavi. Et profecto rem ita se habere, magis magisque intelliges. Sed cavendum, ne, quod plerumque fieri solet, Phrases elegantiores cum Proverbiis confundantur. Neque enim hoc nomine alia veniunt, quàm in quibus est γνωμολογικόν τι. Porro ad amplissimum Turcæum scripsi, & desideria tua serio commendavi. Tu has illi trades. Vale & salve, Juvenis doctissime, & hoc age.

Raptissime Lugd. Batav. 1644. Septemb. 20.
Salveant à me amplissimi Roucquii.

CON-

CONSTANTINO HUGENIO
BOXHORNIUS, S. Pl.

Hagam.

Illustris Domine,

NOvo, sed per tot jam annos optato huic Reipubl. more, revertenti à recentissima, felicissimaque expeditione imperatori gratulatus sum. Non esset rationibus nostris apud adversos locus nisi incomparabilis ejus virtus fecisset.qui longe lateque jam victor cum solus explere possit totius patriæ votum, & tot annorum, hanc non difficilis, ut spero, admittet, licet privato, nec diserto, ore expressam publici, quod hoc tantum nunc agit, ac expendit, judicii significationem. Vale, Virorum maxime, & ab illo te coli patere, qui æternum erit,

Illustri tuo nomini

dicatissimus

Lugd. Batav. 1644. *Novemb.* 7.

M. Z. BOXHORNIUS.

ROCHO HOFFERO
S. D. Pl.
M. Z. BOXHORNIUS.

Ziriczaam.

Amicissime virorum,

MUlta profecto amplissimo Parenti tuo debeo; pauca tamen, nisi displiceant, imagini ejus meo nomine subscribentur. quæ nec pauca sunt, si animum videas. Potuissem si non dare meliora, certè istiusmodi plura; sed nosti intra præscripti spatii angustias & amplitudinem argumenti, & qualiscunque ingenii nostri ubertatem cohiberi. Erit alibi commodior locus explicandi virtutes ejus

Viri, quem, si quisquam, ego impatienter desidero. Vale, vir consultissime, &, ad Patris tui instar, me ama. Salveat etiam tua, ut & socer tuus, cui officia omnia meritò defero. Raptim & ægrâ manu, (nam anniversarius mihi morbus, tumor lienis incubuit.)

Lugd. Batav. 1645. *Januar.* 7.

IN IMAGINEM

Viri amplissimi, eruditissimique

ADRIANI HOFFERI,

Domini in Bommenedâ &c. Regalium Zelandiæ, quæ ad Orientem Scaldis est, Quæstoris generalis.

PAtria quem toties sublimi in sede locatum
Majorum stupuit passibus ire parem;
Cui toto Phœbi perfuso numine, Musas
Debendi Phœbus credidit esse reas;
Hoc erat Hofferus vultu. Quod patria semper,
Quod semper Phœbus lugeat, ille fuit.
Sæpe viri, spectes quam tantum, offertur imago:
Hic quam, si possit, quisque sequatur, habet.

M. Z. BOXHORNIUS.

CONSTANTINO HUGENIO

M. Z. BOXHORNIUS, S.

Illustris Domine,

TAnti Principis liberalitati toties & nunc iterum, neque minus exquisitis illis tuis virtutibus, quibus fit, ut neque merentes illud, neque exspectantes Musæ nostræ aureo Imbre ubertim se perfusas agnoscant, debui certe jam pridem solemnem gratiarum actionem. Cæte-

Cæterum ut ut ea lentitudine largiter in humanitatem tuam peccasse possim videri, veniam tamen ab eadem facile hunc hominem impetraturum confido, qui per menses jam aliquot languet, & dum neque valet satis, neque ægrotat, vix præsens aut literarum ministerio debita officia valuit occupare. Est mihi vetus hospita domi, quam obstructionem lienis vocant, quæ hac fere anni tempestate gravior molestiorque incumbit, & medicum sæpius, quam literas salutandi imponit necessitatem. Petieram ab . . . . identidem ad vos excurrentes, hoc nomine ut causam nostram apud comitatem tuam tueretur. Quod an ab eo factum sit, nescio. Hoc scio immodestia ac intemperantia . . . . oris per hos dies evenisse, ut sereno animo frui non potuerim muneribus Deorum Octiduum præter propter elapsum est, cum . . . . quæsivit, an ad nobilissimum Zuilichemium nondum à me literæ exissent. Nondum dedisse, quod res erat, tum respondi. Animi enim & corporis nescio quo languore fuisse impeditum. Tum ille magno supercilio exclamare; me boni moris ignarum esse, ingratum, & humanitatis omnis expertem; denique illustris Zulichemii amores in iram ac indignationem versos; id me experiundo cogniturum. Excepi ad ista ego, non esse illum censorem morum constitutum. Curaturum me ne inveniar ingratus. Molestissimum autem animo meo, supra quam dici potest, fuit, quod tanta adseveratione eum Heroa implacabiliter irasci mihi diceret, apud quem ipsam comitatem & mansuetudinem habitare, quem amicorum vitiis ignoscere etiam posse multis experimentis didiceram; cujus denique unius pacis ac amoris causa libenter cum omnium odiis velim colluctari. At non satis fuit ei hanc, nobis solicitudinem injecisse, pudorem etiam nostrum hesterno die, eodem in loco aggressus est. Quippe auditæ tum ex eo, ut est omnium, quotquot vivunt, in dicendo incontinentissimus, virulentæ voces: Nobilissimum Zulichemium munus offerendum Boxhornio hoc elogio commendasse; Gratissimum id Boxhornio futurum: egere quippe eum, res ejus in arcto esse, & ejus generis plu-

ra. Hæc, Magnifice Domine, cum crederem esse falsissima, cum & eæ res meæ sint, ut sicut muneribus possum, ita gratia & patrocinio optimorum Principum non possum caverem & celebratissimæ humanitati tuæ excidere non possit ejusmodi oratio, hac querela adeundus mihi nunc fuisti. In qua prolixior sum; quam in gratiarum actionem cum hanc intimis animi penetralibus conceptam potius votis exprimam, quæ pro celsissimæ Principalis domus æternitate, pro tua tuorumque salute sanctissimæ quotidie offeruntur. Festi dies tui vere mihi festi fuere, pietatis tuæ & consummatissimi ingenii immortale monumentum. Literarium munusculum quod jam reponam non habeo, nisi hoc, quod virtutum tuarum traduci & certissimæ imagini filio tuo, exhibeo, in quo non nostra, sed nostrâ curâ aliena & meliora leguntur. Vale, illustris Domine, qui ut solicitudini nostræ & justo dolori, quem ventosissimi homuncionis petulantia attulit, haud dubie ignosces, ita etiam in posterum præsidium in patrocinio tuo invenire me patieris.

Lugd. Batav. 10. *Martii* 1645.

JACOBO BASELIO

BOXHORNIUS, S.

Bergizomium.

Ornatissime Domine Baseli,

CUm Cognatus tuus Roucquius male valeat, ejusque rei causa identidem ipsum invisam, ex medico intelligo non quidem in aliquo vitæ periculo ipsum hactenus versari, interim tamen graviter satis ægrotare. Neque certe abs re foret, si aut tu, aut alius aliquis amicorum excurrerent; sed te æger ipse mallet, quo præsentia tuâ recreari, & à morbo, qui ut auctus est hactenus, ita lentius amovebitur, facilius inter cognati colloquia possit convalescere. Tu, scio, hoc ei officium

non

non negabis. Vale & salve. Salveant amplissimi viri Consul & Graphiarius Rouquii. Raptissime, in ipso ægri Musæo,

Lugd. Batav. 1645. Martii 14.

CLAUDIO SALMASIO
M. Z. BOXHORNIUS, S.P.D.

Lugduni Batavorum.

ANnus jam est, Vir illustrissime, ex quo oneravi te tot pariter nec semel, missis meis, aut aliorum super Plauto hæsitationibus. Sed oneravi, primum quia nullum aut præsentius, aut sanctius oraculum erat, quod consulerem; deinde quia & eruditione & humanitate pariter incomparabili promptum esse te non ignorabam. Quæ & causa est, cur ne quidem onerari fuisse me tibi putem, licet oneraverim. Plautus tandem ipse tibi se nunc sistit, ope imprimis tuâ multò quam ante emendatior ac illustrior, & simul quicquid ad eum boni malive ut ex aliis selegimus, vel ipsi scripsimus. Restat jam, ut & ego immortales gratias debere tibi me hoc etiam nomine agnoscam, sicut semper sum agniturus; & tu aliis mihique passim hic adhuc titubantibus, ac verum Sarcinatis istius fabularum exemplar à te solo hactenus exspectantibus, benignissime ignoscas. Ut enim tu sine errore ullo has litteras tractas, ita ad gloriam tuam & magnitudinem facit, esse quibus errantibus ignoscere, & quos docere possis. Vale, Vir maxime, & me inter illos habe, qui immensam illam eruditionem tuam summâ fide colunt. Exemplar Plauti aut jam tibi tradidit typographus, aut simul cum his litteris traditurus est.

Middelburgi Zelandorum 1645. Aug. 11.

JOHANNI WERNERO BLAESPILIO

M.Z. BOXHORNIUS, S.D.

QUod ex tuis in Gallia peregrinantis litteris futurum jam cognoveram, Wernere Blaespili, optime & jucundissime, ac quod absenti nunc tibi dicendum est, desideratissime amicorum; prodit ecce tandem quanto cum ambitu promissa, tanto data. *Jannis Croij Sacrarum & Historicarum in novum fœdus Observationum Pars Prior. In qua Danielis Heinsii Prolegomena in Exercitationes sacras perpenduntur: Sacri Textus in Sectiones, Titulos, Capita, & Versus, Divisionis origo ostenditur: Hellenisticæ Dialecti somnium refutatur. Plures sacræ Utriusque fœderis scripturæ loci illustrantur: plurimi verò Patrum, & aliorum Authorum Græcorum, & Latinorum loci corriguntur, & exponuntur; & qua ratione Patres Scripturæ locos laudent, & describant, demonstratur.* Ea est enim tituli amplitudo. Quæris tu fortè quid sentiam. Ego autem tantas destinationes hominis haud vulgariter eruditi esse, si judicaverim, nihil ab auctoris instituto agnosces alienum. Quid enim, ut de aliis nunc non dicam, arduum magis, aut altiora studia requirit, quam ab eo Heroë diffidere, cujus, quanquam modestissime indies, quantum nesciat, profitentis, quicquid tamen disciplinarum linguarumque est, totius eruditi orbis, ipsâ etiam Croij publica nunc confessione, complexi, auctoritatem pro ratione hujus ætatis summis viris jam pridem fuisse, non ignoras? Cæterum, facilius est, tanta promittere, quam præstare. Neque sanè ad laudem satis est, à Principibus litterarnm dissentire, ut neque refellere eos, idem est quod maledicere, & oblatrare. A quo vitio si hic quidem abstinendum sibi judicasset, laude forsan dignus, etiam post irritos conatus, potuisset videri, tanquam solo inquirendæ veritatis, quod nemo bonus aut eruditus damnaverit, non autem insectandi studio ad scribendum incitatus. Nemo

hercle

hercle sive Christiani, sive Theologi, quam modestia, & gravitas decent, persona, aut Heinsianorum meritorum conscientia, aut ipsæ illæ literæ, quas tractat, quibus præcipua ab humanitate est commendatio, aliud ei debuerant suadere. Sed de his aliisque alii viderint; qui ejusmodi ingeniorum intemperantiam publicè damnari, sæculi, ac literarum interesse arbitrabuntur. Meo autem nomine, cum à nostra sententia diffidere se hoc opere semel professus sit, quod querar, non habeo. qui, ut, curtam supellectilem meam, & judicium, præsertim cum admodum adolescentes, sola præclara audendi, & ætatis venia animati, quædam olim in vulgus exire pateremur, promptum erroribus ac prope nullum esse, non ignoro: ita & à me ipso idemtidem nunc diffidere, & dissentientes alios audire, & meliora docentibus non tantum cedere, sed & gratias agere, præclarum & laude etiam dignum duco. Non ignoras, suavissime amicorum, quo cum postquam studiis severioribus, quibus de antiquitatis, Romanæ maxime, aut institutis, aut civili disciplina, ad dubia veterum loca idemtidem & eadem cura quærebamus, esset satisfactum, de nostræ etiam pueritiæ ausis, erroribusque libentissime differebam; ad breviores illos Historiæ Augustæ scriptores tumultuarias quasdam notas nobis excidisse eâ ætate, quæ, dum judicium suum (siquidem id sit judicium) facile permittit alieno, præsertim in literarum hoc regno Principum, haud difficulter persuaderi sibi patitur audendum esse aliquid, dum ut Fabii verbis, quanquam toties apud te & adversum alios mihi repetitis, iterum utar, & venia est, & spes, & favor & audere non dedecet, ac, si quid desit operi, ætas possit supplere. Cæterum cum à puero etiam observatis ratio sententiæ ac rectitudo possit constare, an hic quoque constet, sed ut modestiæ pariter ac veritatis studiosi, experiamur. Insignis est Suetonii, vel iccirco tantum quia non unâ Interpretum sententiâ in diversa trahitur, nobis etiam tentatus, in Augusto, ubi de ejus chirographo agitur, locus. *Notavi*, inquit, *& in chirographo ejus illa præcipue. Non dividit verba, nec ab extremâ parte versuum abundantes literas in alterum transfert,*

fert, sed ibidem statim subjicit, circumducitque. Orthographiam, id est, formulam, rationemque scribendi à Grammaticis institutam, non adeo custodiit: ac videtur eorum sequi potius opinionem qui perinde scribendum, ac loquamur, existiment. Ista sunt, de quorum sententia inter nos ambigitur. Quid autem ego olim senserim, quid contra Crojus, ex ipso jam, si vacat, pariter intellige. *Versus*, (verba ejus sunt cap. XI. Observationum) *de lineis hic esse intelligendos, viderunt omnes Interpretes: non viderunt tamen quid vellet Suetonius. Marcus Boxhornius Zuerius hæc ad hunc locum annotat:* Locus notabilis, (Recitat verba nostra ex prima Animadversionum ad Suetonium editione. Secunda enim & emendatior ante biennium jam prodiit.) sed obscurus: cui nos, ut spero, nonnihil lucis mutuabimur. Ait Augustum in extremâ lineæ parte posteriores literas voculæ ultimæ, quibus ponendis locus in eadem lineâ non erat, haud divisisse, ut fit hodie, sed vero continuo reliquis in margine adjecisse, &, ut ad lineam istam spectare viderentur, unco circumduxisse. Uncum appello hanc figuram L, aut istam [. Dabo exemplum, ut melius capiant tirones. Lineam rectam marginis loco fingo.

Lega | *tiones*].

Vel etiam sic. *Lega* | *tiones*].

Hodie, ut & olim, lineolâ affixa sic scribunt; *Legationes*. Eamque divisionem vulgo appellant, cum potius connexio dicenda sit. Partes enim verbi conjungit. Porro, Suetonius versum vocat, quod lineam vulgò vocamus, nempe à vertendo. *Verum quidem est, lineam, versum vocari à Suetonio; sed, quid vellet Suetonius, non percepit recens ejus interpres. Non ait eum Augustum, in scribendo, ad marginem litteras eas, quibus in ipso chartæ sinu non esset locus, transtulisse, atque unco inclusisse. Hæc interpretatio ipsis Suetonii verbis refellitur. Non scribit enim, inquam, Augustum abundantes literas adjecisse (quod fecisset, si vera esset Boxhornii Zuerii observatio) sed subjecisse, id est, scripsisse in spatio illo mundo, & vacuo, quod patet in campo chartæ inter duas lineas, & quod à Græcis σελὶς dicitur. Hesychius: Σελίδες, τὰ μεταξὺ διαφεύγματα τῶν διαστημάτων τῆς νεὼς, καθά-*

περ

ϖ καὶ ἐν τοῖς Βιϐλίοις τὰ μεταξὺ τῆς παραγράφων.
elides sunt spatia inter tabula navis, sicut in libris sunt
patia Paragraphorum. *Suidas*: Σελὶς, τὸ μέσον τῶν δύο
καταϐατῶν, ἄγραφον τυγχάνον. Selis, est medium
patium inter duas lineas, quod est vacuum scripturâ.
Non scripsit igitur Augustus in margine abundantes litteas sed ipsi lineæ subjecit, ac in spatio illo, quod inter duas extat lineas, atque unco, sive sigmate circumduxit, ut hodie quoque fieri videmus. Ut in hoc Lucretii versu, qui ad aperturam libri mihi occurrit:

Seorsum anima, atque animus: tanto magis inficiandum.

Vides, nisi fallor, quomodo scripsisse Augustum, & quid n ejus autographo Suetonium notasse velit Crojus. Quod ipsum si voluerit etiam Suetonius, profecto accuratissimus auctor, dum disertim tradit verba non divisisse Augustum, videri possit verbis usus ab hac mente sua plane alienis. Cæterùm, ut omnia magis in aperto sint, age, Augusti hanc ad Tiberium Epistolam, quomodo eam scriptam, & abundantes forte ab extremâ parte versuum literas exaratas fuisse vult Crojus, repræsentemus. Nam id facile hic factu est, cum Typographia, in Batavia hac nostra ante duo jam sæcula, quidquid opponant alii, feliciter inventa nihil aliud sit, quàm scripturæ imitatio.

Cœnavi, mi Tiberi, cum iisdem. Accesserunt convivæ Vinicius, & Silvius pater. Inter cœnam lusimus γεροντικῶς.
Et heri, & hodie. Talis enim jactatis, ut quique canem
Aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios
In medium conferebat. quos tollebat universos qui Venerem
Jecerat. Ita scripsisse Augustum, Crojus statuit, cum fine versus literæ aliquot verborum, ut idemtidem fit, abundarent. Num rectè, docebit Suetonius. Cujus verba cum hoc scribendi ordine propius jam conendenda sunt. Videntur enim diversum, ac plane alium significare. An non, quæso te, disertim affirmat Sue-

Suetonius, non dividere verba Auguſtum? *Non*, inquit, *dividit verba.* Quod inprimis hic notandum eſt. Crojus autem Auguſti verba, ſi quid ex iis ſyllabarum, aut literarum forte, ſub verſuum finem ſupereſſet, in eo, quæ jam ex ſententiâ ejus repræſentavimus, ſcribendi ordine dividere ſe, neget, ſi audeat. Sed, ſcio, non negabit. Neque enim poteſt: niſi ex diei meridie, noctis, ut cum Varrone nunc loquar, meridiem facere conſtituerit. An enim non diviſa dicenda ſunt, quæ natura conjuncta, ut ſingulorum verborum literæ, & ſyllabæ, non conjunguntur? An non haud conjuncta ſunt, quæ eodem loco, & indivulſa, non leguntur? An indiviſa, & eodem leguntur loco, quorum pars in priore verſu, pars in intervallo, ſive vacuo, & quod inter priorem ſequentemque verſum medium eſt, ſpatio, σελὶς Græcis dicitur, hoc eſt, alio plane & diverſo loco inveniuntur? In ea certe ſcriptura agnoſcendam eſſe diviſionem ſive Syllabarum divortium, tam indubitatum eſt, quam conſtat, ſanos ambigere non poſſe, æra lupinis diſtare. Ergo, qui ſine verſus ex ſententia Auguſti, & Suetonii, ſcribere ſe cenſet, ut cenſet Crojus,

γερον-
στιχῶς.

nonne dividit, diſtrahitque loco ac divellit ejuſdem verbi ſyllabas, quæ ſunt conjunctæ natura; quas dividere non voluit Auguſtus; quas non diviſiſſe eum, ex ejus chirographo diſertim Suetonius affirmavit? Ne dubites, ipſi illi, qui de ſcriptura Auguſti idem hactenus ſtatuunt, quod Crojus (nec enim primus, quod tamen jactat, aut ſecundus, aut tertius, id ſentit) in ea palam agnoſcunt verbi diviſionem. Ericium Puteanum, ipſas literarum Veneres, ipſamque earum modeſtiam, audiamus. *De ſyllabis* (ita loquitur cap. VIII. Faculæ diſtinct.) *literiſque cogitandum eſt, quoties in fine lineæ dictio finditur, & pars ejus transfertur. Auguſtus olim, cujus hæc in ſcriptione cura erat, nec ubi literam obturbaret, ac moraretur, transferre partes non ſolebat, ſed ſubjicere, ac circumducere.* Sequuntur Suetonii, quæ jam adduximus, & de quibus hic quæritur, verba. Quibus ſtatim ſubiicit; DIVIDEBAT *igitur*, nempe Auguſtus, VERBA,

VERBA, *sed non longo intervallo; cum spatium deficeret, subnectebat. In carmine nonne & nos facimus? En exemplum:*

Dignum laude virum Musa vetat mo-
(ri.

Addit Suetonius, CIRCUMDUCITQUE. & quæ hæc circumductio? an illa, quam expressi? illa C. sed princeps ille L. litteram Latinam usurpabat: quæ & in nummis hoc usu, & sensu conspicitur, & ni ineptire velimus, pro signo inibi habenda. Illud nostrum [quantillum abit? Vides magnum illum virum ingenuè agere, & in hac scribendi ratione palam agnoscere divisionem. At Suetonius tradit, *verba non dividere* Augustum. Quis ergo non credat ita Principem illum non scripsisse? Adde Hermannum Hugonem. Is de Origine scribendi cap. XXVII. ubi de Grammaticorum Notis; *Diastasis*, inquit, *signum divisionis, cum verbi alicujus pars una in extremâ lineâ, altera initio alterius versus rescribitur, ut, ... homines, . . . quem morem Augustus repudiavit, qui reliquum, quod supererat verbi, malebat parti scriptæ in extrema linea subscribere, narrante Suetonio, quam alterius versus initio perscribere.* At in hac, quæ Augusto, ut abundantes literas statim subjicienti, tribuitur scriptura, ... homines, nonne & diastasis, & ejusdem notæ, (quam tamen non semper, cum fine versus verba dividerentur, adhibuisse veteres ex multis vetustis inscriptionibus, in quibus ea non apparet, facile colligitur) usus est, h. e. ejusdem verbi Syllabæ palam dividuntur? Nota illa est -; vel ⊣: signum verbi divisi quod conjungendum est, non modo in fine versus, sed & alibi si forte scriptoris vitio conjungendæ litteræ vel syllabæ fuerint divisæ; ut in veteri monumento, quod legitur Pag. CCCXL. n. IV. Inscript. Antiq. HOC RUDIS AURIGÆ REQUIESCUNT OSSA SEPUL ⊣ CRO. Hæc mihi olim objeceram, cum statuerem pariter verum esse non posse, & sic scripsisse Augustum, ut illi volebant, & tamen eum, quod disertim Suetonius notat, verba non divisisse. Restabat tum, ut cum recepta plerisque sententia mihi non satisfaceret, neque

eorum

eorum cuipiam solutum hunc nodum observassem, novam, & quæ cum Suetonii verbis propius congrueret, indagarem. Neque sane alia scribendi ratio quærenda tunc videbatur, quam qua abundantes fine versus literæ, quod videtur de Augusto affirmare Suetonius, plane non dividerentur. Quo autem modo, aut quo loco, omnino non divisæ illæ videri poterant, nisi ultra statam versus mensuram in marginem producerentur? Hac enim solâ ratione manent conjunctissimæ. Et id tunc mihi placebat. Croii profecto erat, quem indicaveramus hic non explicatum, aliis hactenus nodum solvere, ut in aliam, si non Croii, quæ falsa est, saltem veriorem, nostra postposita, sententiam concederemus. Non solvit. Quod tamen eum, qui & hic Suetonium se illustrare, & à nobis merito diffidere, & quicquid in utraque, Græca, ac Romana, antiquitate impeditum est, expedire se posse, passim profitetur, facere debuit. Nemo eorum ambigit, neque dissentienti, neque suæ sententiæ satisfactum putant, nisi omnes, certe præcipuæ, inprimis si earum jam publice indicium, factum sit, sublatum fuerint dissentiendi rationes. Hic contrà nodum in scirpo quærit; verum neque solvit, neque tangit. Ego illa Suetonii de Augusto, *Non dividit verba*, quæ præcipue hic expendenda erant, aliis, quos sequutus est, aut post quos idem sentit Crojus, opposueram; ille autem, *subjicit*, tanquam plane idem & intellectu facillimum esset, eundem & subjicere abundantes verbi alicujus litteras, & illud ipsum verbum non dividere, mihi objecit. *Non ait eum Suetonius*, Croji verba sunt quæ hic legis, *Augustum, in scribendo, ad marginem, litteras eas, quibus in ipso chartæ sinu non esset locus, transtulisse atque unco inclusisse. Non scribit enim, inquam, Augustum abundantes litteras adjecisse sed subjecisse.* At non ignorabam τὸ *subjicere* id etiam significare, quod vult Crojus. Sciebam interim non esse ejusdem abundantes verbi alicujus literas subjicere, siquidem hanc habeat significationem, & id ipsum verbum omnino non dividere. Ergo videndum nobis tum erat, an non ejusdem verbi literæ ita subjici possent dici, ut plane non dividerentur. An

non

non autem, quæso te, subjici in scribendo dicitur haud illud modo, quod inferiore loco legitur, sed id etiam, quod continuo, & eodem ordine præcedentia sequitur, ac proxime excipit? Non putem id negaturum Crojum, etiamsi exempla, quibus id probem ego non adduxerim. Quid enim his opus est in iis, quæ tyrones etiam non nesciunt? Malim certè adducere Trajani, apud Plinium juniorem, verba, in quibus *subjicere* ea significatione accipiendum non est, contra quam eruditissimus ejus Interpres, Johannes Maria Catanæus, olim annotavit. Vel tua causa id nunc faciam, quem, antiquæ omnis elegantiæ studiosum, scio ejus scriptoris Veneres inter primas, & præcipuas delitias semper habuisse. Epistola est XXXIII. lib. X. Trajani ad Plinium; *Et mihi scripsit Gabius Bassus, non sufficere sibi eum militum numerum, qui ut daretur illi mandatis meis complexus sum. Quid quæris scripsisse me? ut notum haberes his literis subjici jussi. Multum interest, res poscat, an homines imperare latius velint. Nobis autem utilitas demum spectanda est, &, quantum fieri potest, curandum, ne milites à signis absint.* Ita vulgò in omnibus, quas vidi, antiquis, & recentioribus editionibus legitur. Non rectè certe, quemadmodum nec recte interpretantur. Volunt enim illa, *Multum interest*, & quæ porro sequuntur, usque ad Epistolæ finem, ex Trajani litteris ad Gabium Bassum, oræ Ponticæ tunc Præfectum, excerpta esse, non alia ratione moti, quam quod proximè præcedat illud, *subjici jussi.* Sed egregie falluntur. Neque enim aliud vult Trajanus, quam huic ad Plinium Epistolæ subjici se jussisse litterarum suarum ad Gabium Bassum, quæ non exstant hodie, exemplar. Quæ autem sequuntur non sunt nisi sententiæ, quibus ad & Epistolam ad Plinium claudit, & ea quæ scripserat ad Bassum, ut scilicet contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno, paucis confirmat. Legendum autem hic suspicor; *Quid querenti*, nempe Basso, qui conquestus erat non sufficere sibi eum militum numerum, quem designaverat Trajanus, *scripse-*

scripserim, ut notum haberes, his litteris subjici jussi. Certe non est dubium quin id voluerit Trajanus Vulgata lectio fœdissime est corrupta. Sed de his plura ad ipsum Plinium, quem dare possumus, &c, si vitam Deus dederit, daturi sumus multo quam ante & emendatiorem, & & illustriorem. Nunc enim opera ad Suetonium danda est. Cui cum neque hic lucem fœneratus sit Crojus, quod tamen promittit, neque veram ejus sententiam perviderit, quid restat, nisi ut nos utrumque tandem præstemus? Aut enim fallor, aut quid velit, liquido jam ostendam. N*otavi*, inquit, *& in chirographo ejus*. Digno certe quod inspiceretur; non argumenti tantum, sed etiam, quod ad institutum hoc facit, in scribendo elegantiæ, sive καλλιγραφίας gratia: cujus si communem hominum errorem in permutandis, & mittendis subinde litteris, syllabisve exceperis, Augustum constat fuisse studiosum. Constet certe vel ex eo tantum, quod nihil æque laboraverit, quam ut chirographum suum à Nepotibus inter ipsa litterarum rudimenta exprimeretur. Auctor est Suetonius in hac ejus vita: *Nepotes & litteras, & natare, aliaque rudimenta, per se plerunque docuit, ac nihil æque laboravit quam ut imitarentur chirographum suum*. Tanti enim, & tam accurati in omnibus, Principis judicio nihil illorum imitationi, nisi quod optimum, & elegantissimum, proponendum fuit. Pro *natare* legi hic vult Lipsius, *notare*; ac de iis interpretatur notis, quæ scripturæ quædam sunt compendia, quibus verba non perscribuntur, sed signantur, celeritati, & excerptioni repertæ: quas qui discerent, ut Augustinus loquitur, lib. II. cap. XXVI. de Doctr. Christian. *Notarii* appellantur. Non possum, quin de iis hic subjiciam (quid enim obstat, quo minus una fidelia non unum parietem dealbemus?) Isidori verba non tam tua caussa; qui post exactam in hoc litterarum genere diligentiam nescire non potes, quæ etiam vulgus eruditorum non ignorat; quam ut fœdissime corruptus, neque cuiquam hactenus intellectus ejus locus pristino nitori hic restituatur; exstat is lib. I Originum, cap. 21. de Notis Vulgaribus, ubi hæc leguntur: *Vulgares Notas Ennius primus mille & centum invenit. Notarum*

rum usus erat, ut quicquid pro concione vel contentione, aut in judiciis diceretur, Librarii scribebant complures simul astantes, divisis inter se partibus, quot quisque verba & quo ordine exciperet. Romæ primus Tullius Tiro, Ciceronis Libertus, commentus est notas, sed tantum præpositionum. Post eum Tertius Persannius, Philargyrus, & Aquila Libertus Mæcenatis, alius alias addiderunt. Deinde Seneca contracto omnium digestoque & aucto numero, opus effecit in quinque millia. Notæ autem dictæ, eo quod verba vel syllabas præfixis characteribus notent, quas qui didicerunt proprie jam Notarii *dicuntur.* Agnoscis hic, vel fallor, Augiæ stabulum, & noctem plane illunem. Vide virum eruditissimum Lipsium Cent. I. ad Belgas, epist. XXVII. hæsitantem. Quid enim his obscurius? Quid impeditius? Quis sanam ex iis sententiam eruerit? An ante Tironem facta, quæ à gravissimis, & omni exceptione majoribus scriptoribus à Tirone constat esse inventa? An is commentus est Romæ tantum præpositionum notas, quem imprimis designat Seneca, cum Epist. 90. scribit, vilissimorum mancipiorum commenta esse verborum notas, quibus quamvis citata excipiatur oratio! De quo Eusebius ad annum DCCXLVI? Marcus Tullius Tiro, Ciceronis Libertus, primus notas commentus est. Est in Bibliotheca mea optimæ & antiquæ notæ in membrana exaratus codex, in quo præter alia plurima veneranda, ac hactenus ἀνέκδοτα, antiquitatis monumenta, primus ac secundus Originum Isidori leguntur. Utinam autem omnes! In eo post ista; *Librarii scriberent*, initium est novæ periodi, aut sententiæ; *complures simul astantes*, &c. Id, & alia rectam mihi viam straverunt ad veram hujus loci lectionem, qui haud dubie ita distinguendus ac emendandus est; *Vulgares notas Ennius primus mille & centum invenit. Notarum usus erat, ut quicquid pro concione aut in judiciis diceretur, Librarii scriberent. Complures, simul astantes, divisis inter se partibus, quot quisque verba & quo ordine exciperet, Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus, commentus est. Notas, sed tantum præpositionum, post eum tertius Persannius; Philargyrus & Aquila, Libertus Mæcenatis, alias addiderunt. Deinde Seneca contracto*

tracto omnium digestoque & aucto numero, opus effecit in quinque millia. Notæ autem dictæ eo quod verba vel syllabas, præfixis characteribus, notent, & ad notitiam legentium revocent: quas qui didicerunt propriè Græcis . . . nobis Notarii dicuntur. Nihil hac lectione dari potest verius, nihil illustrius; neque in posterum, ut hactenus, hærere hic erit necesse. Quidni enim fidenter hoc asseram? cum jam levi ac prope nulla mutatione in obscurissimo antehac loco omnia aperta sint ac consona iis, quæ de harum notarum inventoribus gravissimi inter Romanos auctores prodidere. Tantum, in densissimis licet tenebris, dare lucis potest vel solus distinguendi ordo rectè observatus. Dicit notas, sed oppidò paucas, primum invenisse Ennium. Plana est sententia, si modo rectum sit proprium illud nomen. Subjicit, quis Notarum fuerit usus. Addit *complures*, hoc est, longè plures, subintellige autem, *Notas*, quam invenerat Ennius, Tironem, Ciceronis libertum, esse commentum. Et hoc verum est. An non cum his plane & examussim jam conveniunt illa, quæ à Seneca, & Eusebio ei imprimis tribuuntur? Auctor igitur primus Notarum Ennius, secundus Tiro, sed primo major eo quod paucissimis complures adjecerit. Persannius autem tertius notam præpositionum addidit. In membranis nostris disertim legitur; III. Persannius, id est, tertius Persannius. Ita enim scribendum est, non, ut pessime hactenus, Tertius Persannius. Nomen enim illud hic non proprium, sed ordinis, & numeri esse, res ipsa clamat. Quod autem additur, primum Tironem Romæ commentum esse complures nô tantum notas, sed & adstantes librarios, qui, divisis inter se partibus, quot quisque & quo ordine verba exciperet, in concionibus & judiciis celeriter describendis orationibus vacarent, an non plane idem est, quod Plutarchus in Catone Uticensi annotavit? *unam ejus orationem exstare, excepta Ciceronis opera, qui in Curia celerrimos Scribas* (agnoscis hic complures, & inter eos haud dubie primum Tironem) *disposuerat, prædoctos Notis, & signis uti.* Οὔπω γὰρ (id enim subjicit Plutarchus) ἤσκουν, οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους; (*nondum enim instituerant, ne-*

que

que habebant Notarios dictos. Et hoc eſt quod vult Iſidorus; primum nempe Tironem notas, & Notarios, & ordinem quo ea quæ dicebantur adſtantes exciperent, in Curiam tranſtuliſſe. Sub finem in iiſdem membranis noſtris diſertim exaratum eſt; *propriè Græcis nobis Notarii dicuntur*; ſine ullâ defectus nota. Deeſſe tamen Græcum nomen ex verbis apertum eſt. Inſerendum putem vel, σημειογράφοι; quomodo Notarios proxime jam adducto loco vocat Plutarchus; vel, ταχυγράφοι, quomodo apud Suidam à celeritate in ſcribendo appellantur. Et id quidem obiter de Iſidori hoc loco. Ad Suetonii redeo. Apud eum *Natare* conſtanter habent MSS. non *Notare*, quod vult Lipſius: cui accedere non poſſum. Ejuſcemodi quippe, quas jam ex Iſidoro deſcripſimus, Notæ hic locum non habent; perplexæ illæ, &, ut D. Hieronymus loquitur, furta verborum. Agitur enim de pueris Abecedariis, & omnium primis pingendarum literarum rudimentis, inter quæ impeditas illas, intricataſq; Notas fuiſſe non fit veroſimile. Primum quippe hic eſt, docere, quomodo plane, & eleganter litteræ pingendæ ſint, quæ καλλιγραφία dicitur; non quomodo impedite, obſcure, celeriter, quæ minus venuſta, & calligraphiæ oppoſita σημειογραφία aut ταχυγραφία appellatur. Conſtat quippe ταχυγράφους, quorum erat pro litteris, ſignis ac notis uti, & καλλιγράφους, qui ut alia, ita etiam quæ ab illis obſcure, & perplexe excepta erant, in legentium commodum plane, & plene, ac eleganter deſcribebant, non tantum diverſos eſſe, ſed quaſi opponi. Ecce tibi veterum teſtimonia, ei etiam adducta, neque ſatis intellecta, à quo hic diſſentimus. Putat enim καλλιγράφους tantum ſcriptores eſſe, & ſic vertit; Notarios non eſſe. Addit aliam eſſe *ſcripturam*, aliam Notariam, illam καλλιγραφίαν, hanc ταχυγραφίαν dici: quaſi vero Notariis etiam ſcriptura non ſit tribuenda. Aliter ſe res habet. Nota eſt Auſonii Epigraphe illa; *Ad Notarium, velociſſime ſcribentem*. Scribunt ergo, & Notarii, non ſoli καλλιγράφοι. Sed Notarii aut ταχυγράφοι minus venuſte, & plane, quia celeriter, & per notas, καλλιγράφοι contra venuſte & plane, & perfecte, quia verba omnia perſcribunt. Atque hoc illud eſt, quo

quo distinguuntur. Scriptorem illum apud Suidam audiamus, qui de Ambrosio quodam, qui Origeni & auctor & Ἐργοδιώκτης fuit ut in Sacras Litteras commentaretur; Ἀμβρόσιος inquit, πολλὰ ἱκετεύσας καὶ παραβιασάμενος, καὶ ταχυγράφους αὐτῷ παραστήσας ἑπτὰ, καλλιγράφους δὲ πλείους, ἑρμηνεῦσαι αὐτὸν τὰς θείας γραφὰς πεποιήκει. *Ambrosius*, inquit, *multa eum*, Originem scilicet, *orans*, *& adigens*, *& septem ei Notarios*, *plures Scriptores alios* (ita vertunt, sed vertendum erat, *plures alios eleganter scribentes.* Ipsa etymologia id postulat.) *apponens, ut in Sacras Scripturas commentaretur*, *effecit.* Duplex scriptorum genus memorat ταχυγράφους sive Notarios, & καλλιγράφους. Sed & diversus eorum usus hic palam agnoscitur, quia nempe diversus scribendi modus. SS. Patres, ut & alii, si quod ingenii monumentum tradere posteris constituissent, meditationes suas ut plurimum dictare aliis solebant. In eo usus erat ταχυγράφων sive Notariorum; qui celeriter dictata compendio Notarum celeriter etiam excipiebant. Ideo Ambrosius Origeni ἑπτὰ ταχυγράφους adesse voluit. Caussa vero, cur plerumque veteres horum ministerio usi sint, non autem ipsi sua primi descripserint, præcipue ista ne mens & meditando, & scribendo pariter districta, meditationis remissiones plurimas, & impedimenta pateretur. Facit huc, neque tibi ingratum erit audire, quod ex D. Ambrosio Ansberto, Gallo Presbytero, qui & eruditionis, & pietatis laude circa annum DCCCXC. floruit, opportune nuper observabamus. Is suos in Johannis Theologi Apocalypsim, qui hodie exstant, commentarios conditurus, forte a Notariis defectus, conversis ad Deum precibus: *Et quia*, rogat, *in hoc tam laborioso opere Notariorum solatia deesse mihi videntur, obsecro, Domine, ut nec manus characteres verborum formans, aut visus exterior verba literis formata conspiciens, impedimentum præstent cordi intus secreta mysteriorum rimanti. Sicque oculis intentio vigilet intrinsecus, quatenus officium manus nequaquam torpeat extrinsecus. Aperi ergo, Domine, sensum interius, move artus ad scribendum exterius, & ita utraque officia modificans dispone,*

ne, disponensque modifica, ut in sudore hujus expositionis necessario sibi applaudant, concorditerque deserviant, Domine Deus, in his & in omnibus adjutor meus. Non facile verbis tibi expressero, optime Blaespili, quàm lætus ac lubens in vetustiorum Theologorum scriptis identidem nunc amplectar, nec facile dimittam, & aliis quoque lubens sistam, passim expressam Christianæ pietatis simplicitatisque integram illam, & genuinam imaginem; in cujus hodie pene amissæ, ac à paucis retentæ locum non nisi calumniæ successere, ita & frequentes & atroces in nonnullorum Theologorum scriptis (absit enim ut de omnibus, & melioribus id asseram) ut qui Theologum in iis quærit, etiam quærendo fatigatus non sit inventurus. Sed de his mox plura. Vides interim, quare Notariorum aut ταχυγράφων operâ in iis, quæ meditati jam erant, vel meditabantur, excipiendis, veteres uterentur. Ut autem illa dictata celeriter, & minus concinnè, ita his succedentes καλλιγράφοι planius, perfectiusque eadem describebant. Ideo idem ille Ambrosius, præter septem ταχυγράφους, plures καλλιγράφους Origeni à manu esse voluit. Ex iis, quæ hactenus disputata à nobis sunt, satis liquet, non modo aliud esse ταχυγραφίαν, aliud καλλιγραφίαν, sed &, cum diversus fuerit utriusque usus, ταχυγραφίαν quæ neque facilis, nec perpetui usus, inter prima litterarum rudimenta pueris, præsertim ad magna natis, tradi non debuisse. Et cur Augusti Nepotibus traderetur? Quis enim hujus ταχυγραφίας usus, nisi ut ab aliis dictata celeriter exciperentur? Et quid, quæso, indignius his, qui in regnatrice domo in spem imperii educabantur? Et constat veterum Notarios plerumque vel servos, vel libertos fuisse. Passim id junioris Plinii, ut aliorum testimoniis nunc non utar, epistolæ loquuntur. Sed unde constat, ejusmodi notis in chirographo suo usum fuisse Augustum? Et, cur usus fuerit ille, cujus non erat, quod Notarii faciebant, dictata ab aliis celeriter excipere? Fateor, notis usus est Augustus, sed longe ab iis; de quibus hactenus egimus, & quas Nepotes suos docuisse Augustum illi volunt, diversis. Indicat id ipse Suetonius: *Quoties*

autem, inquit, *per notas scribit*, b *pro* a, c *pro* b, *ac deinceps eâdem ratione sequentes literas ponit. Pro* z *autem duplex* a. Sed illa erat non ταχυγραφία, sed κρυπτογραφία, sive occulta scribendi ratio, quâ usus Augustus est cum secretiores litteras ad amicos daret. De quâ tam multa Spanhemensis Abbas Trithemius. At quis credat, Augustum eam scribendi rationem pueris inter prima literarum pingendarum rudimenta tradidisse? *Notare* igitur hic ferri non potest. Rectum est quod in omnibus libris legitur, *natare*. Constat enim natatum quoque inter prima fuisse pueritiæ Romanæ rudimenta. Si quid mutandum esset hoc loco, legerem, nullâ prope mutatione; *Nepotes & literas, ut natare, aliaq; rudimenta, per se plerumque docuit: ac nihil æque laboravit, quam ut imitarentur chirographum suum.* Ut natare & alia rudimenta nepotes suos docuit, ita & literas ex chirographo suo. Sed & ab hoc Suetonii loco, quasi ex diverticulo, ad eum, quem illustrandum hic suscepimus, ubi de chirographo Augusti ex professo agitur, velut in viam, à quâ deflex imus, & ad inceptum, tandem revertamur. Quid autem in eo notavit Suetonius? *Non*, inquit, *dividit verba*, quod de verbis singulis accipiendum esse, quivis videt. Ut novum id, aut certe rarum, notat, quia ea dividere usitatum antiquitus fuit. Constat id vel ex iis, quæ de verborum in scribendo divisione præcipiunt veteres. Satis erit nunc vel solum Fabium audisse lib. I: cap. VII. hæc docentem: *Est etiam in dividendis verbis observatio, mediam literam consonantem priori, an sequenti syllabæ adjungas.* Aruspex *enim, quia pars ejus posterior* à spectando est, S. literam tertiæ *dabit:* abstemius, *quia ex* abstinentia temeti *composita vox, primæ relinquet.* Ita enim haud dubiè hic legendum est. *Relinquet*, nempe verbum abstemius S. literam primæ syllabæ, si forte fuerit scribendo dividendum. Pessime, & nullo sensu; vulgo scribitur, *relinquetur.* Vult enim justam verborum divisionem scribenti curæ esse debere. Neque enim susque deque esse, quomodo literæ dividantur id probat S. literæ exemplo. Ea subinde cum priori syllaba, nonnunquam cum sequenti conjungenda est. *Aruspex* S. literam dabit tertiæ, & scribendum, ubi divisione opus, ... *aru-*

spex:

ſpex: Abſtemius eandem relinquet primæ, & hoc pacto dividetur, ... *abſ-temius.* Utrumque petitâ ab etymo ratione confirmatur. De quibus plura alibi. Nihil autem æq; peritioribus elegantioribuſq; in ſcribendo curæ olim fuit, quam ut, ubi dividenda verba ſe dabant, ſyllabæ rectè ſive εὐσήμως dividerentur. Id neglectum olim Plotino, & iccircò in eo à Porphyrio notatum eſt: Ἔγραφε δὲ οὔτε εἰς κάλλος ἀποτυπούμενος τὰ γράμματα, οὔτε εὐσήμως τὰς συλλαβὰς διαιρῶν, οὐδὲ τῆς ὀρθογραφίας φροντίζων, ἀλλὰ μόνου τοῦ νοῦ ἐχόμενος: *Scripſit*, inquit, *neque eleganter pingens literas, neque rectè dividens ſyllabas, neque Orthographiam cuſtodiens, ſoli menti aut ſententiæ ſemper inhærens.* Aliter, ut jam dixi, inter veteres pleriuque elegantiæ ſtuſtioſi. Eundem dividendi ordinem, vulgò jam receptum, in condendis verſibus identidem uſui antiquis poëtis fuiſſe vel ex eo etiam eſt apertum, quod ejuſdem verbi ſyllabam aſſuant aliquando verſui præcedenti: ut in illo Horatii lib. I. Ode II.

Labitur ripa, Jove non probante, V-
(xorius amnis.

Nonnunquam ſequenti: quomodo apud Maronem l. III.

Et ſpumas miſcent argenti, vivaque ſulphu-
ra Idæaſque pices, & pingues unguine ceras.

Recepto huic pleriſque mori adverſus Auguſtus dicitur hic literas in chirographo ſuo non diviſiſſe. Neque profectò dividere debuit, ſi eodem modo ſcribendum, quo loquamur, & quaſcunque tandem moleſtias, quæ legentibus, vel audientibus in ſermone, aut ſcriptura offerri poſſent, quovis ſtudio declinandas judicaverit. De quo tanti Principis laudabili ſane, & egregio inſtituto dubitare nos in ejus vita Suetonius haud ſinit. Quid nî enim hoc etiam nomine ille celebretur. Cum enim ſermo præcipuum ſit humanæ Societatis vinculum, ac coagulum, ac nihil aliud quam ſermonis certiſſima imago, ac imitatio ſit ſcriptura; haud dubiè pulcherrimus, ac humano generi utiliſſimus eſt eorum conatus, qui id ſedulo agunt, ne in loquendo aut ſcribendo vel tantillum remoræ audituris, lecturiſve relinquatur.

In ſcribendo cum primis. Si enim dubitandum nobis non ſit, quin ſummâ ingenii eminentia fuerit is (quomodo ſine Dialogi 1. de mundi Syſtemate loquitur Galilæus Galilæi, quo homine nemo noſtrâ, aut majorum ætate ordinem naturæ ac arcana altius indicavit, aut majori ſtudio inveniendi nova, quæ humanis porro inſervirent utilitatibus, exarſit) cui venit in mentem excogitare modum, penitiſſimas animi ſui cogitationes alii cuicunque communicandi, etſi longiſſimo & loci,& temporis intervallo diſtanti, colloquendi cum his qui habitant remotiſſimas terrarum oras, cum his qui necdum nati ſunt, nec niſi mille, aut decies abhinc mille annis naſcentur; idque tanta facilitate; viginti nimirum minutis characteribus varie inter ſe conjunctis: ambigi profecto non poteſt quin ſummopere laudandi etiam illi ſunt, quibus hodie adhuc cordi eſt aut olim fuit, ut ſcriptura, divinum vere, & rebus humanis apprimè neceſſarium inventum, ſive redderetur indies ornatior, ſive legentibus minus, ſiquidem id fieri poſſit, impedimenti adferret. Minutias quoque in re tam magna ſectari, magnum, & decorum eſt. Auguſtus (de ejus enim inſtituto nunc dicendum eſt) cum ex litteris, & ſyllabis conjunctis intelligeret verba conſtare quæ ſcribuntur, eorum in ſcriptura diviſionem improbandam judicavit; eam maximè quæ vulgo olim recepta, & hodie adhuc præcipua uſu, nonnihil etiam morari legentes videbatur. At quomodo verba non diviſit? Id enim nunc quærendum eſt. An ita ſcripſit, ut omnino verba non diviſerit, hoc eſt, ut eorum literæ ac ſyllabæ omnes manſerint conjunctiſſimæ? Mihi quidē non eſt dubium, quin iniri poſſit, neque unâ viâ, ejuſmodi ſcribendi ratio. Et in antiquis nonnullis manu exaratis libris à librariis accurate, & conſtanter obſervatam haud ſemel deprehendi. Poſſunt enim quæ ſine verſuum abundant verborum literæ ſcribendo in marginem produci ac extendi. quomodo ſcripſiſſe Auguſtum nos olim putabamus. Sed in alios fere uſus paginarum margines deſtinantur; & inæqualitas illa nunc longiorum verſuum, nunc breviorum, eſt invenuſta. Poſſunt & eædem noto ſcribendi compendio ita contrahi, ut non

abun-

abundent, ut in *atque excplũ*, *fcõs* pro factos, *tñ* pro tamen, *ppls*, pro populus, & ejus generis aliis. At harum contractionum non in omnibus, quorum abundare literæ nonnunquam possunt, verbis usus est; & minus planam scripturam reddunt, ac impeditiorem. Vidi & vetustos lapides, in quibus minore charactere aliquot erant literæ majoribus mixtæ, ne scilicet ex iis quædam fine versus abundarent, aut dividere verba necesse esset. Ecce tibi istum;

M. CÆLIUS M. CÆLIUS
M L M L
PRIVATUS THIAMINUS
M. CÆLIo. T. F. LEM. BoNo
... LEG. XIIX. ANN. LIII... CIDIT.
.... BELLO. VARIANo. OSSA
.... INFERRE. LICEBIT. P.
.... CÆLIUS. T. F. LEM. FRATER.
..... FECIT.

Hac forma inscriptiones aliquot aliæ apud Masochium, & Gruterum leguntur. Sed ista suffecerit. quam eo libentius hic descripsi, quod à peregrinatione recenti tibi ea forte nondum visa sit in vicina Belgio nostro Clivia nuper admodum reperta. Est autem Kenotaphium, ut videtur, militi positum, qui celebri illo bello Variano ceciderat. Cæterum nulla expeditior scribendi, ita ut verba plane non dividantur, ratio, meo quidem judicio, quam si versuum longitudine semel definitâ, margine intacta, verbum id, cujus abundaturæ aliquot in superiori versu literæ creduntur, integrum legentibus proxime sequentis versus initio offeratur. Exemplum sit eadem, quam, sed alio scriptam ordine, supra etiam exhibuimus, Augusti ad Tiberium epistola; *Cœnavi, mi Tiberi, cũ iisdẽ. Accesserunt convivæ Vinicius, & Silvius pater. Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri, & hodie. Talis enim jactatis ut quique canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat. Quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.*

Vides in hoc scribendi ordine divisioni verborum, aut divortio locum plane nullum relinqui. Neque ejus

in MSS. quibusdam vetustioribus, quæ vidi, ut & aliquot lapidibus, desunt exempla. Agnoscis interim hic quoque versuum inæqualitatem. quam, ut inconcinnam & deformem, summâ cura declinandam veteres καλλιγραφίας studiosi putavere. quibus versuum æqualitas haud postremum scripturæ ornamentum, imo, ut revera est, quasi Venus quædam, habebatur. Neque una iis placuit ratio, quâ eam declinarent. aliquando postrema ultimi verbi litera à reliquis avulsa, & in finem stati versus seposita. ut in hac inscriptione, quæ, earum quas Gruterus collegit, & pag. CXXVIII. exhibuit, prima est.

M. ATTILIUS RUFINU S
SEX. SALVIUS. SENILIU S
C. AUTRONIUS MAXIMU S
L TITULEJUS. FELI X
M. PUBLICIUS. HESTE R
M. HERENNIUS: CAPIT O.

Neque aliter, neque alia de caussa, versus Poetarum, qui alias fere inæquales sunt, scribebant elegantiores. Ut exempli gratia,

Jam satis terris nivis, atque dir Æ
Grandinis misit pater, & rubent E
Dexterâ sacras jaculatus arce S
Terruit gente M.

In vetustis membranis integri aliquot Poëtæ veteres sic descripti hodieque inveniuntur. Nonnunquam, integro verbo, inæquali intervallo, & à reliquis divulso, in finem versus rejecto. Exempla in eodem inscriptionum opere plurima inspicienti offeruntur. Imo studiose adeo, ut idem esset omnium versuum quemadmodum initium, ita & finis, à nonnullis olim observatum, ut si in postremo omnium, vel duo tantum verba se scribenda darent, alterum ejus initio, alterum fine exhiberent. Nemo, nisi qui nihil videt, hoc negabit, si modò vertat oculos ad hoc cæco pag. DCXCVII. N. IX. laudati jam operis, positum monumentum.

MEMO-

MEMORIÆ
M. NONI. PLACIDI
V. A. XXVIII. M. VIII. D. XIIX.
AB. ANNO. ÆTATIS. SUÆ
XII. OCULIS. PATENTIBUS
VIDIT. NIHIL.

Sunt exempla ejus generis ibidem plura. Cæterum nihil horum Auguſtus. qui neque cavit ne verbi literæ aliquæ in ſcribendo abundarent; neque, cum forte abundarent, ita ſcripſit, ut plane non dividerentur. Quare igitur diſertim aſſerit Suetonius, eum verba non diviſiſſe, atque ex chirographo ejus ſe annotaſſe? Hoc enim tandem nobis hic venit explicandum. In quo, ut præeat Suetonius ipſe, neceſſe eſt. Neque enim hæc rectè explicaturus certiorem, melioremve ſequi poteſt interpretem. Neque, aut admodum fallor, ambiguum poſthac erit, de quo hic quæritur, ſi hæc propius expendantur. *Non dividit verba*; poſt quæ addit, quibus, quid ſit non dividere verba, ipſe, ſed paucis, interpretatur; *Nec ab extremâ parte verſuum abundantes literas in alterum transfert.* Non poteſt dubium eſſe, quin velit, in ſcribendis abundantibus verborum literis alium morem, quàm vulgò alios, Auguſtum eſſe ſequutum. Quomodo autem ea à veterum pleriſque ſcribebantur? Haud aliter profectò, quàm à nobis hodie. Ab extremâ parte verſuum, à Tranquilli quippe verbis hic recedendum non eſt, abundantes literas in alterum transferebant. Hac diviſione factum, ut pars verbi fine verſus prioris, pars ſequentis initio legeretur. Nimia ea, nec neceſſaria, viſa eſt Auguſto. Is ergo contrario uſus ſcribendi ordine non *transferre in alterum verſum* abundantes literas voluit, ſed ibidem *ſtatim ſubjicere*, id eſt, in altero quidem verſu, at non initio ejus, quod remotius, ſed extremæ, quod proximum, ſcripſiſſe, ac ita circumduxiſſe, ut pars non ſequentis, ſed præcedentis verſus ac à reliquis non diviſæ eſſe intelligerentur. Quot Suetonii hic verba exſtant, tot hanc ejus mentem eſſe, certiſſima ſunt argumenta.

Non divisisse verba dicitur Augustus, non quod eorum partes plane non divideret, sed quod abundantes literas ab extremâ parte versuum ibidem, id est extrema sequentis versus parte, id est, proxima, subjiceret, ita ut pene dividi non viderentur. Alii interim ita eas dividebant, ut à fine præcedentis versus ad proximi initium eas transferrent. Hæc vera erat divisio, cum Augustea illa adeo esset ab illa diversa & modica, ut prope nulla, imo nulla Suetonio, propter circumductionem scilicet, videretur. Hæc caussa est, quare dicat, verba Augustum non divisisse: *Transferre* enim abundantes ab extrema parte versuum literas, illi dividere est, non autem ibidem *statim subjicere*. Quod enim *transfertur* ab eo, à quo transfertur loco, omnino divulsum est. Quod verò proximè subjicitur, non tam divisum quam proxime cum eo cui subjicitur conjunctum & quasi indivulsum habetur. Si ergo sic scribas, quomodo vulgo olim, ut & nos hodie; . . . . : *labores*, divisio erit, quia abundantes literæ ab extrema versus parte transferuntur. Neque hæc pariter oculis legentis offeruntur. Sin autem hoc modo, quomodo Augustus. . . . . *la-*

bores

Non videtur esse divisio, quia abundantes illæ literæ non transferuntur sed statim, id est, proxime, & ut conjunctæ subjiciuntur, & uno eodemque intuitu adspiciuntur. Neque aliud hic voluit Suetonius. Verbum non addam de re jam manifestâ. Cæterum ubi subjecerit Augustus abundantes illas literas, an in illo quod inter duos versus relinquitur intervallo, an extrema parte versus proxime sequentis, restat ut videamus. Illud Crojo, nobis hoc videtur verius. Certè nunquam illud ex Suetonio probabit Crojus. Dicit ille, *Ibidem subjicit*. Quo referas illud *ibidem?* An ad vacuum illud intervallum? Atqui nulla ejus facta est à Suetonio mentio, ac de eo hic ne γρῦ quidem. Ratio quoque ipsa dissentit. Quis enim illius intervalli usus est? Triplex fere, aut fallor. Nam & ad ornatum Σελίδες istæ haud parum faciunt, ut margines paginarum; & legentes plurimum juvant, dum versus singuli vacuo illo inter singulos

gulos ac justo ſpacio relicto diſtinctius oculis offeruntur, ipſorum denique etiam qui ſcribunt uſibus, ſi quid mutare forte, aut corrigere, vel addere, aut ſupra ſcribere velint, quod tamen in ſcriptura quæ aliorum etiam oculis offertur, deforme eſt, plurimum conducunt. De poſtremo eſt inſignis mendo Plinii Junioris lib. VII. Epiſt. XII. locus, & obiter hic à nobis emendandus. Verba ſunt; *Poſtea enim illis*, nempe quæ emendanda in libello à me formato judicabis, *ex aliquâ occaſione ut meis utar, & beneficio faſtidii tui ipſe laudabor, ut in eo quod annotatum invenies, & ſupraſcripto*, in vacuo nimirum illo, inter verſus ſingulos intervallo, *aliter explicitum.* Ita vulgo hæc legunt, & diſtinguunt, nullo ſenſu. Veteres, melioreſque libri habent, *ut in eo quod adnotandum adnotatum quoque invenies.* Quæ nec ipſa ſatis ſana aut diſtincta ſunt. Ergo fidenter ſic ſcribo, & diſtinguo: *Poſtea enim ex aliquâ occaſione ut meis utar, & beneficio faſtidii tui ipſe laudabor. Tu in eo quod adnotandum adnotatum invenies, & ſupraſcripto aliter explicitum.* Non eſt dubitandum, quin hæc ipſa Plinii ſcriptura ſit. Quid autem velit, ſatis explicant illa, quæ ſtatim ſubjicuntur: *Nam cum ſuſpicarer futurum, ut tibi tumidius videretur, quod eſt ſonantius, & elatius, non alienum exiſtimavi, ne te torqueres, addere ſtatim preſſius quiddam & exilius. Vel potius humilius, & pejus, veſtro tamen judicio rectius.* De ſtylo non erat idem Plinii, quod Minutii, ad quem ſcribit, judicium. Huic exilis, & humilis, illi autem ſonantior ac elatior, quem tamen ut tumidum Minutius aſpernabatur. Petit igitur ab eo Plinius, ut ingenio ſuo utatur in emendandis omnibus iis, quæ tumidius ſcripta judicaret. Sed, inquit, ne quid in eo moleſtiæ crearem tibi, ego illa omnia, quæ adnotanda à te ut minus rectè dicta credebam, ipſe jam annotavi, eaque aliter, & exilius explicata ſupraſcripto, in Σελίδι nempe, invenies. Cæterum de his, ut jam dixi, plura ad ipſum Plinium. Auguſtus enim nondum nos dimittit. Quis enim credat, eum, cujus ſcripturam elegantia ipſa, & venuſtate fuiſſe monſtrabilem conſtat, rejectis in vacuum illud quod inter ſingulos verſus eſt ſpatium, abundantibus literis, ſemper de-

venustare illam voluisse? Quid enim aut inconcinnius eo, aut invenustius? Fieri namque non potest, quin qui sic scribit, intervallum illud singulorum versuum non quidem longitudine, sed latitudine passim reddat inæquale. Retroflecte, si placet, oculos ad Augusti epistolam, quam ab eo ex sententia Croji scriptam supra jam exhibuimus. Quomodo autem non potuit illa inevitabilis sic scribenti, & toties, ac singulis prope versibus obvia inæqualitas politissimo, etiam in pingendis literis, Principi non displicere? Sed ego, forte nimis jam *multa super Priamo rogitans, super Hectore multa*, molestus tibi diutius esse, neque debeo, neque volo. Quidnî enim in Serenissimi, ac laudatissimi omnium, quos Germania nunc habet, Principum aula agenti jam tibi, ab horum temporum calamitate, ac nunc maxime seriis pro pacanda Europa consiliis, alienum videatur ac absurdum, tam longâ Dissertatione quærere, quomodo Principes scripserint: cum, ut ita dixerim, *adhuc Virguncula Juno esset, & Idais privatus Juppiter antris* ageret. Est ad manum nobile illud Ancyræ repertum, & quod in Smetianarum Inscriptionum Auctario legitur, monumentum, non modo Breviarium rerum, sed etiam quoddam quasi chirographum Augusti. Id, nisi fallor, & paucis, hic nos absolvet. Quod enim locupletius aut certius testimonium in hac caussa posset in medium adferri? In ea, ut, nota jam eruditis ac explosa non semel, ut hic, ita & alibi veterum quadratariorum negligentia aut imperitia, quædam sese offerunt à more scribendi, quem Augusti fuisse constat, plane aliena, ita exstant duo *subjectorum* in scribendo verborum *circumductorumque* apertissima exempla, quæ ex ipso Augusti chirographo, aut inscriptione lapidis facta juxta chirographi ejus normam ac ordinem, expressa esse, vel hac sola ratione motus, fidenter audeo affirmare, quod nihil simile in vasto illo Opere, inter tot vetustarum Inscriptionum chiliades, mihi, hac nunc de caussa iterum eas perlustranti, fuerit oblatum. Hæc ergo, ne in posterum dubia sit, aut vera, ut falsa de chirographo Augusti,

& Suetonii hoc loco ſententia, ſupereſt ut tandem inſpiciamus. Neque enim ambigitur quin ejus Breviarii & auctor ſit, & id primus deſcripſerit ipſe Auguſtus, & quadratarius nova illa, neque alibi obvia, ſcribendi ratione, præeuntis Auguſti ductum, & quaſi veſtigia fuerit ſequutus. Ecce tibi primum, ex oppoſiti lateris ſerie prima;

JOVIS. LIBERTATIS. IN AVENTINO. ÆDEM. LARUM. IN SUMMA. SACRA. VIA. ÆDEM. DEUM. PENATIUM. IN. VELIA. ÆDEM. JUVENTATIS. ÆDEM. MATRIS. MAGNÆ. IN. PALACIO. SERTORIUM. ET. POMPEJUM. (*FECI.* THEATRUM.UTRUMQUE.OPUS.IMPENSA. GRANDI: REFECI. SINE. ULLA. INSCRIPTIONE. NOMINIS. MEI.

Adde & alterum, ex ejuſdem ſeriei continuatione, illud;

QUOTIESCUNQUE. IMPERATOR. M... AURI CORONARIUM. NON. ACCEPI. DECERNENTIBUS. MUNICIPIIS. QUÆ. ANTE TEMP.DEFUNCTAR.AFRIC. (*DECREVERAM.* MEO. NOMINE. AUT. FILIORVM. MEORVM. ET. NEPOTVM. IN CIRCO &c.

Vides utroque loco poſtremum, quod præcedentium ſententiam claudit, verbum non tranſlatum ab extrema verſuum parte, ſed ibidem ſtatim ſubjectum. Vides non in illo intervallo, quod inter duos verſus eſt, ſed fine verſus ſequentis ſubjectum. Vides etiam, ut ad præcedentem verſum pertinere, & velut pars quædam ejus, nec diviſum, intelligeretur, circumductum, & ſimul circumducendi verba, aut abundantes literas (eadem enim haud dubie in his quoque ſcribendi norma obſervata eſt) uſitatam Auguſto rationem. Placetne, ut tandem quoque epiſtolam ejus hoc ordine ſcriptam hic exhibeamus? Mihi certè, neque grave, neque difficile id erit. Si autem id ſuperfluum tibi videatur, facile etiam erit non legendo præterire, aut delere.

Nos, mi Tiberi, quinquatriis satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: Sed ex magnis detrimentis præter spem paullatim retractus est. Ego perdidi vi-
(ginti
millia nummûm, meo nomine; sed cum effuse in lusu liberalis fuissem, ut so-
(leo
plerunque. Nam si quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferret.

Hæc demum vera est Augusti scriptura, quam cum verbis Suetonii, & iis, quæ ex Ancyrano monumento jam produximus, omnino congruere, nemô, nisi quis veri se hostem profiteri malit, posthac negabit. A consuetudine enim vulgo in scribendo recepta, & nobis adhuc retenta recessit Augustus, ac contrariam plane viam ingressus est. Vulgò à fine versus ad alterius initium abundantes literas transferre mos erat. Ea divisio immanis, & nimia, & lectoribus molesta visa Augusto ac iccirco improbata est. Ipse vero iisdem illis literis statim ibidem in fine versus sequentis locum fecit, atque ita eas circumduxit, ut à reliquis non divisæ, aut avulsæ, sed cum iis quam proxime cohærere viderentur. Neque obstat Suetonius, qui notat abundantes literas in alterum; nempe sequentem, versum non transtulisse. Aliud enim est transferre, aliud subjicere. Negat transtulisse abundantes literas; non negat subjecisse. Adde, quod circumductio faceret, ut circumductæ vel literæ, vel syllabæ pars præcedentis, non alterius, versus esse viderentur. Is enim circumductionis usus erat. Id ea, nec aliud, significabat. Vides jam sine ulla inconcinnitate, imo venustissime, quod in scribendo propositum erat Augusto, abundan-

tes literas subjectas, & ne divisæ viderentur, circumductas. Quid post hæc aut quo plura? Neque ego, pene puer, veram hujus loci sententiam olim vidi: (Cur enim id fateri pudeat? cum hic demum pudendum maxime, & plane indignum veritatis studioso sit, fateri nolle, si erraveris) neque nunc vidit Crojus. Qui quod à nobis, nisi fallor, tandem nunc præstitum est, post irritos aliorum omnium interpretum conatus illustratum hic à se Suetonium, cum quid vellet, ille non intelligeret, temere affirmavit. Neque tamen ideo minoris hominem facio, quam meretur; qui scio novum haud esse in his similibusque antiquitus sepultis summos etiam viros identidem à vero aberrare. Maneat illi ex studis suis honos, qui debetur. Per me certe, qui quanti præclara omnia ingenia & fecerim semper, & nunc faciam, & quam magnifice de iis sentiam, non ignoras, nihil ei detrahetur. Ego enim & amare eum possum, si quidem amari se à nobis patiatur, in quo unum illud, quod forte ipse quoque jam non probat postquam bonis ubique omnibus ac eruditis improbari haud dubiè intelligit, hoc est, effrænem illam libidinem convitiandi, in publico præsertim scripto, & adversus eum virum, cujus cæleste ingenium, & infinitam eruditionem, & incomparabilia in Remp. literariam merita, omnes jam laudes sunt supergressa, non possum non odisse. Neque interim ab eorum judicio abeo, qui, si quidem id exigat ratio, à maximis etiam viris dissentiendum arbitrantur. Principes quippe literarum ac Dictatores quosdam & dicimus libenter, & meritò agnoscimus, sed ut venerantes, non ut servi. Neque arbitria eorum jura hominum sunt, aut ut leges admittuntur. Contra eos modo pronuncio, qui ex ambitione potius, quam merito ab iis dissentiunt; qui non dissentiunt sine contumelia, & nisi convitientur; qui denique dissentire non possunt, nisi profiteantur odisse se illos à quibus dissentiunt: cum tamen haud arduum factu sit & amare eos, à quibus dissentias, & ab iis, quos ames, dissentire. Quo enim illa tot convitia, quæ neque tegunt, neque vulnerant; quibus digni, vel indigni; Majores, minoresve, falsa, aut vera

tuen-

tuentes, non distinguuntur? Quid referta iis scripta sunt nisi pignora injuriæ, & impotentis animi ad posteros transmissa, &, siquidem ex scribentium voto res cadat, duratura æternum monumenta? An non, quæso te, per ea contumeliæ ex contumeliis trahuntur, & velut inexplicabili quodam nexu jam devinctis semel ingeniis ac commissis, semper incipiunt maledicorum occupationes; & post convitia omnia, vetera aut nova, consumpta, fessis jam ac fatigatis manet tamen odium, & convitiandi libido? Neque eadem intemperantia illos decet, qui priores lacessiti, & læsi vices reddunt. Delictum enim aliorum, ut egregiè ille olim, respiciendum est ut opprobrium, non ut exemplum. Sed hos justus dolor, & superata, si quidem sapientis illa, quam invictam esse oportet, superari patientia unquam possit, forte excusaverit. Illi autem plane non ferendi qui priores maledicunt, & non lacessiti. Nam ne quidem id hominis. In Theologis autem tam monstruosum est, quàm hactenus inauditum. Ex his enim quidam hac ætate, inprimis nuper, tam ab his, qui ejusdem ordinis, quam aliis, tanta immodestia publice dissentire, ac in famam aliorum & existimationem tam atrociter grassari, ausi sunt, ut in quavis potius alia, quam Christi schola ostenderint sese eruditos. Hoc igitur demum sæculo, prô pudor, in Sacras literas observationes vocantur, portenta & plaustra conviciorum. Nam hic quoque vera vocabula amisimus. Et cur cælestissima verba illustranda illi suscipiunt qui non intelligunt? Sin autem intelligant, cur iis præscripta, præsertim cum præire hic magnitudine exempli aliis debeant, non sequuntur? Ubi ergo in fratres amor, cum in hostes etiam sit præceptus? Quid sibi vult illud maximi, & dulcissimi præceptoris, *Discite à me, quoniam sum mitis?* An illam nullis modestiæ, nullis Christianæ caritatis, nullis conscientiæ aliud dictantis repagulis coërcitam styli atrocitatem, in eorum famam, qui pulcherrimam, quæ optimo cuique & maximo non minus quam ipsa vita æstimatur, illustrissimis & studiis, & meritis sibi quæsivere? Id enim Dominum velle, ex horum certe scriptis colligas. Ubi ergo mos à sanctissimis

Patri-

Patribus traditus? Ubi exempla, quæ ab Episcopis, quem pascunt, gregi debentur? Ubi vetus illa, & incorrupta Ecclesiæ disciplina? Scribere hæc nunc, & in sinum tuum privatim effundere, immensus, quem animo pridem concepi, dolor subegit. Malum enim illud, cum pene omni remedio jam sit valentius, & majores indies acquirat vires, ne graviores aliquando excitet, & secum trahat factiones, cum præsentissimo non Ecclesiæ modo, sed & Reip. discrimine, admodum metuendum est. Utinam meliorem aliquando illi mentem induant! Vel saltem ordinis sui caussa, quem ego ut incomparabili bono generis humani divinitus institutū, & ut omnium sanctissimum suspicio & colo, ac tot ejusdem ordinis virorum, & omnigena eruditione, &, quod pluris facio, pietate excellentium: quibus ego quidem tanto plus tribuendum censeo, quanto immodestorum illorum consortio ac collegio auctoritati horum, & existimationi plus discedit apud eos, qui iniquo tamen & perverso plane judicio de toto ordine ex diversis quorundam moribus & ingenio temere pronunciant. Vale, vir amplissime &, cum id prolixissimi illius tui in me animi magnitudinem nihil adjici posse intelligam, ita, ut soles, constanter me ama. Quod tanto impensius te nunc rogo, quanto plures vivunt hodie, qui sine caussa alios odisse malunt, quàm merito amare. Quorum artes ut nonnunquam in obscuro sunt, ita aliquando etiam invitis & incogitantibus erumpunt. Quorum neque in aula tibi, neque hic nobis desunt exempla. Quibus quidem ego oppono animum, qui neque didicit, neque necesse habet, cuiquam servire, ac longe judicat pulchrius, omnium amorem mereri, quam ab omnibus amari. Iterum vale, & hoc age.

Lugd. Bat. 1645. *Mense Aug.*

JACOBO BASELIO BOXHORNIUS, S.D.PL.

Bergizomium.

FAtali optimi viri Soceri mei & morbo & excessu factum est quo minus ex Zelandia ad vos excurrere po-

potuerim, Baseli amicissime .... Collectio Proverbiorum & Scholia in eam tua legi & probo. Perge in eo instituto, sed inprimis animum & curas adjice ad rariora, ut cum omnia dare destinatum tibi non sit, prodeant exquisitiora. Vale, & amplissimis Roucquiis officia mea defer.

Lugd. Bat. 1645. *Septemb*, 20.

VINCENTIO FABRICIO

M. Z. BOXHORNIUS S. D. P.

Gedanum.

Vir amplissime,

EGo certe & tibi & mihi gratulari necesse habeo, cum & Virtutibus tuis apertus sit nobilissimus campus, qui haud dubiè ostendet, qui virsies; & tuum in me animum amplissima fortuna non mutaverit. Statueram humanitatem hanc tuam prævenire ipse, sed cum annuo & prope ultimo commistus morbo coactus sum ea intermittere officio, ad quæ jam pridem obstrictum me agnoscebam. Itaque non est quod de studiis nostris quæras. Hoc unum enim hactenus ago, ut convalescam. Et res ea, sic satis, ni fallor, bene procedit. Et testabuntur id, si Deus volet, prolixiores literæ, quas paullo valentior ad te paro. Is interim, qui tuas mihi tradidit, vel eo nomine, quia tuus est, laudatissimus mihi erit. Et sane laudanda omnia non pollicetur tantum, sed jam præstat. Vale, vir amplissime, & ut tremulæ adhuc dextræ ignoscas te rogo, hac tamen lege, ut plura, non modo debendi reum, sed & proxime scripturum me scias. Iterum vale, & ut soles, me ama. Raptim, & adhuc æger hæc scripsi.

Lugd. Bat. 1646. *Novemb*, 12.

HEN-

HENRICO BRUNONI
BOXHORNIUS, S.

Hagam.

Præstantissime & eximie Juvenis,

PUteani Epistolas, ad illustres viros Hugenium ac Heinsium scriptas, id est, elegantiæ omnis ac venustatis coagulum, omnibus scriptas & deberi censeo. Id igitur agam, ut quam primum publicè legantur. Nihil hic est, quod moram objiciat. Neque in vobis, aut vestris, nisi fallor, erit. In tua eum manu situm est, ut hæc proximè mihi tradantur. Faxo ego, ut eo, quo oportet, ordine, legantur. Ad alios scriptas alibi locorum forte inveniet. Hæ solæ, & ita conjunctæ ut dividi possint, & ita divisæ ut nihilominus conjungi possint, à nobis publico dabuntur. Sunt interim & alia, quæ me exercent. Scythica nempe. Utinam verò illa quàm vera & certa sunt, tam vera & certa aliis videantur? Institutum hoc, ut novum vel invidia, vel ignorantia, etiam cætera doctissimorum, non caret. Sunt tamen & habentur inter doctissimos, quibus rationes meas probavi. Et etiamsi non probassem, scio probandas omnium eorum judicio, qui amant virtutem. Epistola hæc, quam legere te volui, sed eâ lege ut intra bidui spatium ad me redeat, quid moliar, & quid paratum jam habeam, te docebit. Vale, amicorum jucundissime, & me amice Heroi Hugenio, & Zueriæ meæ ut me meaque omnia offeras, unice te rogo,

Raptim Lugd. Bat. 1646. *Decemb.* 13.

ARNOLDO VINNIO
M. Z. BOXHORNIUS, S.P.D.

SAtisfacio nunc, ecce, desiderio tuo, Arnolde Vinni, vir consultissime. Utinam verò etiam judicio! quod cum grave sit & exactum, aut stare eo, aut cadere pa-

paratus sum. De *Avaria*, cujas & qualis ea vox sit, quæritur. Quæ de ejus origine hactenus disserunt alii, ea neque repetere hic, neque refellere vel animus, vel necesse est. Non enim non falsa, & inepta illa videri poterunt, si vera, & proba sint, quæ sed paucis, jam dicturus sum. *Aban* (à primâ enim origine res arcessenda est) Scythis cultum & habitatum significat. In Lexico Persico; *Aban*, cultus, habitatus. *Abadan*, habitatus, cultusque locus. *Abadani*, cultura loci, habitatio. Persas autem & Parthos eosdem, & ejusdem originis, id est, Scythas esse, constat. Sicut & ejusdem haud dubiè Germani sunt, quibus eadem vox, & eâdem significatione, etiamnum in usu est. *Havenen*, aut *habenen*, iis est, colere, ornare; *gehavent*, cultus; *ongehavent*, incultus. Inde est & *haven*, cultus habitatusque locus. Ita hodie vulgo *portum* vocant, ut locum cultum habitatum; cujus adspectu mare incultum, inhabitatum est. Pro dialectorum autem, quod in omnibus pene linguis usu venit, etiam *Haver* dicitur, portus. Neque aliter Franci, qui haud dubiè ortu Germani sunt, nunc loquuntur. *Havre*, portus; *Mer commode en Havres*, portuosum mare; *Mer sans Havre*, importuosum mare; & celeberrimi nunc portus proprium nomen, *Havre de Graces.* Exempla alia ejus generis & mutationes multa sunt; sed recensere omnia nimis nunc prolixum foret. Ab *Havre*, quod sine dubio contractum est ex *Havare*, & portum significat, nomen, de quo hic agitur, *Havaria* aut *Avaria*, cujus frequens in nostro aliarumque Europæ gentium nautico jure occurrit mentio, factum est. Planè, ut à *portus* dicitur, *portorium*; quod in ipso portus aditu, à nautis & mercatoribus vectigal exigitur. *Avaria* enim nihil est aut significat aliud, quam id, quod ab his, quorum merces & bona in portum salva delata sunt, in eos confertur, quibus merces & bona jactu periêre. Hæc nunc obiter de nomine, ac nisi fallor, aperta. De argumento autem, ipso plura, & majora tu, Vir eruditissime, qui cum ornandam amplificandamque Romanorum & nostri juris disciplinam, nostrarum quoque litterarum opes cultum-

tumque, raro quidem illo hodie, ſed laudatiſſimo & imitando omnibus exemplo, abunde conferas, & huic tuæ tam egregiè curæ, tantiſque in Academiam & Rempublicam meritis porrò augendis propitius faveat, & quàm diutiſſime ſoſpitem te ſervet, Deum rogo: te verò, ut, quemadmodum ſoles, conſtanter me ames, inprimis autem, ut ſic de publici egregii bono optimè mereri pergas. Vale igitur, Vir ampliſſime, eximium & Academiæ noſtræ, & Conſultiſſimi Ordinis decus.

Lugd. Bat. ipſis Kal. April. 1647.

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S.

Ecce ergo ergo hic tibi, Virorum nobiliſſime, Conſtantine Hugeni, publicas Scythicarum obſervationum primitias, quæ DEÆ NEHALENNIÆ datæ ſunt. Tuum vero imprimis judicium cognoſcere aveo, ut aut hac via ſapere porro ac eruere veritatem pergam, aut deſinam ineptire. Cum ad celſiſſimam Principem hanc diſſertationem inſtituerim, multa etiam huc facientia prætermittere debui, alibi locum habitura. De Numeralibus vulgo jam receptis Notis, quæ commentatus ac ampliſſimo nomini tuo inſcribere auſus ſum, proxime prælo ſubjicientur. Hactenus enim nonnulla deſidero, quæ inſpicere omnino neceſſe eſt. *Daſypodii* maxime *Arithmeticam*. Exſtat fortè illa in optimi Principis (cujus afflictæ valetudinis ſine veris lachrymis meminiſſe non poſſum) Bibliotheca, à Mathematicis ſcriptis inſtructiſſima, aut forte etiam tua. Vale, vir illuſtris, &, ut ſoles, me ama. In Puteani Epiſtolis excudendis jam eſt Typographus. iterum vale.

Lugd. Bat, 1647. Martii 9.

NICO-

paratus sum. De *Avaria*, cujas & qualis ea vox sit, quæritur. Quæ de ejus origine hactenus disserunt alii, ea neque repetere hic, neque refellere vel animus, vel necesse est. Non enim non falsa, & inepta illa videri poterunt, si vera, & proba sint, quæ sed paucis, jam dicturus sum. *Aban* (à primâ enim origine res arcessenda est) Scythis cultum & habitatum significat. In Lexico Persico; *Aban*, cultus, habitatus. *Abadan*, habitatus, cultusque locus. *Abadani*, cultura loci, habitatio. Persas autem & Parthos eosdem, & ejusdem originis, id est, Scythas esse, constat. Sicut & ejusdem haud dubiè Germani sunt, quibus eadem vox, & eâdem significatione, etiamnum in usu est. *Havenen*, aut *habenen*, iis est, colere, ornare; *gehavent*, cultus; *ongehavent*, incultus. Inde est & *haven*, cultus habitatusque locus. Ita hodie vulgo *portum* vocant, ut locum cultum habitatum; cujus adspectu mare incultum, inhabitatum est. Pro dialectorum autem, quod in omnibus pene linguis usu venit, etiam *Haver* dicitur, portus. Neque aliter Franci, qui haud dubiè ortu Germani sunt, nunc loquuntur. *Havre*, portus; *Mer commode en Havres*, portuosum mare; *Mer sans Havre*, importuosum mare; & celeberrimi nunc portus proprium nomen, *Havre de Graces*. Exempla alia ejus generis & mutationes multa sunt; sed recensere omnia nimis nunc prolixum foret. Ab *Havre*, quod sine dubio contractum est ex *Havare*, & portum significat, nomen, de quo hic agitur, *Havaria* aut *Avaria*, cujus frequens in nostro aliarumque Europæ gentium nautico jure occurrit mentio, factum est. Planè, ut à *portus* dicitur, *portorium*; quod in ipso portus aditu, à nautis & mercatoribus vectigal exigitur. *Avaria* enim nihil est aut significat aliud, quam id, quod ab his, quorum merces & bona in portum salva delata sunt, in eos confertur, quibus merces & bona jactu periêre. Hæc nunc obiter de nomine, ac nisi fallor, aperta. De argumento autem, ipso plura, & majora tu, Vir eruditissime, qui cum ornandam amplificandamque Romanorum & nostri juris disciplinam, nostrarum quoque litterarum opes cul-

tum-

tumque, raro quidem illo hodie, sed laudatissimo & imitando omnibus exemplo, abunde conferas, & huic tuæ tam egregiè curæ, tantisque in Academiam & Rempublicam meritis porrò augendis propitius faveat, & quàm diutissime sospitem te servet, Deum rogo: te verò, ut, quemadmodum soles, constanter me ames, inprimis autem, ut sic de publici egregii bono optimè mereri pergas. Vale igitur, Vir amplissime, eximium & Academiæ nostræ, & Consultissimi Ordinis decus.

Lugd. Bat. ipsis Kal. April. 1647.

CONSTANTINO HUGENIO

BOXHORNIUS, S.

ECce ergo ergo hic tibi, Virorum nobilissime, Constantine Hugeni, publicas Scythicarum observationum primitias, quæ DEÆ NEHALENNIÆ datæ sunt. Tuum vero imprimis judicium cognoscere aveo, ut aut hac via sapere porro ac eruere veritatem pergam, aut desinam ineptire. Cum ad celsissimam Principem hanc dissertationem instituerim, multa etiam huc facientia prætermittere debui, alibi locum habitura. De Numeralibus vulgo jam receptis Notis, quæ commentatus ac amplissimo nomini tuo inscribere ausus sum, proxime prælo subjicientur. Hactenus enim nonnulla desidero, quæ inspicere omnino necesse est. *Dasypodii* maxime *Arithmeticam*. Exstat fortè illa in optimi Principis (cujus afflictæ valetudinis sine veris lachrymis meminisse non possum) Bibliotheca, à Mathematicis scriptis instructissima, aut forte etiam tua. Vale, vir illustris, &, ut soles, me ama. In Puteani Epistolis excudendis jam est Typographus. iterum vale.

Lugd. Bat, 1647. *Martii* 9.

NICO-

NICOLAO BLANCARDO
M.Z. BOXHORNIUS, S.P.D.

Coloniam Agrippinam.

FElix sit ac faustum te in Germaniam venisse, te Illustris Comitis consiliarium apud Serenissimum Electorem causam ejus agere, nobilium comitatu stipatum. Merebatur virtus, elegantia, singularis doctrina, quibus & nostri ordinis homines & principes viros demeruisti. Habes literas, utrumq; jus, historiam omnem: ac confido gratiã tibi debiturum, qui hoc onus sed gloriosum familiariter injunxit. Sed in laudes tuas parco, quas in me quidem nimis benignè congessisti: quamvis affectus ille clarus & ardens magno incitamento sit, ut redamare cogar sic amantem. Nuper varias, & à summis etiam viris dignitate aut eruditione, litteras accepi: sed tuæ me in primis delectarunt, ob causam in te propriam; quòd non sermunculis fabellisque ducaris, me verò ad retractandam tanti ponderis rem studiosè impellas. Tenebo autem hoc temperamentum, ut ex difficillimis eligam id potius in quo desiderio tuo, utinam verò judicio, satisfaciam. Ex veteribus Christianis multos credidisse, Sibyllas quædam de Christo vaticinatas, in comperto est. Nullus verò asseruit, ex gentilium oraculis Augusto cognitam fuisse Servatoris nativitatem, ut hinc Judæis æquior factus, eorumque cultum & religionem in pretio haberet. Et sunt tamen nonnulli recentium ac antiquorum, quibus hæc nugamenta specie veritatis imposuere. Quid enim? credemus gentes, à dæmonibus edoctos, Christi exordia percepisse? Certè discipulis Joannis, qui magistrum de Messia prædicantem audiverant, id neutiquam persuasum. Illi ipsi Johannem fato proximum, & carcere inclusum, cogunt mittere qui sciscitentur; *Tu es qui venturus es, an alterum exspectamus?* Si verò princeps Romanus oracula legerit, quæ olim laudata & hodie celebrantur, pleraque ei rerum domini cognita esse potuere,

fuere, cùm in his aperriora de eo quam ab Isaia ceterisque instrumenti veteris prophetis tradantur. Cæterùm vaticiniis Sibyllarum vel obiter solùm inspectis, cuivis non poterit non constare, ea ex euangelica historia à Christiano aut Semichristiano; certè impostore, haud dubie deprompta, & longè post adventum Christi publicata. Quam ridiculum earum unam de Mose vaticinari; diluvium prænunciare; & addere interim, cum Noacho se fuisse, undis tempestatibusque jactatam. Sic ante diluvium vixisse eam necesse est. Atque hæc & similia referre, nihil erit aliud quàm refellere. Si post cataclysmum vixerit, & de gestis jam rebus vaticinata sit, vatis nomen qui poterit tueri, & μαντὶ θείας ἐπιπνοίας celebrari? Nonne quivis mortalium, nec dicam catorum cautorumque, sed è fæce vulgi, de præteritis carmen canere possit? Non jam ipsa oracula ex Eusebio, notissimo tibi scriptori, aut ex Christianissimi Regis scripto codice exhibebuntur. Eorum ἀκροστιχὶς est ita: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ, ΣΤΑΥΡΟΣ. Doleo autem tam eximium Christianæ ecclesiæ solem ignorantiâ veri admodum hic à vero deflexisse. Ait enim, Sibyllam divino numine refertam, carminibus futura de Christo vaticinatam, perspicuè ex dictâ serie literarum constare. Et hanc virginem beatam prædicat, quam servator providentiæ suæ ergà nos vatem elegit. Atqui in propatulo est, promissum Messiam, ejusque ex virginę nativitatem, & crucem, ac partam ejus sanguine humani generis redemptionem μυστήρια esse, & hoc nomine sacris in literis vocari. Verùm enimverò Cumæum carmen, cujus meminit Maro, quique Augusto rerum potiente floruit, Christianorum commentum esse nemo putabit. Augustinus certè de Christo accepit, quæ adulandi studio Pollioni, Augusti nepoti, à Virgilio tribuuntur. Eidem excidit ea vox, *fortassis etiam illum vatem aliquid de unico servatore in spiritu audiisse, quod necesse habuit confiteri*, ut ad Martianum loquitur epistolâ centesimâ quinquagesimâ sextâ. Itane ergo θεόπνευστος fuerit & Maro, quem certum est, cùm ex Cumanæ Sibyllæ vaticiniis hæc repeteret, plu-

rimùm

rimum abfuisse, ut de Messia cogitarit. Palam quidpe Pollioni, non Christo tribuuntur. Ejusdem cum Augustino sententiæ est quoque antea laudatus Eusebius, in historiâ vitæ Constantini, ubi Cumæum illud oraculum scholiis interpretatus; Christi regno satis concinere & convenire arbitratur. Non diffiteor ad convincendam gentilium incredulitatem, plurimùm momenti positum in ipsorum testimoniis, quibus salutiferæ doctrinæ veritas constabilitur. Ut neque illud, vera esse, & soli unique Christo deberi, quæ in Cumæo carmine dicuntur. At Cumæam illa cecinisse, ut Maro cum sui seculi Romanis credidit, haud possum persuaderi. Sum paulò infirmior unus multorum. Notum Christianis omnibus, post lapsum primorum parentum, in quibus tota posteritas damnata, editum divinitus oraculum de Mediatore inter Deum & homines, qui in temporum plenitudine ex Judæâ virgine oriretur. Adhæc ejusmodi vaticinia Patriarcharum Prophetarumque ope sæpius fuisse repetita. Constat etiam ventosam Judæorum gentem, istas prædictiones inter reliquos Orientis populos jactasse, iisque persuasisse, è Judæâ profecturum secuturis temporibus Principem, qui longè lateque gentibus esset imperaturus. Pagani, his acceptis à Judæis, sicut hi acceperant à Prophetis, ignari Prophetarum, suis ea vatibus, Sibyllis præsertim, adscripsere. Erant inspirata Prophetis, & divinâ origine, quæ gentium vates per manus Judæorum tradita prodiderunt. Egregiam verò laudem, si quis hodie prædiceret gloriosum Domini in nubibus adventum, ejusdem in mortuos ac viventes judicium, aliaque quæ necdum evenere, sed eventura creduntur. Ad Judæos ut revertar, nemo nescit, Deum non sic fecisse omni populo, sicut illis fecit. Revelata per eos mysteria de lapsu & redemptione generis humani, de contritione capitis serpentis, aliaque quæ immortalem hominis felicitatem concernunt. Quare & Judæi non comparabili titulo populus Dei vocantur. Per eos cognita quædam de adventu Regis, qui felicia mortalibus tempora esset redditurus, habuere nationes: non per Sibyllarum aut

alio-

aliorum vaticinia, cùm hæc, utcunque de Christo tradita, divinorum solorumque fuerint Prophetarum. Ejusdem originis pretiique est & illud oraculum, quod circà Augusti tempora, paulò antè Christi nativitatem, suspensum habuit populum Romanum. Id ex Julio Maratho profert Suetonius, aitque, prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur, Regem populum Romanum naturam parturire: senatum exterritum censuisse, ne quis eo anno genitus educaretur; eos, qui gravidas uxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse ne Senatus-consultum ad ærarium deferretur. Naturam rerum parturiisse tunc Regem, Christum nempe, Messiam Regem, certissimum est. Romani de Rege suo interpretabantur. Hinc, ne quis eo annò genitus educaretur, Senatus-consultum fecere. Atqui gignendus Rex non sic tolli poterat, ut olim novissimus eorum Rex, cum nomine simul regio damnatus ejuratusque. Sin falsum oraculum credidit Senatus, cur tot infantes innocentesque suo calculo damnavit? Sin aliter putavit, cur iisdem sublatis falsum facere præsumpsit? Ut hinc quoque constet, oracula Prophetarum, per id tempus à Judæis sparsa undique, Romanis innotuisse. Nam venturum regnaturumque Jesum in Isaia palam legebatur. Et quàm vera fuere vaticinia, tam corrupta Judæorum interpretatione prodita paganis, ansam iis dederunt, de Augusto potius, aliisque, quàm de Messia, quem solum loquebantur, accipiendi. Non tam salutis quoddam regnum, & pacis animarum, quàm sæculi somniabant. Undè jure queritur Deus homo, *Esse avibus cœli nidos; non habere autem Dominum ubi caput reclinet.* Et rursum, *Quærite, & invenietis.* Quando hanc vocem Dominus emisit? Nonne in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset: & cum adhuc nec Petrus illum filium Dei pronunciasset; cum etiam Johannes, de illo certus, esse desisset. Meritò ergò tunc dictum est; *Quærite, & invenietis.* Ad Judæos enim pertinet totus sermo sugillationis illius, qui habebant ubi quærerent Christum, ut præclarè differit Tertullianus. Sed de Judæo-

Judæorum incredulitatis interioribus rationibus, & seductis per eos gentilibus, alibi pluribus, forsan & melius aptiusque, differetur. Petis porro quid agat Lugdunum? quid Heinsius, Scriveriusque, tuæ meæque deliciæ? quid severus ille seculi censor sui, ... cum quo tibi æmulatio est. Quin de me addidisses, quid actitat Marcus meus, speraveram; sed tu nihil de amico. Hoc peccasti. & ut spem veniæ ostendam, purga: . . . .

Literas ad Salmasium, Gassendum, & Junium à te destinatas, probè curatas scito. Salve, & per te post reditum Malincrotius, Monasteriensis decanus, vir eruditus, & unus in paucissimis.

Lugd. Bat. 12. *Kal. Aug.* 1647.

CONSTANTINO HUGENIO
BOXHORNIUS, S.

QUæ tot jam sæculorum ingeniorumque conscientiam fugit VERITAS, nostra tandem ope retracta à fuga, à te inprimis excipi ac propius inspici gestit, Hugeni Constantine, virorum nobilissime. Qualis est, nuda, & sine fallaciis ac fuco prodit, tuique pro se rectitudinem ac gravitatem judicii supplex implorat. Si fallax, si meretricula sit, quam tibi sisto, corrige quæso, & mone errantem; sin minus, ad omnium, obscurissimorum etiam hactenus, temporum lucem plurimum haud dubie factura audentem fuere. Vale, illustris Hugeni, &, ut soles, me ama.

Lugduni Batavorum 1647. ipso illo die, quo in ferias nostras omnia Kalendaria consensere.

PIBONI à BOMA
M.Z. BOXHORNIUS, S.D.

QUæ de Scythicis Orginibus nuper commentatus sum, ad te mitto, Vir ampl.; ut amicum, ut harum

rum rerum intelligentem, ut eum denique, qui hoc nostrum, pro gloria vetustissimarum Germaniæ gentium; in quarum ordine vel Frisii vestri sunt primi, inprimis ignorata per tot jam sæcula veritate, facturum institutum plurimum potes juvare. Lingua, mores, instituta antiqua Frisiorum ea esse hactenus deprehendo, quibus sua & Græci & Romani referre debeant accepta. Utinam tuo beneficio plura mihi cognoscere & inspicere liceret! Faxo ego, ne te hujus in me benificii pœniteat. Nihil jacto. Sed de veteribus & Rep. & moribus & legibus, etiam origine, Frisiorum, multa, eaque amplissima, observavi, aliis hactenus omnibus indicta; quæ in vulgus edita (siquidem alia accedant præsidia, quæ in scriniis vestris ac bibliothecis plurima haud dubie adhuc latent edenda) ad gentis vestræ antiquum illum, & supra reliquorũ Belgarum res surgentem splendorem aliquod forte momentum sunt allatura. Cæterum præstare hæc malo, quam promittere. Interim me ama, Amplissime DOMA, ut soles, & patere ut æternum sim,

Amplissimo nomini tuo dicatiss.

M. Z. BOXHORNIUS.

Lugd. Bat. 1647. *sub ipsum caniculæ exortum.*

An non extant quædam sive Lexica, sive Glossaria, in quibus antiqua vocabula Frisica exponuntur? Utinam videre ea liceret!

GEORGIO HORNIO

M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

Harderwicum.

QUi has tibi tradit, Horni clarissime & jam absens desideratissime amicorum, Petrus Alberninus, natione Norwagus, ingenio promptus, & in literis no-

 stris

ſtris non indiligenter verſatus, naſcentem Academiam veſtram, & in ea te imprimis videre geſtit. Quidquid in eum officiorum pro humanitate tua contuleris, ego tibi acceptum feram. Literas porro tuas libenter legi, & frequentiores, ſi per occupationes id tuas liceat, velim. Mattiacos, quorum veteres meminere, Germaniæ populos quod attinet, facilius qui non ſint, quàm qui ſint (obſcura enim res eſt) dixero. Zelandos noſtros qui eſſe volunt, omnino falluntur. In antiquis inſcriptionibus non ſemel memorantur Aquæ Mattiacæ, data à natura Balnea. At nulla talia Zelandis ſunt, nec eſſe patitur loci ſitus. Mattiacum caput gentis Cattorum Tacito dicitur. In horum ergo regione forte Mattiaci quærendi ſunt. Liber Originum Gallicarum, quo Boſcarti, & aliorum de priſcâ Gallorum linguâ ſententia expenditur, ſub prælo eſt. Ante ferias Caniculares, niſi fallor, lucem ille videbit. Non minorem in eo modeſtiæ rationem habeo, quam veritatis. Plura jam vellem, ſed plura ſcripturienti Typographus injicit ſufflamen. Salveat à me ampliſſimus Brinckius veſter. Et tu ſalve, eruditiſſime Horni, &, ut ſoles, me ama.

Lugd. Bat. 1648. ipſis Kal. Maij.

NICOLAO BLANCARDO

M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

TU verò non debueras ſuſpenſa manu offerre mihi, quæ ad Flori, elegantiſſimi auctoris, Breviarium rerum Romanarum illuſtrandum contuliſti. Quid enim aut publicè lætius, aut privatim mihi optatius, quam Clariſſimos Juvenes nomen & famam ex ſtudiis petere? Neque jam dicam, *Audendum eſſe aliquid, dum & venia eſt*, ut Fabius loquitur, *& ſpes, & favor, & audere non dedecet, & ſi quid forte operi deſit, ætas poſſit ſupplere.* Tu enim ætate hac, & cura virum te præſtitiſti, dum aliorum, qui plurimi in hac arena ante te verſati ſunt, quædam rejicis tanquam aliena; alia ſic probas, ac promis, ut hac ipſa judicii tui rectitudine

tudine fiant tua; tua denique pari cum iis passu ambulant, quæ summis ingeniis rectissime jampridem sunt observata. Ex illis ego vel præcipue nunc sentio, quanta & à te in posterum exspectanda, & hæ literæ tibi debituræ sint. Sed de te hæc mihi apud alios potius dicenda sunt, quam te; qui cum modestiæ gloria reliquas virtutes tuas egregiè exornes, laudanda omnia præstare mavis, quam laudari. Quærebas nuper de voce *Celia*, cujus Florus lib. II. cap. XVIII. ubi de bello Numantino, meminit. Accipe igitur nunc quid de ea sentiam. *Hispani*, inquit, *Celiam vocant indigenam ex frumento potionem.* *Celia* ergo Hispanis, quæ nunc vulgò *cervisia* appellatur, humor, ut eam describit Tacitus lib. de Moribus Germanorum, ex hordeo, aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus. Neque aliter exponunt veteres Glossæ Latinæ Germanicæ; *Celia, Tranck von Korn, bier.* De origine nominis quæritur. A *calefaciendo* dictam vult Isidorus, &, ut sæpe alibi, nugatur. Hispani veteres, quorum nobilis pars Numantini, vix aliâ usi linguâ sunt, quam Celtica. Noti sunt in Hispania Celtiberi, & Galli Celtæ. Gallorum autem, & Celtarum linguam non aliam fuisse olim quàm Germanicam certum est, id est, Scythicam. Scythis, & à Scythis, antiquissima haud dubie Asiæ & Europæ, ipsisq; etiam Græcis & Romanis hoc nomine laudatâ gente, ortis populis, *Ocle* significat pinguem quemvis humorem. Hinc ἔλαιον Græcorum & Romanorum *Oleum*, & Germanorum *Olie*. Vox ea hodieque, & eâdem significatione, superest Anglis, sive Anglo-Saxonibus, & Danis, aliisque Septentrionem Europæ habitantibus populis. *Aelia* illis sive *Ael*, (*Alam* dicit Junius Animadversionum lib. II. cap. XII. ubi de Cytho, & cerevisia, quid differant, quibusque nominibus olim appellata sint, disserit) his *Oelia*, vel *Oel* dicitur *Celia*, de quâ hic agitur, Numantinorum, sive humor ex hordeo, & frumento in quandam similitudinem vini corruptus. C. litera, quædam velut aspiratio, pro diversâ harum gentium dialecto iisdem nominibus subinde additur, nonnunquam adimitur. In Græcis Καρδία, Romanis *Cor*, *Cœlum*, *Cornu*, *Cannabus*, sunt quæ Scythis,

 & Ger-

& Germanis; *Hardt*, aut *Hordt*, *Hemel*, *Horn*, *Hanf*, aut *Cænnef*, dicuntur. Exempla alia prope infinita sunt. *Celia* igitur haud dubie eadem cum Anglorum, Danorumque *Oelia*, aut *Aelia*, significantibus indigenam, ut hic Florus eam describit, ex frumento potionem. Βρῦτον vocant veteres Græci, Hellanicus, Hecatæus in Europæ descriptione, Æschylus, alii. Quæ & ipsa vox ortu Scythica, & Germanis hodieque nota est. *Bronte* enim est Cerevisia; *Brouwen*, Cerevisiam coquere. Sed de his plura alibi. Habes interim, & agnoscis veram, nisi fallor, nominis *Celiæ* originem, eruditissime Blancarde. Vale, & hoc porro age; ac me inter illos habe, qui summa omnia raris hac ætate doctrinæ & virtutibus tuis judicant deberi.

Lugd. Bat. 1647. *Mense Octob.*

NICOLAO BLANCARDO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

Steinfurtum.

QUæ Curtio illustrando data nunc à te sunt, NICOLAE BLANCARDE, vir eximie, ea ego isto animo excepi, quo hactenus cætera omnia tua, id est, ingenii tui, judicii, doctrinæ & industriæ egregia ac profutura publico monumenta. Quis enim id Curtio factum non velit, qui, ut meum cum magno Heinsio judicium nunc conjungam, ipsa scriptorum omnium Venus est? Neque sane in antiquitate omni Græca vel Romana alius offertur, qui aut sine affectatione scripserit elegantius, aut in oblatarum rerum accuratissima descriptione propius penitiusq; naturam earum omnem ac speciem exsculpserit. Id vero curæ studiisque tuis, quæ pulcherrima sunt, nunc debet, quod aliis aut nihil posthac debiturus sit, aut certe minus, si quid forte restet aliis, quam tibi; qui quidquid post tot aliorum commentationes supererat prope exhausisti, certe quidquid in eorum curis egregium erat conjunxisti. Desiderio autem tuo eam, quæ sequitur, dissertationem ego debui.

Persi-

Persicæ, quæ apud Curtium leguntur, voces sunt, quas expendo. Inprimis autem vocare sub examen placuit doctissimorum ætatis nostræ hominum sententiam, qui Persicam linguam haud multum à Germanica diversam censuere: in quorum castra ego quoque vi veri victus concedo. Quippe cum Persas ex Scythis ortos esse, veterum etiam testimoniis, abunde constet, neque alios majores Germani nostri agnoscant, aut agnoscere debeant quam Scythas, cognatum quoque, &, si dialectum aut paulo diversam pronunciandi rationem exceperis, eundem harum gentium sermonem esse, necesse est. Id ergo, si placet, in iis, quæ apud Curtium exstant, vetustissimorum Persarum vocabulis nunc experiamur. Res, si quis recte expendat, aperta, nisi fallor, erit. Iis certe, qui in nullius magistri verba jurare addicti, & veritatis studiosi sunt. Neque enim eos ego hic judices volo, qui vulgus sequuntur, & solam pertinaciam, vel ignorantia, vel aliorum errore armatam, temere aut stolide veræ sententiæ opponunt.

Si Rheni ego accola bibissem Orontem, aut plura ex Persis pręsidia se nunc darent, potuissem haud dubie alia in medium adferre. Hæc tamen, quantilla sint, satisfactura nunc tibi confido. *Gaza.* Ita thesaurum regium vocant Persæ. Apud Curtium & alios obvia vox est. Proprie quemvis thesaurum notat, κατ᾽ ἐξοχὴν autem regium. Scythis, ex quibus Persæ orti, & Germanis, notissimum hodieque est id vocabulum. *Schasa* Turcis dicitur thesaurus. Inde in aula Ottomannica *Schasabassa.* Ita vocant Præfectum custodiæ Thesaurorum Imperatoris. Quis non statim hic agnoscat Persicum illud *Gaza?* Et quis pariter non videt frequentissimam Germanis vocem *Schatze* (Belgis dicitur *Schat* aut *Schatte*,) quæ & thesaurum iis notat, plane eandem esse cum Persica illa, *Gaza?* Inde & tributa, opes publicæ, *Scheatte* veteribus Germanis, *Schatte*, *Schatting*, & *Schatzung*, (*t* enim & *s*, pro dialectorum varietate, sæpe permutantur) hodieque dicuntur. Idem est, ac si dixeris cum Persis, *Gaza.* Notant veteres non modo eo vocabulo thesaurum, sed & locum, in quo thesauri asservantur, subinde significari. Significatur quoque Germanis trito

vocabulo *Casse*. *Cassa* dicunt Itali, & passim in Europa mercatores. Facile & in eo agnoscere est Persarum *Gaza*. Imo & Germani pecuniam, & stipendium, quod pecunia exsolvitur, vulgo vocant *Gasie*. Idem est quod *Gaza*. Nota fuit & veteribus Gallis ea vox. Observat Cæsar ei genti milites fuisse stipendiis conductos, qui iccirco diverso ab aliis nomine *Goesati* dicebantur. Torquent in explicanda ejus nominis origine sese eruditi, & diversa in medium adferunt. Ad Phœnices nuper retulit Clarissimus Boschartus in *Phaleg*, seu Commentario de dispersione gentium. quem singulari opere, quod inscripsimus Origines Gallicas, refellimus. Quid enim apertius, quàm illud nomen factum esse à *Gasie*, quod stipendium notat. *Gasierde*, sive cum augmento, *Gegasierde*, stipendio conducti, aut stipendiarii dicuntur. Isti sunt & eodem nomine agnoscuntur Cæsari Gallorum *Goesati*, vel Γησάται, quomodo à Græcis nonnullis scriptoribus apppellantur. Sed de eo, aliisque veterum Gallorum, qui sermone haud multum diverso à Germanico usi sunt, vocabulis alibi plura. Patet interim *Gaza* non tantum Persarum sed & Germanorum sermone pro thesauro vulgo usurpari.

Mithræ nomine Solem appellare Persas, & ut numen venerari, docet Curtius. Monent & alii auctores. In Menæis Græcorum, ubi de S. Domitiano, Episcopo Melitenæo in Armenia, misso ad Cosroem, Persarum Regem, ut Christiana eum gentemque ejus imbueret disciplina, ita ad Persas in concione Domitianus; *Profecto potentiam fecit Deus in brachio suo. Subiguntur enim leones & dracones eliduntur, & Bel atque Mithras captivi abducuntur. Mithras* Sol, quem adorabant pagani Persæ. Proprie autem id vocabulum significat *ignem*, & κατ' ἐξοχὴν tributum est Soli, ex eorum sententia qui Solem non nisi flammam, aut ignem, aut candentem lammam, aut quid simile esse existimabant. Quod & veterum Philosophorum nonnullos docuisse, Plutarchus & Diogenes Laërtius auctores sunt. Et certe Scythis, ex quibus haud dubie Persæ orti, cognatisque populis, *Mithra* dicitur *ignis*. Græcis Μύδρος dicitur ferrum ignitum, globus candens, massa candefacta sive ignita.

ignita. Ita accipitur & exponunt apud Strabonem lib. 3. Hinc ἀμυδρὸς obscurus, sine igne, id est, luce & splendore. Neque ignorant nostrates Germani, qui ejusdem haud dubie sunt prosapiæ. *Miter* illis est & dicitur ignis. Non quidem id vocabulum vulgo hac tam generali significatione hodie frequentatum est, datur tamen vulgo illi fruticum, herbarum & inprimis frumenti morbo, quo veluti flamma exeduntur & amburuntur. *Vredinem*, nempe ab *urendo*, vocant Romani. Ita nos Belgæ, in Brabantia mea certe; *De Miter is in het koren:* hoc est; ignis, uredo, frumentum exedit & depascit. Multa enim vocabula in omnium gentium linguis, quorum latior olim fuit significatio, progressu temporis intra arctiores significandi limites sunt coërcita. Alias Persæ olim hodieque Solem *Cyrum* vocant. Disertim id monet Herodotus, ubi celebris illius nominis *Cyri* reddit significationem. *Cyrus* igitur Persis per excellentiam est & dicitur *sol*; sed primigenia & latiore significatione notat *ignem*, ut & *Mithra*, quod jam diximus.

Et idem vocabulum, eamdemque ejus significationem hodie adhuc Germani nostri agnoscunt. *Skior*, aut *Scior* iis est ignis. Periit quidem in quotidiano nostratium sermone simplex illud *Scior*, quemadmodum & multa simplicium alia; at in compositis superest & mansit. *Schioorsteen* nobis significat focum, id est locum, in quo accenditur, fovetur, asservatur domesticus ignis. Vulgo contractius, *Schoorsteen.* Quis interim non agnoscat hic vetus vocabulum *Scioor*, & simul *ignis* significationem? Alias *een schauwe* vocant. *Schauw* ut & *scioor*, Scythis & ab iis ortis populis, sicut Germanis, nihil aliud notat quam ignem. Hinc *schauwen*, amburere. Hinc vetus Gothicum vocabulum, quod Hispanis, magnam partem Gothorum soboli, hodieque usitatum est, *Causon*, quo febriles æstus & veluti ignes denotantur. Cum quibus simillima, aut potius eadem sunt (sunt enim ejusdem, hoc est Scythicæ, omnia originis) Græcorum Καίειν, unde Καῦσος, *ardor*, *æstus*, Καυτὴρ, Καυτήριον, & alia similia, de quibus alibi dicendum nobis erit. Ut igitur *schauw* ab *igne* nomen habet, ita etiam *Schoorsteen* à *Scioor*, quod eamdem

habet significationem, & plane idem est cum Persico *Scior*, sive *Cyrus*, quomodo *ignem* appellavere & *Solem*, quem sacro igne repræsentandum & colendum sibi putavere. Neque tantum nomina hæc Persis & Germanis eadem, sed & sacra fuere, & Sol ac ignis Germanis quoque ut numina colebantur. Insignis est locus in legibus Canuti, totius Angliæ, Danorum & Septentrionalium (ita se ipse appellat) Regis; *Prohibemus*, inquit, *gravissime omnem gentilitatem. Gentilitas est, quod quis idola veneretur; id est, quod quis veneretur gentiles Deos, &* SOLEM *& Lunam*, IGNEM *aut Aquam &c.* Ignis ergo & Sol Dii Germanis, & præcipue culti, sicut & Persis. Nunc reliqua quę apud Curtium leguntur prisca vocabula Persica, eorumq; cum Germanicis cognationem videamus.

Acinaces, gladius Persicus, quo non punctim, sed cæsim feriebant. *Accine* hodieque Zelandi nostri vocant securim, quod idem cum Persico illo *Acinaces* esse videtur. *Eax* aut *Eaxce* securim vocabant Anglo-Saxones; idque vocabulum exstat in Legibus Juræ, Occidentalium Saxonum Regis, qui regnare cœpit anno Christiano DCLXXXVIII. ubi de iis, qui in sylvis cędunt aut prosternunt arbores, eorumque pœna, agitur.

Gangabæ. Qui ita dicti Persis olim fuerint, dubitare nos Curtius non sinit. Verba ejus sunt fere sub LIB. III. finem; *Gangabas Persæ vocant humeris onera portantes.* De eo vocabulo vix est quod nunc dicam. In Græcorum Romanorumque & Germanorum, qui ex Scythis juxta cum Persis originem trahunt, sermone mihi quidem nullum simile eâ significatione hactenus offertur. Dubitabam aliquando, an non scripsisset Curtius, *Gangaras* aut *Angaras*. Ita Persæ vocant coactos onera portare. *Angariare* quid sit, ex Historia Euangelica, ubi de Simone Cyrenæo, coacto Domini nostri Crucem portare, notum est. Notum quoque est origine Persicam esse eam vocem. Sed plane ab iis dissentio, qui quæ non satis intelligunt vocabula, statim corrupta esse pronunciant. Maneant igitur *Gangabæ* apud Curtium. Forte est id vocabulum ex vetustissimis illis; quæ sensim Persis & cognatis populis, quales & Germani sunt, in usu esse desierunt. Ipsi Persæ vulgo hodie neque usurpant,

surpant, neque satis intelligunt. *Athletis*, sive *Athletarum* linguæ, ea ipsi tribuunt. Ita autem vocant linguam majorum suorum antiquissimam; quod me docuit, super hoc Curtii loco rogatus, Vir Cl. & harum litterarum peritissimus, Jacobus Golius. Ipsis Persis dicitur lingua *Piegul*, hoc est, *Pugilum*. *Piegul* enim Persis est *Pugil*. Ubi & obiter observare licet vocabulorum *Piegul* apud Persas, & *Pugil* apud Romanos, & in totidem pene litteris,& in ejusdem rei significatione, eam cognationem, ut ex illa promptissimum sit cuivis colligere, ejusdem originis & ab iisdem majoribus, hoc est, Scythis, accepta ea esse. Pugilum autem sive Athletarum istorum nomine Persæ intelligunt Gigantes,quales vetustissimos majores suos fuisse volunt,sicut & volunt aut fabulantur multæ aliæ nationes. Hæc cum scripsissem didici, in Hispanorum lingua Persico huic simillimum, & ejusdem significationis vocabulum occurrere. *Ganapam* illi vocant bajulum, onera portantem, qualem Galli *Crocheteur*, Itali *Faqnin* solent appellare. Quod nomen cum neque à Romanis,neque (nisi fallor) Mauris Hispani acceperint, certum est Gothis deberi. Neque Belgæ ignorant. *Canape*, aut contracte *Cnape*, proprie illis significat famulum, aut bajulum. Persæ, inserto *g*, *Gangabas* dixerunt,aut *Cangabas*, ut alii legunt.

Satrapa. Nihil eo vocabulo magis obvium. Quid eo significaverint Persæ, etiam pueris jam notum est. Nullum autem simile dignitatis nomen aut Græcis aut Romanis fuit, neque superest Germanis, quamquam hi omnes populi ejusdem originis sint, quod sæpius jam dictum est, cujus sunt Persæ. Notant veteres, Persis proprie dictos Satrapas, mari & classibus præfectos, quales hodie *Archithalassi*, vel, Arabico vocabulo, *Ammirales* dicuntur. Ergo ab his ad Provinciarum singularumque ditionum præfectos id nomen translatum est. Proprie autem & vi primæ originis notat præfectum mari. Et certe facile est in eo agnoscere nostrum *Zee*, pro quo *Zea* & *Zaa* veteres Saxones, & contractè *Za* Persæ dixerunt. *Trabant* vel *Drabant*, Germanis, Polonis, vicinisque populis significat *ministrum Regium*. Tales fuere primi Persarum *Satrapæ*, rei maritimæ Regum

nomine præfecti. Tandem omnibus omnino præfectis regiis id nomen tributum est. *Satrapa* enim Persis idem significavit quod veteribus Germanis *Gereba*. *Greve* aut *Grave* hodie vocant, & Latine *Comitem* interpretantur. In vetustissimarum Anglo-Saxonicarum legum Latina versione illud *Gereba*, aut *Kuning Gereba*, nunc *Præfecti regii*, nunc *Satrapæ*, nomine, à Persis accepto, sed Romana quasi civitate jam donato, passim redditur. De quo ipso, & plura, alias.

Certa, urbs, oppidum. Non quidem Curtius Persicæ hujus vocis meminit, sed meminere ejus interpretes. *Tigranocerta*, urbs Tigranis, *Vologesocerta*, urbs Vologesis. Germanis quoque veteribus nota est. *Caer* aut *Cer* iis idem significat quod Persis Armeniisque *Certa*, urbem nempe. Et *Cer* ac *Certa* eadem vocabula esse quis non statim agnoscat? Exstat apud doctissimum Jacobum Usserium, Episcopum Armachanum, in Commentariis de Ecclesiarum Britannicarum primordiis, Catalogus civitatum Britanniæ, ex antiquissimo Codice Cottoniano descriptus, ex quo liquet, Anglo-Saxones, ex Germania in Britanniam profectam gentem, *Cair*, aut *Caer* urbem nominasse.

Cair Winwich,	Winceſtria,	*Cair Colum*,	Colceſtria,
Cair Mincip,	Verolamium,	*Cair Ebraus*,	Eboracum,
Cair Lignalid,	Lugubaliia,	*Cair Carotaus*,	Salesburia,
Cair Meiguod,	Meivoda,	*Cair Lundein*,	Lundinum.

Xerxes, princeps, imperator. Commune Persarum Regum illud nomen fuit. Proprie autem significare militiæ supremum ducem aut imperatorem, notant veteres. Et sane idem illud Germanorum sermone significat. *Herſech*, *Hertſoch*, aut *Hartſoch*, splendidissimæ hodieque dignitatis nomen, si primam originem inspiciamus, nihil notat aliud quam *exercitus ducem*. *Her* enim, aut *Heer*, iis dicitur exercitus. Anglo-saxonibus *milites* dicuntur *Herſuſman*. Exstat id vocabulum in vetustissimis legibus Withredi, Anglorum in Britannia anno Christiano 693. Regis, quas beneficio Amplissimi & Eruditissimi Viri, Joannis Latii, inspexi. *Xerxes* Persarum, & Germanorum *Herſoch* non modo idem significant-

cant, sed revera eadem & ejusdẽ originis vocabula sunt. Imo Hungari hodieque Ducem *Hertzeg* vocant. Quod plane idem est, quod *Xerxes*. Pro *Xerxes* videntur & Persæ dixisse *Arsacx*, quod dialecto tantum & diversa pronunciandi ratione distat à *Xerxes*, quomodo extulerunt alii. Inde & *Arsaces*, aut *Arsacidæ*, communi nomine, Persæ Reges omnes appellati sunt. *Arsax* autem Persarum & *Harsach* aut *Harsoch* Germanorum eadem vocabula & ejusdem significationis esse, quemadmodum & *Xerxes*, omnino jam liquet. De quo nos plura alibi. Et ea, quæ de augusto celebratissimoque hoc nomine paucis jam diximus, adeo, meo certe animo, aperta sunt, ut pluribus ea persuadere hic non sit necesse.

Darius, quod Persicum nomen, ἐρξείην, quasi tu dixeris *coërcitorem*, interpretatur Herodotus. Ἔρξις Græcis est *coërcitio*. Inde factum nomen *Dariaus*, id est, *Darii*, quod proinde, ut bene judicat Samuel Bochartus, vir eruditissimus, recte ἐρξείην Herodotus interpretatur. Belgis sane & id notum est vocabulum; *Dariausst*, sive contracte, ut nunc loquuntur, *Darost* aut *Drost*: quod iis præfectum notat.

Bagoæ, nobiles pueri, pedissequi Regum Persarum, qui fere erant spadones. Bagoæ spadonis meminit non semel Curtius. Non est illud nomen proprium, sed appellativum. Plinius certe lib.XIII.cap.IV. docet *Bagoas* Persis vocari *spadones*. quod jam ab aliis observatum est. At non illud, quod nunc dicam. Germanis nempe idem vocabulum, & idem significans, nunc quoque manere. Nobiles pueri, pedissequi Regum Principumque illis *Pagien* dicuntur. Iidem & munere & nomine sunt cum Persarum *Bagois*. Duo illa vocabula *Bagoæ*, & *Pagien*, pronuntiatione tantum sunt diversa, *B* & *P* frequenter inter se commutantur. Πύργος Græcorum, & Germanorum *Burch*, *Poculum* Romanorum & *Bocale* Germanorum, Παῖς Græcorum & Germanorum nomen *Bai*, pro quo *Boi* hodie dicunt Anglo-Saxones in Britannia, *Parere* & *Baren*, & plura ejusmodi alia, eadem esse vocabula; & idem significare, sola pronuntiatione tantũ diversa, nemo non videt. Imo, quod & huc inprimis facit, *Bagh*, veteribus Germanis puerum notat. Olaus

Wormius, Germanicarum litterarum & antiquitatum peritissimus vir, in Literatura Russica videndus est. In antiqua illa Germanica voce *Bagh* Persicam illam veterem *Bagoa*, ut & istam in aulis nostratium Principum hodie receptam, *Pagie*, promptum est cuivis harum rerum & veritatis studioso animadvertere. Pene monere omiseram, Polonis etiamnum puberem, ephebum, & pedissequum Principis *Pachol*, quod à Persicâ, de qua hic agimus, voce non abludit, vulgo appellari. Iidem Poloni & pueros, qui Principi à Cubiculo sunt, vocant *Pokoiogo*. Eam certe vocem eamdem esse cum Persica *Bagoa* non est dubium. In antiquissima etiam Britannorum lingua, (quam à vetustissima Gallica non multum diversam fuisse in Agricola docet Tacitus, quemadmodum Gallicam illam haud multum diversam fuisse constat à Germanica) qua Walliæ incolæ hodieque utuntur, *Bach* significat *parvum*, Bachgen, *parvulum, puerum, juvenem*; quod plane idem esse cum Persico illo *Bagoa*, nemo ambigat.

Bassus, *Bessus*, præfectus. Est quidem proprium illud apud Persas nomen, sed ex appellativo, quod *Præfectum* notat, factum; quemadmodum & *Artabasus*, quod significat principem purpuratorum. *Bassa* proprie Turcis, qui ex Scythis orti, quemadmodum & Persæ, notat *Caput*. Cui simillimum est vetus Saxonicum *Beah*, vel, ut alii scribunt, *Beaz*, quod ornamentum capitis, coronam & galeam & caput interpretatur vir eruditissimus Joannes Latius in Lexico suo Anglo-Saxonico, dignissimo, vel sola Germanicarum antiquitatum illustrandarum caussa, quod in lucem aliquando prodeat. Leonclavius in Onomastico; *Bassa & Bassi Turcis caput. Bassilere, capita, sive duces, ut à κεφαλὴ Græcis sunt dicti κεφαλάδες; nostris à capite, Capitanei* Noti hodieque in aula, & imperio Ottomannidarum, *Bassæ*, id est, Præfecti. Germanis quoque, Belgis certe nostris, non ignotum id nomen est. *Baesen* illis dicuntur præfecti; *Werckbaesen* operis præfecti. Neque dubitandum, quin ex Scythico illo vetustissimo vocabulo factum sit Græcorum Βασιλεύς, id est, Rex. De quo & alibi plura sunt dicenda.

Hæc erant, quæ de Persicis Curtio memoratis vocabulis,

bulis, eorumque cum Germanicis nostris cognatione, nunc mihi disserenda sese offerebant, doctissime Blankarde. De aliis, quæ alibi haud pauciora leguntur, suo loco plura. Si exspectationi forte tuæ sic ego non satisfecerim, saltem desiderii tui habuisse me rationem ex epistola hac intelliges. Tu autem vale, & in eâ, quæ Illustrissimi Benthcimiorum Comitis auctoritate nunc tibi demandata est, publica ac honestissima statione, strenue ac feliciter rem gere.

Lugd. Batav. 1648 *ipsis Kal. Decemb.*

JACOBO BASELIO
BOXHORNIUS S.

Kerckwerviam.

EST mihi sub prælo, mi Baseli, Historia Belgica, vernaculâ linguâ conscripta; in quâ inter alia, etiam exhibeo ea quæ spectant mutatam jam olim in his oris religionem. Quædam jam excusa sunt. Cæterum cum inprimis necesse habeam uti iis libris, quorum usum tibi pridem feci, ut celerrimis itineribus illi ad me redeant, inprimis te rogo. Ubi alias & illis & aliis uti voles, scis Bibliothecam meam tibi patere. Vale, vir præstantissime, & me ama.

Raptim Lugd. Bat. 1649. *Mense Martio.*

CONSTANTINO HUGENIO
BOXHORNIUS S. D. PL.

Hagam.

Nobilissime Hugeni,

PRimordium majoris operis quo Belgarum res circumire destinatum est, ipse tibi in manus tradere constitueram, measque, quæ aut fallor, honestissimæ sunt, destinationes humanitati tuæ, quæ summa est, commendare. Cæterum cum deprehendere præsens non potuerim, quem tamen unice quærebam, literis ad

ad te adeo, humanissimè Virorum. Hujus enim virtutis nomine nunc mihi potissimum conveniendus es. Crastini die supremo hujus Reipubl. ordini exempla operis tradentur. Qua in re votorum & ambitus summa est, ut tot per annos vacuum historiographi fœderatorum Belgarum munus in hunc hominem derivetur; qui ut ingenii sui tenuitatem non ignorat, ita plurimis, quæ huc faciunt, neque vulgata hactenus sunt, quæque frustra alibi quærantur, instructum se agnoscit. Fidem fecerit vel primum operis specimen, majorem longe secutura facient. Hoc restat, nobilissime Virorum, ut non omnino aut me, aut destinationes meas displicere tibi isti intelligant; quorum sententia ac authoritate opus est. Quod ut facias, etiam atque etiam nunc te rogo. Utinam vero quam primum! Parum abest, quin addam hodie! Vale, nobilissime Domine.

Lugd. Bat. 1649. *Aug.* 9.

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS S.D.

VEnit ergo tandem ad te quoque, Nobilissime Virorum, Constantine Hugeni, qualecunque hoc Ingenii nostri, aut potius curæ monumentum. Quod tardius: quod non in tempore, ut oportebat, nulla mea culpa factum est, sed supina nec apud me excusanda illius hominis negligentia, cujus fidei tradendum tibi imprimis exemplum operis, & jam pridem, commisisse me probe recordor. Operis, quod, ut ex Romano judice proxime intelligo, *Se quoque damnatis permixtum agnoscit Achivis*: veruntamen studium haud displiciturum tibi confido. Redit ad te simul exquisitissimæ elegantiæ Poëmation, *Anlifugium* tuum. Ægre ego illud, quanquam non una lectione jam repetitum, à me dimitto, dimitto tamen, sed brevi, ut spero, rediturum, & publicis & immortalibus expressum in chartis, quas omnis posteritas intuebitur, omnis admirabitur. O te felicem! qui in illo secessu tuo

nulla

nulla spe, nullo timore sollicitaris, nullis rumoribus inquietaris; & tecum tantum, ac cum libellis tuis, Musisque loqueris. Parum abest, quin exclamem cum Romano consule: O rectam synceramque vitam! o dulce otium honestumque, ac pene omni negotio pulchrius! o horti, o campi! verum secretumque μουσεῖον! quàm multa invenitis, quam multa dictatis! Tuum est, quam primum cuivis, velut portibus omnibus reseratis, aditum ad has delitias & amœnitates facere. Ego quotidie in Aulifugium tuum tecum ingrediar, & aurea mala, tecum legam, & quod tu possides ut Dominus, meum quoque esse judicabo. Vale, nobilissime Hugeni, &, quomodò soles, me porro ama.

Lugd. Bat. 1652. mense Octob. vergente.

CONSTANTINO HUGENIO
M. Z. BOXHORNIUS S. D.

Hagam.

TArdius quidem ego, nobilissime Hugeni, ad postremas tuas, & eruditæ, ut omnes tuæ, ac exquisitæ humanitatis plenas, nunc respondeo; sed & meâ & meorum valetudine factum est, quod nunc demum & tardius respondeam. Mihi per hos dies cum insigni obstructi lienis, & pene indomabili contumaciâ lucta fuit; qua fit, ut plerumque neque valeam, ut ille loquitur, neque ægrotem, sed in statu querulo sim & moroso. Vim mali in præsens sic utcunque infregisse mihi videor; ipsum exstirpaturum penitus, vix sperare audeo, suadent mihi plerique istorum quorum alias consilio, sententia, & autoritate utor, ut, postpositis quietis illis, & quæ me quasi glebæ domi adscribunt, sed mirifice, ut dicam, quod res est, recreant, studiis, deligam frequentiores per urbem, aut agrum proximum, discursationes: cæterum iidem id hactenus mihi non persuadent. Quid enim? scio ego ætatem meam quotidie vergere; sentio in virili quoddam quasi senium mihi offerri; occursat & animo mea mortalitas, ac proinde, ut vetus sapiens loquitur,

tur, dum suppetit vita, enitendum esse, ut mors quam paucissima vel imperfecta, vel quæ abolere possit, inveniat. Scripturienti quoque ad te filiola velut manum injecit, quæ lenta febricula absumi, & sensim contabescere videtur: Metuo igitur, ne finem cum exordio conjungat adeoque vivere desinat in ipso vitæ apparatu. Diceres sensu quodam tædioque tangi infœlicium insanorumque in quæ incidimus, temporum. O brevem & caducam hanc vitam, & pene, non vitam, & ut sic dixerim, vitam vere mortalem! terra tegit, qui nondum terræ graves fuere; & quiescere, immota fatorum lege, jubentur, quos nondum iter aut via fatigavit; & vix materni uteri carcere aut vinculis liberati ad noctem profundam & subterranea regna damnantur. Cæterum querelarum desino, & animum obfirmo constantibus vel præceptis, vel exemplis. Si enim hæc vita fere sit viventis supplicium, certe exilium, non jam male cum mea illa virguncula agitur; & si mors sit transitus ad vitam illam cælestissimam, & solam vitalem, festinari ejus discessum, male doleo. Sed paterni animi pietas vix finit in præsens ut fatear male me dolere. Mihi quippe carendum erit & spe, quam & non parvam conceperam & longam inchoaveram; & tot osculis, tot amplexibus dulcissimoque spectaculo loqui aut ire conantis infantiæ hæsitationum; imprimis vero innocentiæ, quam in toto adultorum populo non invenias. Carendum mihi erit parvula quidem, sed tamen vitæ & veræ sapientiæ magistra; ad cujus simplicitatem ac instar nisi me componam, carendum & mihi intelligo regno delitiisque, ac divitiis cœlorum. Ista ac tanta sunt, quorum facturum me jacturam jam provideo & doleo, Nobilissime Hugeni Humanitatem autem tuam posco, ut sic nunc apud te dolenti ignoscas. Doleo quoque & angor tua causa, ex quo hebetiorem tibi aurium sensum factum intelligo. Cæterum afflicto sic nunc tibi, Constantine Hugeni, fortissima solatia petenda ex iis sunt, quæ quotidie audiuntur, & malis non audire. Audio passim per Europam incubuisse terris malignam febrium cohortem; passim è medio tolli viros & amicos eximios, decora

ſæculi & ornamenta: malum non audire. Audio raptu & latrociniis infeſta ubique noſtris maria & in hac repub. multos ad clavum ſedere, nec tamen in pyratas & Regicidas, haud aliter quam ſi toto adhuc orbe diviſi eſſent, navigari: malim non audire. Audio ingratam Rempubl. in poſteros eorum majorum, qui ſumma conſtantia ac fide hanc nobis libertatem, hoc nobis imperium peperere; malim non audire. Audio in contraria ſciſſam ſtudia turbatamque principalis aulæ veſtræ pacem; malim non audire. Audio (nam de repub. plura mihi jam non dicenda eſſe intelligo) & invitus quotidie audio & in templis, & in auditoriis Academiarum homines ineptiſſimos, & diſſerentes ineptiſſime, qui tamen divinarum humanarumque rerum periti, & doctores ſapientiæ ac magiſtri audiri volunt: malim non audire. Plerique ut dicunt, quæ volunt, ita & quæ non volunt, audiunt: malim non audire. Multa multis diſſeruntur, quæ breviter poſſis ac paucis audire: malim non audire. Multa quoque præſertim ex longinquo, in majus audiuntur; malim non audire. Toties de re eadem audimus: malim non audire. Multi bene audire volunt, ut alii malè audiant: malim non audire. Ineptiarum multi fabellarumque auditione ducuntur; malim non audire. Auditus ſemper patet: ejus enim ſenſu etiam dormientes afficimur: à quo cum ſonus eſt acceptus, etiam è ſomno excitamur: malim ſubinde non audire. Hagæ & fere aularum ubique, magna brevi auditu magnates tranſeunt; malim non audire. Ibidem & plurimi obſeratis plerorunque auribus preces fundunt, & rogant non audituros: malim non audire. Rimoſa multis auris eſt, & quæ nihil ſecretorum tenet: malim non audire. Multis quotidie ſollicitæ & plenæ ſonoribus; multis ſtolidæ & ſine judicio aures ſunt: malim non audire. Quam iniquis, quam aſperis ſermonibus nonnunquam, ut cum illo loquar, aures noſtræ verberantur? malim non audire. Quam multa auribus ſurdis canuntur? malim non audire. Quam multi etiam, poſtquam jam aures dedere loquentibus, verba dant? malim non audire. Multi nobis blandiuntur, multa quotididie auribus

ribus nostris dantur: malim non audire. Pauci auribus nostris parcunt: malim non audire. Pulsat aures continuo, hac tam tristi tempestate, tot egentium ejulatus: malim non audire. Vix jam, ac ne vix quidem, à temporum iniquissimorum asperitate aures possunt respirare: malim non audire. Multi ad te, & ad me quoque multi, quotidie accedunt, visu quidem, sed non perinde auditu venerabiles; malim non audire? Sed & ego me hæc legenti nunc tibi gravem esse intelligo. Quid enim revera aliud est legere, quàm audire. De Originibus nostris & sepultis hactenus Scythicis Antiquitatibus (nam & de iis quærere dignatus es) hoc est, ut ego accipio, Asiæ totius & Europæ, superbius forte & jactantius respondeo. Multa excussi diligenter, conquisivi multa, multa meditatus sum, multa etiam, ignorata, feliciter, nisi fallor, tandem deprehendi; quæ aliquando publicis judiciis sistere ac exponere, tuo imprimis, quod scio esse & gravissimum pariter & æquissimum, audebo. Sub prælo jam est opusculum Originum Gallicarum. Vale & salve, illustris Hugeni, & me, ut soles, amare perge.

Lugd. Bat. 1652. Novemb. 22.

PAULO TERHAARIO, AMSTELODAMÆO,

M. Z. BOXHORNIUS, S. P. D.

Vir Doctissime,

HEri literas Ultrajecto ab illustri nostro 20. accepi, quibus iterum, iterumque obnixè petit, ut Carmen aliquod tuum in limine libelli sui legi possit. Vertit eum ex Italico in Latinum. Argumentum autem ejus in bono Principe, ejusque arcanis describendis versatur. Si id possimus impetrare, magni beneficii loco habebimus. Nam & illum, & me vehementer obstringes. Illum qui maximus venæ & eruditionis tuæ æstimator; me verò, qui ut plura tibi debeam, adhuc plura

tamen velim debere. In diem Veneris igitur (longiorem enim moram res non patitur, carmen tuum, si ita tibi visum, seriò exspectabimus. Adfui ipse ne mireris τοῦ πάνυ Claudio nostro Salmasio qui mihi inspiciendā statim obtulit Satyram tuam; tum & Minutii Felicis, nuper editi ab Uzelio, exemplar tuum, in quo furta ejus omnia & singulis paginis & lineis diligenter atque fideliter annotaveras. Hodie autem ad me famulum misit cum antiquis Græcis scholiis in Æschylum ex editione Fr. Robortelli, quam te efflagitasse summopere ait. Heinsius modò in urbem est reversus, & diem Jovis habendæ prælectioni suæ promisit. Vale vir & amice incomparabilis atque, ut soles, me ama.

Raptissimè Lugd. Batav. 19. Dec. 1652.

PAULO TERHARIO,

M. Z. BOXHORNIUS S. P. D.

Amstelodamum.

VErsus tuos, plenos genii tui, id est venustissimos accepi, Vir clarissime. quàm facetus autem es, cùm aut Scriverii, aut Heinsii, aut meam etiam, si Diis placet, limam in iis existimas desiderari. Profectò satis tibi in te præsidii est; nec opus ut te extra quæras. Ego jam ad vos excurrissem, nisi infirma valetudo obstitisset. Stomachum adversum, & quasi sorite phlegmatum omnino occupatum sum expertus. Itaque medicus consulendus fuit. Ego in me aliquot dierum continentiam, ille & haustus, ita me Deus amet, ingratissimi saporis, & pillulas vel Rufi, vel Bontii ante cœnam, vel quas sine quibus vocant in ventriculo meo non passus est desiderari. Itaque expurgatum eum nunc habeo, adeò ut ædilem non metuam. Die extremo anni proximè præterlapsi cerevisiam Wesopiensem in hortis sagittariorum bibere cœpi & horâ extremâ ejusdem diei duodecimâ, inquam vespertinâ liberalius, quam ante, cibum sumpsi; Et sic Medico res suas sibi habere jussi. Vale mi Terhaari, vir Eruditissime,

&,

&, ut ego, convalesce. Heidanus enim languere te ait & ex tuis ad incomparabilem Salmasium hesternis idem non libenter intelligo. Iterum ergo vale, & diligenter te cura Domi meæ raptissime. Salutat te uxor mea. *Lugd. Batav.* 1652.

Plurimas alias ejusdem Authoris penes se epistolas etiam noster habet Tersaacius quas quia indignationũ & querimoniarum plenas videt, non in id putat scriptas esse olim, ut modò jam typis publicentur. Fortè ubi ille Scriveriana opuscula nonnulla cœperit edere, easdem in publicum protrudet. Hoc volui nescius ne esses, Lector, Vale.

PAULO TERHAARIO
M. Z. BOXHORNIUS S.P.D.

Amstelodamum.

Terhare, Phœbus ipse quem genuit sibi,
Sibique finxit; quem educavit in sinu
Alumna Pallas, lacte quem pavit suo
Terhare noster; cujus in præcordiis
In ore cujus candor ac humanitas
Fidesque, morum & blanda quæ severitas
Fixere sedem externa natali solo
Præferre cur stat regna? totque amantibus
Tenentibusque triste cur dicis Vale,
Flectique quæstu te tuorum non finis?
Votis amicum inobsequentem prosequi,
Fas esse censes? Hoc tamen votum accipe,
Boxhorniana quod fides debet tibi,
Datâque hîc, candidâque quod signat manu
Peregrina non sit terra, quam petis, tibi,
Peregrina quamvis. Esse nec potest tibi.
Humanitati, qualis eminet tua
Domi forisque quæ comes semper tibi est,
Ubique grata, ubique culta gentium,
Dolopesque & inter, inter & truces Scythas
Aliasque quamvis hospiti gentes feras
Peregrina tellus nulla, nulla visitur.

Lugd. Batav. 1653. Mense Martio.

EIDEM.

In Bonæ Mentis palæstra diligenter feliciterque se exercenti.

Mens occupata semper ac exercita,
Et occupata rebus in pulcherrimis,
Augetque alitque se, sibique est pabulum;
At otiosa ignava deses disperit
Nec amovendam contrahit rubiginem:
Crescens Amaracus liquore ut si suo
Suoque sole non alatur, interit.

Lugd.-Batav. 1647.

Complures Ejusdem Authoris Epistolas Familiarissimas penes se servat etiam Terhaarius, quas quia non putat in id scriptas esse ut publicentur, voluit modò prudens ut ait perituræ parcere chartæ. mox eas daturus in lucem, si Scriveriana opuscula nonnulla ejus studio in vulgus prodierint. Siquidem omnes pleræque expostulationum & gravissimarum in doctos seculi viros querimoniarum plenæ sunt. Operi alicui Scriveriano in fine mox addentur. Si illi tum ita visum fortè, Vale.

TYPO-

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

Amice Lector,

CLarissimi Viri M. Z. Boxhornii Epistolæ, & Poëmata, quæ reperiri hactenus potuere, typis descripta, ne cum tineis, & blattis diutius rixentur, hic tibi, & publico dantur bono; opus posthumum, quod omnibus literarum humaniorum amatoribus inprimis, ut spero, placebit. Ex minimo enim in his labore, & volante calamo, maximum ejus, & promptissimum commendatur ingenium. De quo jam nihil inpræsentiarum amplius addam, ne, veteri proverbio, in Ægyptum frumentum, in Ciliciam crocum advectare, & in sylvam denique ligna ferre videar quum ipse Auctor satis, & abundè suis scriptis illustretur. Si qui autem sint, hujus viri nominis, ac famæ æqui æstimatores, penes quos aliqua adhuc, hujus generis inedita servantur, quæ hoc juvare possint institutum unicè rogantur, ut eorum me participem facere dignentur; quo beneficio meam, & aliorum exspectationem sibi in perpetuum devincient, obligabunt. Interim, benevole Lector, his fruere, fave, & vale.

I N-

INDEX EPISTOLARUM.

Joh.

Pag. 10. *Tibi ut* lege, *Cui ut* pag. 29. *lasum* lege *suum* p. 30. *coiimus*, l. *colimus*, p. 31. *durant:* l. *durante* p.35. *diligentitæ* l. *diligentiâ* p. 38. *qui acceperis* l. *quin acceperis.* Ibid. *Qui ut* dele *ut* p.39. *argumentis* l. *argumenti* p. 61. *scribes*, l. *scribis*, p. 70. *lintuem*, l. *linteum*, p. 75. *subjecta* l. *& subjecta* p. 84. *commendavit.* l. *commendabit.* p. 85. *Et suo* l. *Et sua* p. 86. *Mœnia*, l. *Munia*, p.87. *ex quorum judicio* l. *ex quorum indicio* p. 89. *unus; atque omnis* l. *unus; unus atque omnis* p. 90. *Berovicius* l. *Beverovicius* p. 91. *ignavissimis.* l *ignarissimis.* p. 95. *dealbarem.* l. *dealbarent*, p.96. *Ultrajecti* l. *Ultrajectum* ibid. *possem*, l. *possent*, p. 101. *ad movendum*, l. *admovendum*, ibid. *aversaturum* l. *obversaturum* p. 104 *donum*, l *domum*, p. 107. *amasios.* l. *amari.* ibid. *promta*, l. *promota*, ibid. *Novemb.* 12. l. *Septemb.* 12. p. 109. *agnoscas.* l. *ignoscas.* p. 110. *debeo.* l. *debebo.* p. 113. *aëre* l. *ære* ibid. 1640. l. 1639. ibid. *immormotam* l. *immotam* p. 125. *exemplum* l. *exemptum* p. 127. *ignoros*, l. *ignaros*, p. 128. *sed etiam . . . .* l. *sed etiam sui . . . .* p. 133. *Quidquid, ut tu* l. *Quid quod, ut tu* p. 139. *qui ni* l. *quid ni* p. 148. *Wijle*, l. *Myle*, p. 150. *nrtali* l. *natali* p. 151. *mens* l. *nunc* p. 154. *Et me* l. *Et ne* p. 155. *Scriptores* l. *Scriptoris* p. 156. *antiere* l. *anteire* p. 162. 1642. l. 1643. p. 166. *judicare* l. *indicare* p. 172. *erigas* l. *exigas* p. 173. *Zelandicâ* l. *Zelandiâ* p. 177. *excurrentes*, l. *excurrente*; p. 178. *caverem* l. *carere* ibid. *actionem* l. *actionē* p. 179. *Lugduni* l. *Lugdunum* ibid. *ut ex* l. *vel ex* p. 185. . . . . . *homines; . . . . . quem* l. . . . . *homines, ... quem* p. 186. *Non ait eum* l. *non ait enim* p. 202. *aut vera, ut falsa* l. *aut vera, aut falsa* p. 204. *Nos, mi Tiberi*, &c. totam hanc Augusti epistolam de verbo ad verbum, & de syllabâ ad syllabam ita lege:

Nos, mi Tiberi, quinquatriis satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus. frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: Sed ex magnis detrimentis præter spem paullatim retractus est. Ego perdidi vi millia nummûm, meo nomine; sed (ginti

cim

cum effuse in lusu liberalis fuissem, ut so plerunque. Nam si quas manus remisi (leo cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donavi, vicissim vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cælestem gloriam efferet.

P. 208. *virsies*; l. *vir sies*; ibid. *officio*, l. *officia*, p. 209. *Ad alios scriptas* l. *Ad alios scripta* ibid. *inveniet*. l. *invenient*. ibid. *mens* l. *meas* p. 216. *audentem fuere*. l. *audentem tuere*. ibid. *BOMA* l. *DOMA* p. 232. *provideo* l. *prævideo* p. 233. *malum non audire*. l. *malim non audire*. p. 236. *Tersaacius* l. *Terhaarius*.

MARCI ZUERII BOXHORNII

POEMATA,

Miſcellaneorum liber,

Quorum ſeriem pagina proxima indicabit.

INDEX
POEMATUM.

IN NUPTIAS ANTONII MATTHÆI, & ANNÆ ISACIÆ PONTANÆ,

Cognatæ suæ.

FLuctuat ambiguis mea mens obnoxia curis,
Vix bene certa sui, dubiisque exercita votis,
Una licet, non una manet. Illa inter & illa
Lætatur, ploratque simul. Vix funeris illic,
Hic Veneris luxere faces. His crescere gentem,
His decresse datum. Vix dum feralis amicos
Mors rapuit cineres, alios mox Juno nepotes
Imposuit cunis. Lessos lachrymasque frequentes
Illis; his risum affudi. Vix Leyda sorori
Præbuerat tumulum Zueri mea patria fulcrum
Berga parat geniale toro. Vix pignore mater
Orba Seroofkercko potuit placuisse marito.
Bosschardum Puteana capit; Sic funera & inter
Has lachrymas geminat Superûm clementia tædas.
Jam Gelros hæc flamma tenet, Vicumque pererrat
Pastoris qui nomen habet. Urbs tota resultat,
Doctaque laurigeris implentur mœnia tedis.
Omnia letiferis quamvis infesta figuris,
Læta monent. Urbi nuper ferale minati
Excidium Croates. Pastorum mœnia flammis
Tradiderat votis Cuculus. Dii tale peractum
Non voluere nefas: aliisque incendia flammis
Pensarunt Superi. Produxit cœlitus igneis
Et Venus, & Veneris natus. Queis protinus ardet
Jam non una domus. Matthæum (agnovimus omnes)
Præ reliquis hæc flamma tenet. Vix creverat ardor
Et penitis æstus percusserat ossa medullis.
Isaciam totus quærit. Vix multa moratus
Isaciæ placuisse potest. Urbs tota choreis
Incumbit, famamque movet, delapsaque cœlo
Stat laurus complexa torum. Huc Cynthia Juno

Huc ardens (dubium quonam monstrante Sycambros
Repperit) Cytherea venit: suspectaque sola
Ne foret, hinc Phœben comites, hinc Pallada junxit.
Protinus effusam læto se prodere risu,
Atque Annam amplecti, nomenque iterare mariti.
Et laudare faces, scitosque Cupidinis arcus.
Incubuit cœlum terris. Canit Augur Apollo,
Doctaque ad Isacias festinant numina tedas.
Cœlestes animos, tot dura vocabula Celtas,
Tot Dana de gente satos, tot clara Sycambros
Nomina & heroas prisco de stamine gentes
Fas fuerit plausisse tibi. Quæ nata parente
Francia cui cunas debet, cui Dania fastos,
Cui vivax lucem scriptor. quo dante Sycambris
Tot veteres rediere artes, felicibus atque
Ingeniis aperitur iter despectaque Musæ
Colla levant. Rutili duplex ubi semita Phœbi,
Pontani stat forma mei, quæ debita cælo
Clausa velut Gyaræ scopulis, parvaque Seripho,
Arcta nimis nostri queritur confinia mundi.
Augustum, at parvo gestandum tempore, nomen,
Deferimus Matthæe tibi, Sponsumque vocamus.
Implesti totam Sponsi clamoribus urbem.
Te sequimur Sponsum, sponsum comitamur, & unum
Te loquimur Sponsum. Rhenani hæc pocula Bacchi
Indixit tua, Sponse, salus: tibi tota bibuntur.
Anna vocat Sponsum. Sponsum te sæpe loquamur
Dum Sponsum vocitare licet. Cras, Sponse, fuisti,
Non sponso licet esse diu. Venerabile nomen,
Sæpe requisitum votis, & sæpe negatum,
Eripiet nox una tibi, nomenque mariti
Inducet, venit Anna tibi, matremque relinquit
Delitiis obstricta tuis, quâ sospite semper
Florebit tranquilla domus. Sepone libellos;
Anna Themis sit sola tibi; procul horrida Baldi
Scripta, procul lites, & ficta vocabula Titi;
Juraque tam gratæ cedant spinosa puellæ.
Anna veni, patrias inter laudata sorores,
Et cultu complexa Deam; venerabile nomen
Anna viro. Iam nunc totam te trade marito,

Tota cui doctæ complerunt pectora Divæ.
Eduxit quem justa Themis; quid lenta moraris?
Ante oculos Matthæus erit. Tu prima voluptas,
Tu postrema viro. Sermonum gratia tecum,
Tecum somnus erit, castique per omnia ludi
Se totum dabit ille tibi. Quo præstite nunquam,
Vix fuerit par Juno tibi. Fas credere flammas
Invidiæ stimulare Deas. Modò magna videret
Matthiadem Juno, damnaret nupta maritum.
Absolvam voto, Vatum si fervida quidquam
Vota valent, primo prolem suavissima partu
Non unam Lucina dabit: dabit Anna puellam
Læta sibi, & pariter puerum dabit Anna marito.

In Historicam Danicam JOH. ISACII PONTANI Cognati sui.

NIl fixum aut constans, rerum si cernimus orbes,*
Orbis habet. peritura ruunt, quæ semper eodem
Stare negat fortuna loco. Subvectus in altum,
Mox cadit infelix: & quæ gens visa superbum
Ferre caput cœlo, fatis urgentibus iras,
Labitur æternis annorum oppressa ruinis.
Fata regunt positis & regna, & tempora metis.
Solum ferre potest ætatem, & sæcula diæ
Mentis opus. quod nec longæva abolere vetustas
Nec fortuna valet. Viget, æternumque vigebit
Quidquid mens bibulis signavit fœta papyris.
Quid refert igitur, quod sint adfixa tropæa
Porticibus? Quantas victor subverterit arces,
Quas acies? Si mentis opus; si defuit una
Historia. Hæc rerum custos, penus annua quæque
Ætatum monumenta tenet, quæ præmia pendit
Magnaminis Regina viris, quæ præpete penna
Heroa æternis inscribit nomina fastis.
Et talis, Pontane, tua est: quæ ab origine pandit
Danorum Reges, regnataque sæcula Danis.

Horum res gestas, obscurâ è nocte revulsas
Exponis cœlo, radiisque nitentibus auges.
Dana manus dubio quidquid discrimine gessit,
Et veteres actus, decertatosque labores
Prosequeris, Charitumque omnes effundis habenas.
Quæ bella intulerint Batavis, quæ nomina terris;
Nomina, quæ seri servant æterna Nepotes.
Res ipsa est, quodcunque legis. Non cernere quisquam
Aut levia insulsis figmenta tumentia nugis,
Aut quæ immensa cavi spirant mendacia folles.
Quis color, & tantis majestas debita rebus?
Copia quam torrens, quanta est facundia linguæ?
Quæ gravitas? Quis non priscum miretur acumen,
Et genii sublime decus? Sed singula demens
Quid sequor, & laudum committo vela profundo?
Pontani stat fama mei. quæ debita cœlo,
Dispargit cum sole jubar, radiosque per orbem.
Fama æquæva polo, par Phœbo adsurgit, & arcta
Terrarum in tantas queritur confinia laudes.

HONORI
ADRIANI & WILHELMI MERANORUM, geminorum fratrum,
CUM
J. V. Doctores crearentur.

I.

ABRAHAMO vander MEER, Senatori.

Cum binas referant bina hæc tibi pignora lauros,
Fas binis tantum te coluisse modis.

II.

IPSI ACADEMIÆ.

Stirps Divûm, fœcunda Parens, Heliconia Leythis,
Non nisi quæ magnos gignere sueta Deos.

Curia

Curia cui patres, sacrorum Ecclesia vates,
Cui Medicos debet terra Batava suos.
Hos gemini juris Mystas veneranda gemellos,
Curia jam gaudet te peperisse sibi.
Portentum sacli spectamus; Credite, cives,
Semine Meranus natus uterque suo.
Semine quo prægnans mater, sed semine mentis,
Meranos nequiit non peperisse suos.

CAROLO DEYNOTIO,

CUM

In J. U. D. ordinem adsciſceretur.

AUgusta mater maximum mundi decus,
Stuporque Leida, Leida formatrix tua
Sollers juventæ, Palladis genus, novem
Genus Dearum, quamque Vix parem sibi,
Æternitatis atque cœli mancipem,
Adorat orbis; fas mihi tandem, Orainis
Qui pars togati parva, præter Ordinem
Placuisse votis: picta solenni loco
Aulæa dum sunt fixa, dum tantus favor,
Dum tot togatos, pileatos cernimus,
Festosque soles. Munus hoc cœlo datur.
Vix ante nobis lucidus currit dies,
Quin pompa in ipsa pompa jam surgat nova,
Dum quisque nomen debitum sibi capit,
Pretium laborum. Jam videt plures sua
Triccæus artis, sed tamen plures Themis
Æqui patronos. Unus haud laudi satis.
Astræa magnos extulit cælo gradus,
Batavamque pridem, plena splendoris sui,
Intravit aulam: Diva regnatrix Deûm,
Hominumque custos, numinis magni potens,
Propago cœli, quæ impium quondam genus
Exosa terras fugit, & fugit nefas:
Cum bella, cædes, atque contemptus Deûm,

Animi nocentes, atque damnatus pudor,
Suasque quivis in malum offerret manus.
Sive astra tu nunc Virgo, seu terras colis,
Lætare Diva. Leida jam favet tibi,
Fœcunditatis ipsa non capax suæ.
Non fana spectas, non nitentes floribus
Aras sacramus, quæque quondam detulit
Vesanus error, sed tuorum præsides
Damus sacrorum, cognitores litium,
Juris ministros, atque consultos boni.
Inscripta tot jam non reponam nomina
Albo tuorum. Me tuus, meus vocat.
Deynootianus flagrat in numen tuum
Excelsus ardor; flagrat ille maximi
Capax honoris. Macte, dilectum caput,
Dum fervet ætas, dum tibi firmum genu,
Calidusque sanguis; macte, jam plebis satur
Incumbe fatis, atque splendorem tuum
Sectare totus. Jam tuis venit dies
Votis petitus, nominis stator tui.
In altiorem victor adscendis locum,
Vulgoque major inferis cœlo caput.
Stas invidendus omnibus, dum quilibet
Defixus ora de tuo exemplum capit.
Decus peractum est. Omnibus dictum sit,
Tibique factum crede. nec tamen tibi.
Hic quæ patrabis porro prolusit dies.
Generosus ille quo resurgit altius
Magis ardet ignis. Quidquid acceptum est adhuc
Nihil vocetur. Nil satis magni putant.
Quid das pudori, dum illud haud credis tibi,
Quod quisque credit? Nomen hoc quod omnium
Dedere Patrum vota, tu vixdum tibi
Audes fateri. Sed tamen quantò tibi
Minor videris, crescis in tantum magis.
Jam vota dicam sæculo, & simul tibi.
Cupido litis cesset, & clamor fori.
Nemo citetur legibus tuis reus,
Pœnæ minacis implicatus Juliæ
Sponte fatebor, ad Monetam non facit;

Sed tam proterve litiganti sæculo
Vellem libenter esse consultum bene:
Si pergat autem prodigum sui genus
Fovere lites, sis potens facundiæ
Dictator æqui, victor, indomabilis,
Expers amoris, liber, & plane tuus.
Sic omne punctum, sic decus totum feres.

RODOLPHO NYPOORTIO,

Cum

In J. V. Doctorum ordinem adoptaretur.

GAudete cives. Jam brevi cadet scelus,
Nostrumque quidquid seculum vexat nefas:
Dum tot patronos juris, atque vindices
Æqui videmus. Leida non deest sibi.
Astræa surge, cum sacris natum tuis,
Et æquitatis mancipatum cultui,
Nypoortianum nomen adsurgat tibi.
Nam quod merenti reddis, hoc capis decus,
Tantumque debes, debet hic quantum tibi.

In Editionem Poëmatum

JANI SECUNDI,

Ex secundis curis

PETRI SCRIVERII.

SCriverium, cujus dat cura secunda Secundum,
Ingenio primum quis neget esse virum?

AD MOGUNTIAM
De arte typographicâ Harlemi Primùm inventâ.

Vana quid Harlemiis indicis prælia prælis?
Ista parant jugulo vimque necemque tuo.
Siste precor. Batavûm felicia præla typosque,
Ni taceas, acreis experiere magis.

IN
JOH. ISACII PONTANI
Historiam Gelricam.

Geldria jam propriæ repetit cunabula terræ
Hactenus in tenebris vix sibi nota suis.
Unius haud vindex Pontani est dextera gentis,
Unius haud vindex temporis illa manus.
Prisca suis fulgent Heroum facta triumphis,
Et laudem antiquæ nobilitatis habent.
Quæ nova ne veteris rodantur dentibus ævi
Tempore jam quovis sunt meritura fidem.
Creditur exstinctos reddi vitalibus auris
Non posse, aut Stygios deseruisse lacus;
Creditur elapsi non reddi temporis usum;
Quæque semel fulsit non reditura dies.
Et tamen Isacii qua mota est dextera reddit
Tempora cum dominis quæ periêre suis.

In Aureas Annotationes,

à

FRANCISCO ab HEERMAN

ſcriptas.

PUſilla quantum charta molis continet,
Summque parvus vertit in ſuccum liber!
Suadæ medullam, nectar & nectar merum,
Orac'la vatum, grande prudentum decus,
Effata dudum fata, ſordidis diu
Effœta chartis, atque virtutum prior
Exempla quotquot, poſteris ætas dedit
Scriptoris autem quanta liberalitas!
Quam grande munus! quod ſibi natum domi
Confert in omnes: & tamen vita tenet
Quam docta cunctos penna virtutem docet.

LAUS FEBRIS

Cum

JOANNES REGIUS

Poſt habitam de Febribus Diſputationem, Medicorum ordini inſereretur.

AD FEBREM.

DIva quid inſani linguis obnoxia vulgi
Crederis in noſtrum pernicioſa genus?
Sed male conſultæ mihi mens contraria turbæ;
Si qua fides, magnum tu quoque numen habes.
Pars mundi tibi nulla vacat: te verna Quirini
Ipſe ſuas inter gaudet habere Deas.
Undique regales ponunt tibi fercula menſæ;
Plena tibi Bacchi pocula fundit amor;

Et prius ignoti libatur fiſtula peti,
Et gens in fumos ingenioſa ſumus.
Tollere ſeu placeat, ſeu nobis parcere viſum eſt,
Omne procul cedit quod fuit ante malum:
Qui ſupereſt, validi miratur corporis uſum;
Nec queritur quem jam flebilis urna tegit.
Te quoque Pergameæ celebrat facundia chartæ,
Et Coi ſi quid credimus eſſe ſenis.
Tu quoque, Romanum quondam dum temperat orbem
Claudius * *& magni ſceptra Quiritis habet,*
Regnabas pariter; pariterque Britannia vidit
Te ſibi victrices impoſuiſſe manus.
REGIUS *heic etiam, quem mens agit æmula cœlo,*
In pretium tituli te videt ire ſui.
Cur igitur vanæ jactent convitia voces,
Inque tuum diras garrula turba caput?
Accipe, ſed votum quod non irrideat æther,
Accipe quod pro te jam mihi dictat amor:
Omnibus ut placeas (magnum eſt quod, Diva, rogamus)
Ipſe velim ſemper diſplicuiſſe tibi.

* Claudius Cæſar, cum quo annos 50. Febris habitavit, teſte Seneca in Apocolocyn.

Ad ſacellum Oſtrohienſe in Tranſilvania.

FEBRI. DIVÆ. FEBRI
SANCTÆ. FEBRI. MAGNÆ
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE. AFFECTO. P.

Pag. XCVII. *Inſcript. Gruteri.*

IN
Virgilii Malvezzi Principem
à
JOHANNE KRUUS,
Latinitate donatum.

TUlere fata Principem nuper tuum,
Generose Krusi. Fata Gustavum tuum
Tulere nuper Regis exemplar boni,
Septentrionis sydus, & Martis torum,
Metum universi, destinam Germaniæ
Jamjam ruentis. Tantus ah! Princeps fuit,
Nec ille tantus heic iterum videbitur.
Succurris orbi, & explicas vires tuas,
Vires venustas, ingenî vires tui,
Stylo Quirini dum reponis Principem
Perfectum ab omni parte, Gustavo parem,
Multum profecto Sueciam obstringis tibi:
Qualem illa Regem viderat, talem legit.

In Ejuſdem Tyrannum ab eodem Latinitate donatum.

KRusi, voluptas gentis & decus tuæ
Nostrique amores; diva cui Pallas dedit
Haud segne pectus, pectus imbutum bono,
Ardoris ingens, laude quod dignissimis
Illustre curis. Vendicant quales sibi
Nunc Romulus, nunc Tarquinî infandum scelus,
Sic innocenti Principi jungis malum.
Bonus placebat nuper, & placet malus.
Placet Tyrannus, asper, indomabilis,
Invisus orbi, publicæ pestis rei
Ut mors suorum, pœna sic tandem sibi.
Placet legenti, qui ferenti displicet.

AD

PIBONEM DOMA,

CUM

J. U. D. renunciaretur.

QUalis profundi nauta sulcator maris,
Jactatus alto, fluctuum ludibrium,
Trochusque venti, destitutus omnibus,
Aquilonis inter raptus & tractus minas,
Splendente cœlo cuncta promittit sibi,
Minimeque siccæ mortis expellit metum,
Quassamque tuto portui donat ratem:
Batava talis exserit Pallas caput,
Funesta pridem, Ditis infandæ domus,
Et plena lethi. Carnifex cessit lues,
Nec mortuales polluunt Phœbum dies.
Renata tanquam spiritum donat sibi,
Donatque quidquid mentis erectæ petit
Generosus ardor. Provoco cœli fidem,
Fascesque VorstI, totque vana rideo
Vota invidentum. Pectus appello tuum
Præclare Doma, sæculi natum bono,
Quod jam salutat Palladis nostræ Themis,
Quod astra tentat, cujus invasit fibras
Vis invidenda, quæ negata plurimis
Non denegavit traduces cœli faces
Quod docta Pallas, mox sibi procax Venus,
Dein Nympha junxit, nunc sibi jungit Themis.
Quid, Doma, Nymphæ tetricam jungis Deam?
Metuisne diras Juliæ legis minas,
Adulteroque Diva quas dixit thoro?
Securus esto. Jungitur recte simul
Venus Themisque. Jungitur rectè Tibi.
Utramque, Doma, patriæ debes tuæ;
Veneris satelles patriæ cives tuæ;
Themidis sacerdos patriæ mentem tuæ.
Video curules & tribunal Frisiæ,

Video

Video patere cuncta virtuti tuæ.
Video parentem liberûm parvi gregis,
Patrem maritum & patriæ patrem suæ.

Ad ejusdem Conjugem JOCUS.

Juncta Themis Veneri, conjux suavissima Domæ,
Non poterit Veneres imminuisse tuas.
Cuique Themis tribui sua vult. Vult illa maritum
Debita conjugio nulla negare tuo.

In Mare Clausum Seldeni.

Libera nunc igitur tolerabit vincula Tethys?
Quid mare, quid faciles quid meruistis aquæ?
Qui vos infami conclusit carcere nuper
Hoc meruit, quod vos non meruistis aquæ.

ÆTERNITATI GUSTAVI ADOLPHI MAGNI, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis.

Ille triumfator Boreæ certantis alumnus,
Gustavus, Getici dextera magna Dei;
Qui nunquam domitus potuit domuisse rebelles,
Et domitos placidò continuisse sinu;
Ille tuis cœlo lapsus Germania rebus,
Ausus in Austriacos arma movere lares;
Bellorum laudisque vetus: victricia cujus
Indomitæ semper signa tulere manus;
Dum plures aliis statuit connectere lauros,
Invida non dubiam fata dedere necem.
Et moritur vincitque simul. Miracula mortis!
Et talem credat quis potuisse mori.

Vixe-

Vixerunt alii. Non vivere desiit ille
Dum moritur; tantum desiit ille mori.

In Fulviam

JANI BODECHERI BANNINGI.

F*Ulvia, cælesti, Vates, celebrata libello,*
Visa tibi potuit, lecta placere mihi.
Forsan visa tibi, nec forsan visa Poëta,
Lecta mihi visa est, visa puella tibi.
Si tamen haud unquam fuerit, jam nascitur illa,
Et prolem agnoscit Calliopæa suam.
Ingenio Clarias subigis, Banninge, sorores,
Nataque de Clario Fulvia vestra sinu.
Nascatur talis, qualis tibi nascitur illa;
Et redamet Vatem nata puella suum.

CYPRIANO REGNERI

Cum in JC.rum. ordinem coöptaretur.

J*AM*, CYPRIANE, *laudis assertor tuæ,*
Nunquam domanda discutis nefas manu.
Jam norma rerum te suum dictat Themis,
Et grande surgit, quod merentis in fidem
Concepta dudum fama prolusit decus.
Onerosa vatum pompa nil confert tibi;
Par nemo quam tu, si tibi poscis parem.
Dum creditarum disputas rerum fidem,
Se docta donat Leida, se credit tibi,
Tibique tantum credit & credit sibi.

JOHANNI POLLIONI,

CUM

Sub egressum Canicularium Feriarum Licentiæ gradum in V.I. adipisceretur.

HActenus amotis siluerunt pulpita curis,
Et rapidi cœlum distinuere canes.
Jam sua Palladii dispungunt otia cives,
Atque sui caussam quisque laboris habet.
Pollio jam doctæ præbet spectacula pompæ;
Nec licuit tantum dissimulare decus.
Suspicimus castis delubra faventia votis,
Et juvenem primi nomen haberi loci.
Pallade qui magnus, quam primo exceperat ævo,
Nec minus Astræa judice magnus erat.
Qui meruit quidquid potuit mens docta mereri
In pretium meriti cogitur ire sui.
Ad laudes concurrit Avus; præconia condit,
Et pia dat patrius signa faventis amor:
Longaque victurum Polyandri in sæcula nomen
Exemplum voluit nominis esse tui.
Et pariter magnis adsurgit avunculus ausis,
Kerchovæ referens nobilitatis avos;
Cui nemus & Batavæ parent venabula terræ,
Cui fasces defert Puttia tota suos.
Otia qui studiis superas, post otia dignus
Victrices lauro composuisse comas.
Lux tua nunc oritur. quæ nobis otia demit,
Hæc tibi finiti meta laboris erit.

IN

IN HONOREM

JUSTI TURCÆI,

Quum post publicam de Angina disputationem Doctor Medicinæ inaugurararetur.

Dum sæva passim Pestis accendit faces,
Virusque spargit, ira quod ferox Deûm
Impressit auræ; depopulatrix urbium,
Quæ nata Ditis, sive sit Ditis parens,
Neptis Charontis, & fatigatrix simul,
Legata mortis, & satelles inferi
Funesta regni, quæritur Coi manus,
Cui Pergameni dextra succedat senis.
Gaudete cives. Leida succurrit malo,
Nuper cadaver, busta cum augerent tuum
Libitina censum. Sana jam reddit sibi
Redditque terris corrigi quidquid potest
Manu medentum. Nomen hos inter suum
Illustre jactat Turquii virtus mei,
Meæ simulque Patriæ Patris suæ:
Qui nunc Batavæ, more sollemni, Deæ
Inter merenteis auget & capit decus.
Angina testis. Illa linguæ carnifex
Clari disertam Turquii linguam facit.

IN

BREDAM CAPTAM.

I.

Ad Celsissimum Principem

FREDERICUM HENRICUM.

BREDA *tuis tantum, Princeps, servata triumphis*
Cedit, ut heroam sensit adesse manum.

Cujus

Cujus fulmineum dum vibrat dextera ferrum
Et jactæ laurum promeruere faces,
Erigeris, supraque tuos accenderis igneis;
Spicula qui Martis cuncta domantis habes.
Par sibi libertas: post tot miracula rerum
Accepit pretium par semel illa sibi.
Cedit Breda tibi, quanquam ringente Philippo;
Te modo, te dominum credere jussa suum.
Terra tibi cedit, facilis cui cederet æther,
Bellica si placidos tangeret ira Deos.
Altera jam vincit, dum vincitur altera. Fatum
Unius heic dispar cernimus esse loci.
Non tamen Urbs minor est; major manet omnibus illa,
Et Domino tantum cogitur esse minor.

II.
Breda loquitur.

Non mihi Nassovios pudor est auxisse triumphos,
Et dominas tandem sustinuisse manus.
Ipsa ego nunc etiam, vulgi contraria famæ,
Ausa triumphales exposuisse comas.
Funus eram nuper, sed nunc victura supersum,
Totaque sum Domino reddita, tota mihi.
Victam alii dicant; ego me vicisse fatebor:
Victa ego sum major, quæ minor ante fui.

III.
Eadem loquitur.

Victa feror, non victa tamen. qui vincitur, armis
Nil potuit; lentâ vicerat ante fame.
Non ego, non cessi; dominum non mota recepi;
Hic modo qui jussus cedere victus Iber.

IV.

Ad celsissimum Principem elementorum omnium favorem in Bredæ obsidione expertum.

DIi quoque concurrunt Cælo, concurrit & omnis
Natura in partes imperiosa tuas.
Sol tenues auras, fabricator Lemnius ignes
Porrigit, & moles eruta terra suas.
Restabatis aquæ; restabat machina tantum,
Quâ faciles aditum non renuistis aquæ.
Breda tibi, Princeps, sed non ingloria cedit.
Vel multum est quidvis sustinuisse semel,
Terra cui, cœlumque ignesque armantur & undæ;
Et tonitru credit Juppiter ipse suum,
Omnia cui parent, cui quidvis militat uni,
Quis pudor est uni succubuisse Duci?

V.

In fasces, ex quibus vineæ potissimum conditæ.

BRedana Auriacus fasces submiserat urbi,
Ut fasces tandem traderet illa suos.

VI.

In terrea opera, quibus Urbs expugnata, Breda loquitur.

URbs invicta feror, vani vix pulveris instar:
Quid dubitas? solo pulvere victa fui.

VII. Breda

VII.

Breda victoriam celsissimi Principis & Ambrosii Spinolæ inter se contendit.

OLim victa fame, ferro nunc victa triumfor;
Illa hosti, hoc Domino me dare jussa meo.
Hispanus decimo vix cepit mœnia mense;
Mensibus Auriaco sunt superata tribus.
Dextera nunc belli, me tunc ignavia vicit:
Tunc belli, exitii nunc mihi meta mei.
Illa graves hosti peperit victoria clades,
Dum Ligur Hispanas perdere visus opes;
Nunc Batavûm Advaticis se gloria tollit in oris,
Dum terra & pariter restituuntur aquæ.
Tunc victa, ut domitam victor nunc cerneret urbem;
Nunc victa ut nunquam sit rediturus Iber.
Bis vici, bis victa licet. cum vicit Iberus,
Et nunc cum dominus, bis mihi victus Iber.
Atque Philippæas cernens bis subdita clades,
Sic ut bis perii bis periisse velim.

VIII.

Ad celsissimum Principem, venientem simul & vincentem.

BReda, licet reliquas inter munitior urbes,
Pene tibi capta est cum tibi cincta fuit.
Et pariter finem pariterque exordia belli
Jungis, & indomitas exseris ipse manus.
Si liceat verum vati prædicere; pacis
Principium, belli jam cito finis erit.
Tam cito vincenti vix jam vincenda supersunt;
Vix aliud quô jam progrediaris habes.
Si tibi pax placeat, sic pergas, maxime rerum;
Si placeant belli tempora, perge minus.

IX. In

IX.

In Bredam domino & simul libertati restitutam.

DE dominis latam spernunt hæc tempora legem;
Ausonio forsan convenit illa foro.
Sub dominis alios fas sit servire tyrannis;
Breda alio dominum gaudet habere modo.
Serviit, à domino quam primum invitâ recessit,
Libera, cum domino redditur illa suo.

X.

In horrendam ædium stragem, ad cives Bredanos.

MUlta quidem magnas inflixit machina clades,
Et cladem fecit machina nulla parem.
Non tamen hoc odii est, aut implacabilis iræ:
Hanc procul à magno credimus esse duce.
Parcere non potuit vobis, ne parceret hosti;
Parcere tunc vobis, parcere nolle, fuit.

XI.

In Ferdinandum Cardinalem & Infantem Hispaniarum.

DUm castra Princeps munit & Bredam capit
Quid Ferdinandus fecerit rogas? Nihil.
Boni ille nil effecit & nihil mali;
Bonum sed illud, quod nihil factum mali,
Malum sed illud, quod nihil factum boni.

XII.

Ad Hispanum.

CLausa tibi tellus, clauduntur & æquora, cœlum
Ipse tibi claudis; quid tibi restat, Iber?
Styx tantùm, & regnum latè grassantis Averni;
Hæc tua sunt vecors, hoc tibi restat, Iber.

Ad Celsissimum Principem Auriacum

FREDERICUM HENRICUM,

IN

NICOLAI HEINSII, D. F.

Bredam expugnatam.

DUm debellatæ surgunt miracula Bredæ,
Et tantum quævis charta celebrat opus;
Se simul & patrias tibi defert Heinsius artes,
Et ruit in lauros, Dux generose, tuas.
Et quanquam hic minor est te, cœlo proximus ardor,
Nec tibi par, magnis se probat esse parem.
Laus prima est, Juvenis, sed tanti carmina vatis,
Sufficere in laudes non potuisse tuas.

ANDREÆ SPARMANNO.

CUM

Medicorum ordini insereretur.

QUacunque solem siderumque compagem
Distendit æther, sparsa per stupendarum
Portenta rerum, fercla per triumforum
Se tota pandit porrigitque Bellonæ
Septentrionis invidenda majestas.

Aquila

Aquilæ trementes Tilliique prostrati,
Cadaverosæ perduellium clades,
Aciesque magni Cæsaris cruentatæ,
Germaniarum vendicata libertas,
Lusena & ipsa, sauciata, percussa,
Cœleste sanguen Martiumque Gustavi
Boream loquuntur & fatentur invictum.
Sed & tropæum Sueciæ triumfanti
Mens alta ponit indolesque Sparmanni,
Dum Coa quidquid Pergamique præcepit
Ars impedita diligenter expendit;
Et incitatum non moratus ardorem
Apollinarem consequutus est laurum.
Hanc Leida donat, quæ merentis in famam
Decusque totam se libenter effundit.
Christina restat, regis instar Augusti,
Patrona virgo, nata maximi patris
Et patre digna, sola nominis vindex,
Æternitati destinata Suecorum.
Hæc Æsculapi poscit artis arcanum,
Et pectus ambit dexteramque Sparmanni.
Qui dum medetur patriæ suæ matri
Nemo negabit patriæ suæ patrem.

IN
ADRIANI HOFFERI
EPIGRAMMATA

De siccitate anni CIↃ IↃC XXV.

QUi memoras siccæ, Vates, dispendia terræ,
In numeros siccas non sinis ire manus.
Quæris aquas, toto perfusus flumine Vatum,
Potor Hyantææ non periturus aquæ.
Et tales effundis aquas in carmina. Tales
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

ELO-

ELOGIUM URBIS ZIRIZÆÆ.

ITe procul nugæ. Nil ficti fama Ziringi,
Nil blandæ Circes hîc posuêre manus.
Nascitur è Scaldi Zirizæa, urbs incola Scaldis,
Et caput agnoscit Scaldia tota suum.
Flandria sed domitam voluit; sed Flandria quondam
Cladibus experta est vulnera mille suis.
Huic LemnI perculta manus, huic Jasonis ardor,
Huic alii æternum promeruêre decus.
Hofferi nunc Musa beat; quæ debita cælo
Expandit genii vela secunda sui.
Urbs matri non grata tamen. Namque objicit, ipsa
Nata mari quondam, se Zirizæa mari.
Vos urbem peperistis aquæ; nunc aggere facto
Excludi tumidæ non meruistis aquæ.

IN AGGEREM SCALDIÆ

Vi aquarum admodum concussum, & fascibus instauratum 22. Augusti anno 1637.

QUæ nova vesanos rapit inclementia fluctus
Scaldi? quid indigenas depopularis agros?
Non opus iratæ in terram grassentur ut undæ;
Terra suas supplex porrigit illa manus.
Si dubitas, specta quos defert Scaldia fasces,
Queis totam imperii se probat esse tui.
Desine Scaldi pater; terræ si parcere nolis,
Fascibus at saltem parcere disce tuis.

AD
TARQUINIUM à POPTA,
CUM
Juris Utriusque Doctor crearetur.

INvicta dum se fulminantis exponunt
Portenta Martis, & fatigat armatos
Nassava virtus; imperantis ad robur
Dum Breda cedit, impotentis Hispani
Arx sola quondam, carnifex Batavorum;
Heic Popta vincit non movendus immoti
Adsertor æqui, patriæque se totum
Et Frisiorum porrigit tribunali.
Quid ergo poscis, docte quid triumfator,
Boxhorniani carminis melos parvum.
Tua quin ipse, Popta, sufficis laudi,
Qui tutor adstas æquitatis æternæ,
Æternitatis dedicatus in fano.

REINERO BACHMANNO,
CUM
Post disputationem de heredum institutione, eorumque querela, J. U. D. crearetur.

TU quoque Palladios auges, Bachmanne, triumfos:
Et docta ingenio panditur aula tuo.
Differis extremi quæ sit facundia voti,
Et quantum possit jam moritura manus;
Quid liceat, cum sit testatrix cera parentis
Non satis in natos officiosa suos.
Differis & vasti quidquid prudentia juris,
Et quidquid leges Suada ferentis habet.
Audierat stupuitque Themis; quæ justa reponit,
Teque suum dictat, quem videt esse suum.

Illa

Illa Themis, cum qua nascenti risit Apollo,
Illa tuas poscit non violanda manus.
Patria te poscit, qualem te Leida remittit;
Quæ pretium meriti ponderat una tui.
Adseret innocuos tutricis gloria linguæ;
In trepidos stringes verba diserta reos.
Te Themidi placuisse juvat, suavissime rerum;
Et Themidi placuit, se placuisse tibi.

IN NUPTIAS CHRISTIANI SNELLII, ET EMMERENTIÆ BERCKIÆ.

QUos meus extimuit jam laudat Snellius ignes,
Blandaque quæ meruit præmia victor habet.
Sponsa verecundis sponsum complectitur ulnis,
Totus & in molli pectore regnat amor.
Jamque maritales Nymphæ disponere tædas
Festaque compositis nectere serta comis.
Berckia quid primæ metuis certamina pugnæ
Insolito niveas picta rubore genas?
Virginitas pereat; levis est jactura. Mariti
Mox erit auspiciis restituenda tui.
Si modo, si primo nascatur Snellia partu,
Jam tibi virginitas reddita tota tua est.

AD QUIRINUM à STRYEN,

Cum filiorum quartus, WILHELMUS à STRYEN, *Juris Consultorum ordini insereretur.*

INclite, magnarum qui versas pondera rerum,
Quem gravis Hagani suspicit aula fori;
Adspice Stryenæ signatum nomine gentis
Hunc tibi quem Phœbus jusserat ire diem.

Adspice Palladios, nato praeeunte, triumphos
Et sparsas lauro verticis esse comas,
Et tibi bis geminos legum genuisse patronos;
Quos tamen haud satis est te genuisse semel.
Pallas nostra tibi succedit & ubera mater
Quamque colis totam porrigit illa Themin
Non potuit quales dederas, tibi reddere natos;
Quales non dederas reddidit illa tibi.
Tu tamen agnosces genialis pignora lecti,
Pignora jam famæ præsidiumque tuæ.
Et sibi dissimiles, similes tam suscipe natos
Quam similes illos credimus esse tibi.

MANIBUS

JOHANNIS DELWICHI
Livoni.

DUm nequit erectam damnosa per otia mentem
Ardoremque animi postposuisse sui,
Arctaque Livonæ questus confinia terræ
Dum patriam credit non satis esse sibi,
Cœlum aliud, terrasque alias Delwichus & undas
Quærit & externæ commoda gentis amat.
Vix tamen ad Batavæ deflexit Palladis aulam
Et fati indixit lex violenta necem.
Indoluit raptum mater Livonia natum;
Addidit & lachrymas terra Batava suas.
Esto modus lachrymis. Quid enim suspiria prosunt?
Deserat arsurum præfica turba rogum.
Abdita jam cœli, jam primos colligit ortus,
Et puras agitat mens generosa faces.
Crescit inexstincti qua fulgent syderis ignes,
Crescit & auctorem jam videt illa suum.
Compositæ quisquis sequeris compendia vitæ,
Et bene laudatæ præmia mortis amas.
Hic tumulus quidvis parva complectitur urna,
Hic tumulus quidvis te docuisse potest.
Ille quidem medio studiorum carpitur æstu,
Exserit atrocem dum Libitina manum;

Jam

Jam tamen absolvit quidquid didicisse necesse est,
Jamque quod ex illo discere possis, habes,
Vivere si cupias, ut vixit vivere disce,
Et plus si cupias discere, disce mori.

AD
HENRICUM PLOOS ab AMSTEL,
Cum in Galliam abiturus esset.

HActenus in patriæ confert insignia gentis
Amstela quod priscæ nobilitatis habet.
Prima pater Batavæ tollit se gloria terræ,
Primaque supremæ creditur esse togæ.
Leida suas etiam Juveni tibi porrigit artes,
Teque tuis, Plosi, nunc jubet esse parem.
Sed modo Borbonii restant tibi purpura regis
Gestaque Lodwici sceptra videnda manu,
Nec minus invicti pectus sublime Richeli,
Blandaque quod cultæ Gallia mentis habet,
Et quidquid Rhodani Ligerisque adspergitur undis,
Et streperis quidquid Sequana findit aquis.
I, licet à nostris, Plosi semotior oris,
I modo; velivolam provocat aura ratem.
Nec tellus peregrina tibi est: tuus agnitus illi
Est pater, & potuit demeruisse tibi.
Cujus pro Batavo certantis fulmina linguæ
Regia suspexit præposuitque domus.
Hic tuus est quocunque venis; tibi redditur illic,
Totaque se facilem gens dabit illa tibi.
Pro quovis genitor, quem magna merentis imago
Non uno illustrem jusserit esse loco.
Exsere te, Plosi. quæ quondam prona parenti
Regia pro patria panditur aula domo.

HONORI
WILHELMI van der DOES,
CUM
In J.U. Doctorum ordinem cooptaretur.

ILlustris Haga, læta Tempe Belgarum,
Et prisca sedes principum Batavorum,
Cujusque famam nulla jam capit fama,
Et invidendæ cesserit venustati
Quod Graja tellus, quod Quiritium plebes
Mirata quondam est; quam regentium primus
Insedit ordo, provehitque Nassavi
Sublime numen; cujus in tribunali
Delapsa cœlo deligit Themis sedem:
Jam tota prodi, gratulantis in morem,
Quantamque fas est blanda præferas pompam
Testem decoris, & faventis amplexu
Gratare Dousæ. quem tibi semel natum
Iterumque natum Leida jam tibi donat.
Redit disertus æquitatis interpres,
Magnos repôstus inter arbitros legum.
Qui quod meretur dum sibi parat nomen
Seque ipse promit, spiritumque facundi
Intendit oris, ipse se stupet talem,
Stupentque Phœbus & domesticæ Phœbi,
Novem venusta natio puellarum.
Omnisque Leida Palladisque se totam
Effundit aula. Quidquid additum cœlo
Terras revisit, omniumque regnatrix
Ad verba pronam differentis Astræa
Advortit aurem,, plausibusque laudantis
Favet coronæ. Dexteram tegunt Divæ
Ornata baccis laurus & leves palmæ,
Et pulchra myrtus, frontiumque doctarum
Hederæ tenaces. Tænias corollasque
Et serta nectit, verticemque Dousæum
Donat tiara, qua superbus incedit.

Hic

Hoc cura pernox, nec tamen fatigata,
Industriæque pertinacis examen,
Et verna cœli cœlitumque cognatus
Effecit ardor; inquilinus heroum,
Tantumque mentis occupator angustæ:
Erectus ardor; possidere quem nescit
Gens læva, vecors, segnis imperitorum.
Non Dousa talis. ille se tibi totum
Sibique defert quod sequatur exemplum
Cordata pubes. Major omnibus Dousa,
Seque ipse major. Vera si canant vates,
Boxhornianæ certa si fides Musæ,
Suumque semper præmium ferat virtus,
Meritumque sæcli sæva non premat labes,
Patriæ regundis admovebitur rebus.
Par ille toti, nec tamen petit totam,
Partimque adeptus demerebitur totam.

LACHRYMÆ
In excessum
PETRI CUNÆI.

I.
In noctem, qua exstinctus est.

NOx fuit, & nondum perlustrat Phosphorus orbem,
Nox fuit, & nondum reddidit ille diem.
Nox manet, & stertit Phœbus languetque, suumque,
Ut solet, auratum non sinit esse caput.
Nec Jovis Herculeis iterum lascivia natis
Jam vacat; infensos credimus esse Deos.
Cunæo æternam indixit mors invida noctem:
Hac quemvis nobis abstulit illa diem.

II.
Ad Parcas de ejusdem excessu.

NOn levis, ô Parcæ, Cunæi injuria rapti est;
Illius infernas polluit umbra manus;

Testaturque scelus quod non admiserit æther,
Aut sceleris pœnam sentiat esse sui.
Quod vobis in nos jus est, ignoscite Divi,
In magnos nobis si queat esse Deos,
Mors quoque si coleret nostras obnoxia leges,
Ultrices vellet si dare Parca manus,
Unius ob raptum totus se luxerit æther,
Et sibi sublatum viderit esse Jovem.

III.

Ad Manes.

ACcipite, æterni, postrema hæc munera, Manes,
Has animi lachrymas ultima verba mei.
Cunæi fuerat Pallas dolitura cadaver,
Sed quoque se doluit cum moriente mori.
Hac quoque qua cineres tegitur Boxhornius urna,
Et nimis immites sentit adesse Deos.
Nos quoque, nos sequimur, fatis urgentibus iras,
Tantaque non unum condidit urna caput.
Unius haud funus Cunæi agnoscimus; unum
Plurima jam post se funera funus habet.

IV.

Ad Adolfum Vorstium, defuncto parentantem.

DUm tua funebres, Vorsti, facundia voces
Exserit & quidquid Suada dolentis habet;
Cunæi evectam cœli ad sacraria mentem,
Et tristeis tanti nominis exsequias,
Et lachrymis mersam pullatæ Palladis aulam,
Templaque jam lachrymis facta minora suis;
Illa tuæ nobis placuit vis ignea linguæ,
Qua loqueris quidquid sit tacuisse nefas.
Et meritis laudes doctrinæ ingentibus æquas
Et certam quævis promeruere fidem.
Certa fides, Vorsti, est; sed, quæ lugentibus offers
Fata, velim magni falsa fuisse viri.

V.

De suo in defunctum affectu.

JUssus in æthereas Cunæus scandere sedes,
Æternumque astris inseruisse caput,
Deseruit totum, major quo vixerat, orbem;
Propter & hoc orbis creditur esse minor.
Me quoque deseruit; quo cum, mea numina quondam,
Me quoque Castalides deseruere Deæ.
Quem colui; qui me donec superesset amavit,
Sola non potuit morte placere sibi.

IN

ANTHONII THYSII

Exercitationes Miscellaneas.

NUnc ergo, Thysi, nominis vindex tui,
Quod ista prodit charta, quod condit manus
Sed erudita, sparsa sed Permesside,
Superasque famam prævenisque, publicus
Æternitatis promus ac auctor tuæ,
Audere perge, quâ fruuntur plurimi
Quam non merentur, fama jam debet tibi.

IN

SIMONIS GAKELII

Panegyricum,

BERNHARDO, Saxoniæ, Vinariæ, &c. Duci dictum.

DUm tua Vinariam laudat facundia dextram,
Brisacique ingens obsidionis opus;
Te quoque Dux victor, stupefactus ut hæsitat orbis,
Obstupuit rebus succubuisse suis.

AD
JANUM BODECHERUM BANNINGIUM,
CUM
Politicorum Conſiliariorum ordini inſertus in Indiam Occidentalem proficiſceretur.

QUalis ſevera lege conſtrictus poli
Qui triſte funus fratris exſtincti gemit,
Cum mortuali corpus imponit rogo
Cineresque præter, oſſa nil præter videt
Maneſque functi vanus implorat dolor,
Percuſſus hæret, vixque jam mentis potens
Lentaque pectus tabe depaſcens ſuum,
Nullum querelis ponit aut leſſis modum:
Talis, meorum prima lux ſodalium,
Amœnitatis blande dictator tuæ
Comeſque noſtræ; Leida cujus imbuit
Sublime pectus, igneoſque ſpiritus
Et vim docentis ſcire quidquid expedit,
Et fulminantis impetum facundiæ
Mirata ſenſit; Zuerius talis tuus,
Banninge, cum te patrios extra lares
Alio in calentem ſole tramittis plagam,
Et tot teneris totque te votis negas,
Et parva magnum pignus abducit ratis;
Vix efferendum cum tibi dictum Vale,
Lamentaque inter & madentium genas,
Diſerta ſolo lingua ſingultu foret,
Totus dolori languet immerſus ſuo,
Tuique plenus, nec tamen potens tui,
Sibique raptus & ſimul raptus tibi,
Raptumque propter redditus nondum ſibi,
Miſer fatiſcit. Ultimas præter preces
Et vota præter nil mihi reſtat tui.
Sed plura reſtant. Faverit rector Deûm
Tibi mihique, Numen impôſitum mari

Sceptro

Sceptro tridentis non movendas fluctibus
Componat undas. Æoli laxet manus
Auras ferenteis ; nec procellarum pater
Aut Africus se tollat aut furor Noti.
Pereant nocentes. Nostra quem tellus colit
Et grande cujus numen insedit fibras
Quod promsit æther, (tanta si movent Deos.)
Negetur undis. Unda si tamen gravis
Et puppim atroci mota convellat manu,
Profundo Delphin lenis emergat mari.
Aderit canentis excitatus ad modos;
Quales solebas, Bodechere, reddere
Æternitatis ipse cum promus tua
Et invidendæ prædicator Fulviæ,
Antiquitati conderes versum parem.
Alumna vatum Castalis fluxit tibi,
Suamque Phœbus sponte porrexit chelyn.
Meliora Castor inter astrorum domos,
Meliora Pollux præstet; & si quod veget
Cœlo viale numen, adsurgat tibi.
Adimus aras; jamque votivum pecus
Tuis faventeis rebus addicit Deos.
Cœlo receptæ quas peregimus preces.
Si justa Tethys, si tuentur Cœlites
Vitam merentis, certa si vatum fides,
Nec falsa dictat insitus præcordiis
Phœbeus ardor ; acta qualis fluctibus
Cytherea quondam spumeo emersit mari,
Qualemque Leyda vidit & qualem cupit
Iterum videre, terra te talem videt
Indi calentis. Est tibi exactum satis
Laborum & ultra. Doridi satis datum,
Jam longioris meta se pandit viæ,
Pronamque sese terra substernit tibi,
Et læta defert omne quod recondita
Amœnitatis prodigo fovet sinu.
Cui ut minores cesserint Campaniæ
Baiæ tepentes; Itali messis soli,
Asiæque quidquid culta, quidquid educant
Daphnæa Tempe. Veris æterni vigor

Et temperati solis heic ridet jubar.
Noctes opacum frigus affundunt polo
Et lene murmur & teporem suaviter
Spirantis auræ. Forte si terram madens
Rigarit æther, roscidus cœlo liquor
Se spargit agros inter ut nectar merum,
Dominoque quale porrigit Jovis puer
Blandisque Hymetti quale se promit jugis.
Frondosa semper arbor & virens nemus,
Et citrus altis exserens sylvis caput,
Dulcesque cannæ, quas beatæ Cœlitum
Fecere dextræ; quas medulla destinet
Thymoque quovis, melle quovis dulcior.
Sunt & metallo nobiles argenteo
Dites arenæ; quas petisset cognitas
Qui pervagatus Colchicæ gentis plagam
Serpente victo vellus heroum tulit.
Hæc, Bodechere, regna jam tui tenent
Pretiosa fasces; patrio quidem solo
Procul remota, sed perennis gloriæ
Datura messem, quæ tibi locum paret
Inter Batavos Argonautarum choros,
Magni colonos & Quirites ætheris.
Quos ferre quidvis, mille per rerum vices,
Adegit ardor; possidere quem nequit
Imbelle pectus. Mentis angustæ labor
Domi est ubique, & patriam quidvis putat
Quod texit æther. Ille jam favens tuos
Accendit ausus, perque discretas procul
Tramittit oras, Consill haud motus levis,
Nec parva rerum fata, nec pecuniæ
Vesanus ardor, occidentis unicum
Sufflamen æqui: publicæ splendor rei,
Et promovenda Patriæ pomœria
Et Barbararum turba vecors gentium
Recti Magistris continenda legibus,
Huc impulere. Jamque se credunt tibi
Propago Nerei torva, navales viri,
Et Lusitanæ nationis traduces,
Et ora cujus tostus infecit dies.

Plebs

Plebs inquilina; pressa quæ tyrannide
Abesse sævas læta Baniolæ manus,
Et Albukercki sceptra cum Tartessiis
Expulsa signis gaudet; & Nassavios
Amplexa fasces, prona Mauriti manus,
Ferro atque avita nobiles clementia,
Amat timetque. Tanta te nobis negant;
Tibique quidquid dulce postponis tibi;
Sedes paternas & domesticos lares,
Os dulce matris, & sororis unicæ
Et præferendos patris amplexus tui.
Non ipsa euntis impetum Pallas stitit,
Devota quamquam promerentis in decus
Perennitatem laudis ambiret tuæ.
Quam post futuris promovendam sæculis
Tibi quisque donat, invidentium licet
Rumpatur inguen; pestilens quorum furor
Non dona cœli, nec satam mentem polo
Cætumque supra vulgus erectam capit.
Perculsa Pallas destitutam se gemit
Docentis ore; verbaque incassum ferit.
Aliò vocaris, teque majorum rapit
Libido rerum, dumque non quidvis placet
Præfertur Indus. Pharnabucorum sinus
Cessit Batavis & simul cessit tibi.
Hic dissolutis jura præscribis viris;
Armis subactos nec subactos legibus
Ad sanctioris instruis vitæ modum.
Te terra sensit æquitatis arbitrum,
Quam tot beatis affluentem mercibus,
Tot expetitam, tot negatam regibus,
Ut quam relinquis Patriam obstringas tibi,
Patriam Batavis condis ac reddis novam.

IN

DANIELIS TETSCHII

Orationem, de Pacificationis Passaviensis origine & usu.

CIvili dum se lacerat Germania bello
Et trahit infectas sanguine Rhenus aquas,
Tetschius innocuæ jactat præconia pacis,
Cæsaris arbitrium consiliumque sui.
Accipe Cæsaream tandem Germania legem;
Cladibus hæc meta est una futura tuis.

ELOGIUM

MARTINI VETTII,

CUM

De Publicis Judiciis disputasset.

LImina quæ tristi nuper præcincta cupresso
Et domini fatis ingemuere sui,
Nunc iterum lætos admittunt candida vultus,
Totaque Pieriis personat aula modis,
Dum Vetti Ausonias dictat facundia leges,
Et Themidis partes deficientis agit.
Credimus hæc manes Cunæi audire sepultos,
Et cineres sancti subsiliisse rogi.
Nam modo qui lachrimis pallentes sparserat umbras,
Nunc quoque sublati reddidit ora viri.

IN

ARNOLDI à SLICHTENHORST

Orationem de progressu ac usu Navigationum Batavicarum, cum itineri Gallico se jam accingeret.

INdomitæ terram circum quæ cingitis undæ,
Queis nil par, quà se porrigit, orbis habet,

Et

Et pater Oceane, & genetrix Nereia ponti,
Et Divi Æolides, Æolidesque Deæ,
Poscimus, huic faciles Juveni permittite ventos,
Mollis & infractam provehat aura ratem.
Hoc meruit, totus cujus præcordia Phœbus
Imbuit, & cœlo proximus ardor agit.
Hoc quoque promeruit Nereï laudator & undæ,
Præconem falsum ne probet unda suum.

In Supplementum Lucani,

Quod ex proprio Anglico poëmate Latinis versibus reddidit

THOMAS MAJUS.

Corduba quem genuit, stupuit quem Roma canentem,
Non bene cognatâ prælia gesta manu;
Nascitur Arctois iterum victurus in oris,
Et quondam cœptum perficit auctor opus.
Restituant alii magnorum carmina Vatum;
Reddidit hic Vatem Maius ipse suum.

EPITAPHIUM

JOH. ISACII PONTANI.

Pontanus ille; cujus heic corpus jacet,
Magnumque nomen unus haud orbis capit,
Nunc inter astra sydus exultat novum,
Contemptor orbis, sortis humanæ satur,
Conviva Divûm, æternitatis helluo,
Cœli inquilinus, debitum cœlo caput,
Cui vita cœlum, terra cui cœlum fuit.

AD

ROCHUM HOFFERUM

Ex Academiâ Lugduno-Batavâ in Gallias abeuntem.

Ergone jam certum est, Hoffere, relinquere nostræ
Trita tibi totiens limina sancta Deæ?

Diva

Diva vocat; tamen illa nequit retinere vocatum,
Quodque potest, comitem se cupit esse tibi.
Et comes est, sequiturque suum pulcherrima vatem,
Et præit, & solitam nunc quoque spondet opem.
Deseris invitam; sed enim comitatur euntem,
Et tecum quemvis incolit illa locum.

AD

WILHELMO QUIRINO

De Principiis rerum naturalium disputanti.

C*Unctarum Juvenis repetens cunabula rerum,*
Et quidquid primi seminis orbis habet,
Utere principiis, Dabit incrementa laboris
Laudesque ingenii hoc nobile principium.

GISBERTO ab HAMEL,

CUM

Juris Consultorum Ordini insereretur.

AD THEMIDEM.

A*Stræa legum mater, artifex æqui,*
Fulcimen orbis, innocentiæ custos,
Inter Batavos quæ perenne fixisti
Sanctæ tribunal æquitatis & sedem;
Huic te faventem, Diva, poscimus pompæ;
Quam Leida struxit, consecravit Hameli
Semota vulgo, & inscientiæ victrix,
Totumque nostri patrimonium Phœbi,
Tuasque tot mox, tot Quiritium leges
Ingressa virtus; ipsa quâ minor pompa est.
Spectatur ille, cujus ore se produnt
Et æquitatis promiconda mens Celsi,
Et Paullus ipse, magnus arbiter recti,
Baldusque Bartolusque, quotque suspexit

Quon-

Quondam tuorum natio togatorum.
Avara nunquam fertur; hac tamen luce
In te Batava liberalis est Pallas.
Unum fatetur illa, plurimos donat.

IN

ARNOLDI SLICHTENHORSTII
Lusitaniam Liberam.

LYsica libertas, ejuratique Philippi,
Sceptraque tot sceptris, Castila, dempta tuis,
Cum superent famam, nostri facundia vatis
Sufficit; & partes deficientis agit.
Debuit hoc genti. Regem non exuit illa,
Sed, quem non habuit, reddidit illa sibi.

AD

JOANNEM de BERGAIGNE,
POST
De Nuptiis disputationem Jurisconsultorum Ordini inscriptum.

JAm tua, Bergaini, stabiles facundia tædas
Disserit & sancti pristina jura tori;
Vincula quæ thalami, quæ Cypri regna Paphique,
Et puero liceat quid, Cytherea, tuo;
Quid scelerum fœcunda Venus, furtiva propago
Et patris mereat nescia turba sui.
Te loquitur dictante Themis, rectique patronum
In dubio juvenem gaudet adesse foro.
Et tamen Idaliæ nondum est mens conscia flammæ,
Et Paphio jactas libera colla jugo.
Hic thalamos agnosce tuos. Themis ipsa loquentem
Ambit, in amplexus nunc ruitura tuos.
Vilia mortales commendent nomina tædas;
Connubium plus est promeruisse Deæ.

JO-

JOHANNI KLENCKIO,

CUM

Liberalium Artium Magiſter crearetur.

AD

PHILOSOPHIAM.

DIva, penus rerum, quot mens humana recondit;
Totius abſtruſas quæ trahis orbis opes;
Flemus, ut antiquus pridem deferbuit ardor,
Nec ſequitur partes tarda juventa tuas.
Sæpe Themis rediit; Phœbumque induxit ovantem
Sæpe Machaonii cætera turba chori.
Tu quoque Sidonio tinctam cape murice veſtem;
Lux tandem in laudes naſcitur iſta tuas.
Adſpice Klenckiadem, facundæ fulmine vocis
Qui Sophiæ cauſſam deficientis agit.
Cujus in exculto regnantes pectore Muſas,
Et ſolium imperii credimus eſſe tui.
Sæpius ut ſolito redeas, te poſcimus omnes;
Sæpe tuas ornent talia ſerta comas.
At differ, juſtos liceat ſi, Diva, triumphos,
Non niſi poſt longas emeruiſſe moras.

IN IMAGINEM

ADRIANI HOFFERI.

PAtria quem toties ſublimi in ſede locatum
Majorum ſtupuit paſſibus ire parem;
Cui toto Phœbi perfuſo Numine, Muſas
Debendi Phœbus credidit eſſe reas;
Hoc erat Hofferus vultu. Quod patria ſemper,
Quod ſemper Phœbus lugeat, ille fuit.
Sæpe viri, ſpectes quam tantum, offertur imago:
Hic quam, ſi poſſit, quiſque ſequatur, habet.

GE-

GERARDO ab ALPHEN,

CUM

Jurisconsultorum Ordini insereretur.

FLos juvenum, primis Themidi devotus ab annis
Qui colis Augustâ condita jura manu;
Cujus nunc veteres æquat facundia Paullos,
Tota cui Ausonii panditur aula fori,
Accipe legiferæ tandem, sanctissima quæ sunt,
Munera, Scotano distribuente, Deæ.
Hæc dare sola potest, nec tu aversare ferentem,
Præmia, sint meritis non licet æqua tuis.
Nam Themidi, quæ se tibi plus debere fatetur,
Hoc debes, quod plus debeat illa tibi.

IN NUPTIAS

CONSTANTINI SOHIERII,

ET

CATHARINÆ KOEYMANS.

QUos vix sustinuit, laudat Sohierius ignes,
Blandaque quæ meruit præmia victor habet.
Sponsa verecundis juvenem complectitur ulnis,
Unus & in bino pectore regnat amor.
Amstelides properant Nymphæ disponere tædas,
Festaque compositis nectere serta comis.
Sponsa, quid ad primæ metuis certamina pugnæ,
Insolito niveas picta rubore genas?
Virginitas pereat; levis est jactura Mariti
Mox erit auspiciis restituenda tui.
Si modo nascatur primo Koeymania partu.
Jam tibi Virginitas reddita tota tua est.

Aliud.

NUDA VENUS.

EDita nuda salo cum Divâ pulchrior omni
Sit Venus, & nudos præferat una Jocos,
Sohier I dites qui laudas, Amstela, tædas,
Dic mihi, quò tantæ hic dinumerentur opes?

JOANNI à WEVELICHOVEN,

CUM

Pro consequendo in U. J. licentiæ gradu disputaret.

Nunc iterum doctæ surgunt miracula Leidæ;
Præsentes iterum credimus esse Deos.
Dum, Wevelichovi, patriæ vestigia laudis
Et genium cœli non renuentis habes;
Dum sequitur mens prona Deos, non unius instar
Numinis in laudes conspicis ire tuas:
Et Phœbi, totum dum spiras pectore Phœbum,
Et Themidos, justi dum tibi durat amor.
Nunc pariter Phœbo junguntur præmia Divæ,
Inque tuo sedem collocat illa sinu.
Dictatorque æqui magnum te suspicis inter
Legiferæ vates nomen habere Deæ,
Magna quidem, fateor; sed tu majora mereris;
Leida minor meritis cogitur esse tuis.
Par meritis tamen illa tuis; tibi sufficit illa
Quæ titulis docuit plus meruisse suis.

IN

HUGONEM de ROY,

CUM

J. U. Doctor diceretur.

Roius Astrææ, quanquam non tradita soli,
Quæ tantus meruit, præmia solus habet.

JOAN-

JOANNI MAURITIO,
Comiti Nassaviæ &c.
Ex Brasilia in Belgium Reduci.

QUi patriam Batavis patriæ modo redditus Heros
In quondam ignoto condidit orbe novam;
Inque novum Veteris virtutes intulit orbis,
Cujus ab exemplo noscitur esse pius;
Cujus in Europam migravit America ductu,
Ac orbem in veteri credimus esse novum;
Ille novos super in Veteri Nassavius orbe,
Inque novo veteres eminet orbe duces.

IN
JOH. POLYANDRI KERCKHOVII
Orationem, quâ
LUDOVICO de DIEU
parentavit.

DUm tenet attonitas tam tristi in funere mentes
Kerckhovii facundia.
Dieuiadæ, post tot divinæ oracula vocis,
Me perculit silentium.

IN
LUDOVICI de DIEU,
Jam defuncti, raram innocentiam & pietatem.

OCcubuit pietas. Tumulum ne quære, Viator.
Aut hoc, aut nullo conditur ista loco.

In ejusdem indefessam diligentiam.

DIeiadæ nullas norat vigilantia noctes;
Atque ideo nullos nunc habet illa dies.

In ejusdem facundiam.

DIvinæ patimur, Cives, dispendia linguæ:
Clausa etiam immensas elicuit lachrymas.

Tumulus ejusdem, Linguarum Orientalium peritissimi.

ORiens, viator, Occidentis hic jacet.
Fallor. Sepulchrum hoc Occidens Orientis est.

DE JOHANNIS FORESTI, *ET* CONSTANTINI HUGENII Epicediis in excessum CORNELII vander MYLE, *AD* CONSTANTINUM HUGENIUM.

DUm vocat exstincti lachrymosa ad funera MylI
Leida Forestiadas Hugenidasque Deas;
Facundam solis, memoras, singultibus Hagam,
Quam pudet in tanto funere posse loqui.
Ut tamen agnovit tua perculsique Foresti
Usque adeo in lachrymas verba diserta suas
Haga, ait, (& Cats I notos simul invocat ignes)
Debuit in tanto funere sola loqui.

IN NUPTIAS
WYBOLDI DOUSÆ,
ET
ANNÆ KERCKHOVIÆ,
AD
JOANNEM POLYANDRUM à KERCKHOVE,
Sponsæ Avum.

HAga videt, tantos quæ prima injecerat ignes,
Kerckhoviæ thalamos delitiasque suæ.
Quam sua progenies sequitur; cui fœdere in uno
Dousarum tot jam restituuntur avi.
Nordovices cui submittunt fastigia colles,
Et quotquot circum littora curva fremunt.
Et sua sylvicolæ ponunt altaria Nymphæ,
Ipsaque Dædaleas terra ministrat opes.
Hic myrtus, myrtoque virens intersita laurus
Porrigit & dominæ palma superba comas.
Uritur & teneros Dousa obtestatur amores,
Et sequitur Paphii mitia castra Dei.
Nunc niveam cervicem inhiat, nudosque lacertos,
Purpureos nunc quos ventilat aura sinus.
Fortunate Senex! cujus cum sanguine sanguis
Dousarum crescit, continuatque genus.
Pronuba stat Pallas, Dousa praeunte, Batavos
Jussa olim Cyrrhæ proposuisse Lares.
Illa tuæ totiens fuerat quæ credita curæ,
Se generi obstrictam credidit esse tuo.

IN

M. ALBERTI KYPERI
De Lue Venerea inauguralem disputationem.

HActenus antiquæ calcasti fana Stagiræ,
  Primaque laus studiis inde petita tuis;
Hactenus ipse sibi noster tua tempora Phœbus
  Mancipat, & Clariæ, numina nostra, Deæ.
Injecit Medicina manum, Kipere; novamque
  Materiem famæ sufficit illa tuæ.
Offertur funesta lues: quo tempore nullo
  Extulit invisum tetrior ulla caput
Lenarum illuvies & crux æterna Priapi,
  Pœna Lupanaris perniciesque sui.
Jam nomen dant scorta tibi; dant Thaïs, & illi
  Quos premit infames perdita turba tori:
Æstimat hæc Pallas nulloque exclusa pudore
  Audit, in amplexus jam ruitura tuos.
Et ruit, & proprio laudatum accingit amictu;
  Hancque sua laurum porrigit ipsa manu.
Res mala, corruptæ signum ferale juventæ,
  Virtutis pretium est indiciumque tuæ.

IN

FREDERICI SPANHEMII
imaginem.

QUi docuit totum, totique agnoscitur orbi,
  SpanhemI vultum parva tabella refert.
Ingenium, & quidquid nescimus, Suada docentis,
  Et quæ tot linguis lingua diserta valet,
Et quidquid jam Leida stupet, non dantur in illa,
  Hoc cœli vitium deficientis habet:
SpanhemI solo totus vir promitur ore,
  SpanhemI solâ pingitur ille manu.

IN

IN EFFIGIEM
LUDOVICI DE DIEU.

ORa vides, sed quæ nunc mixta silentibus, orbis
Non uno nuper credidit ore loqui;
Ora viri, rerum quem vasta scientia, quemque
Ipsa suos pietas jusserat esse Lares.
Tam bene qui docuit, vixitque, & fata peregit,
Hoc vitii, quod non conspiciendus, habet.
Divinæ fuerit cum proxima mentis imago,
Nulla tibi tantum reddit imago virum.

AD LECTOREM
DE
FRANCISCI PLANTE
Notis, Luctu & Gaudiis.

GAudia cum luctu, cum luctu vota recludit
Plantius. Haud potuit plura dedisse tibi.
Totius hic spectas, Lector compendia mundi;
Aut votum, aut luctum aut gaudia mundus habet.

IN
JOACHIMI PASTORII
FLORUM POLONICUM.

SLavica dum primis, Pastori, ducis ab annis
Et Lechi cineres exuviasque tui;
Et Craci Imperium, magni incunabula Regni,
Tanta sub Arctoi sidere nata poli;
Tot formidatos, Bellonæ fulmina, Reges
Nomina tot nostris, non temeranda modis;

Extremum nil Roma legit. Se spectat in illis
Eloquiumque operis, materiemque sui.
Hactenus & solos tantum mirata Quirites,
Fassa sibi est populum se reperisse parem.
Et pariter te resque stupet; dumque omnia laudat,
Omnia Romanæ sunt, ait, ista manus.

In NEUHUSIORUM
Nomen, cum
REINERUS NEUHUSIUS
Poemata sua vulgaret.

HActenus antiquis desertis sedibus errant,
Nec certos habitant Numina nostra lares.
Hactenus & nostris pulsæ quæruntur in oris,
Hactenus ignotæ sed latuere Deæ.
At pridem extorres, Neuhusi, haud quærimus ultra;
Ecce, Novam veteri præposuere Domum.

JACOBO BASELIO,
De Vocatione ad fidem, & Gratia conversionis disputanti.
Contra Veteris, nostriq; sæculi
Hæreticos.

IMpia non tantum gens est, sed Barbara, doctâ,
Baseli, toties jam tibi strata manu.
Vera fides pridem dum declinatur, & una,
Declinat plures Barbara turba fides.

Veræ fidei Declinatio.
AD EUNDEM.

FIdes miserentis munus augustum Dei;
Fideique meta sospitator Christus est;
Fideique in illum tota debetur salus.

Fidem

Fidem per istam certa pax conscientiæ est,
Fides, nocentes sola quæ justos facis!
Fide beamur. Sola plurali caret.
Sic nostra veram Musa declinat fidem.
Fallor, Baseli, fallor. Esse qui cupit
Beatus, illam nemo declinat fidem.

IN NUPTIAS CHRISTIANI MOLL, *ET* NATALIÆ van EGMONT, vander NYENBURCH, Celebratas die Martis.

Tota suo dum se pridem Germania ferro
Perdit, & arenteis sanguine spargit agros;
Et Boreas furit, & mediis se commovet undis,
Pallet & Arctoo Parrhasis ursa polo;
Lætaque dum nostro longè Pax exulat orbe,
Et pietas pacem jam propè lassa rogat;
Hic nova, sed placidus, meditatur prælia Mavors,
Bellaque, sed molli bella gerenda manu.
Hactenus indomitæ jam tentat virginis arcem,
Virginis in thalamo castra Cupido facit.
Hæc tibi, sed medios, MOLLI, *invadenda per ignes,*
Ardentes tantum dum quatit illa faces.
At tu ne dubita; cum te sit mollior illa,
Mox dabit & victas strata puella manus.
Supplicis en lachrymas! Vinci se posse fatetur,
Et gelido trepidat pectora pulsa metu.
Jamque refers spolium, quo non est pulchrius ullum,
Intactæ quidquid virginitatis habet,
Splendida tot veteris Neoburgæ nomina gentis,
Et totidem Egmondæ nobilitatis avos.
Hic tuus est Martisque dies. Sed fallimur omnes;
Ille tibi Veneris creditur esse dies.

IN EFFIGIEM
CAROLI DEMATII.

DEmatiani quidquid artifex vultus
Inscribit æri, consecratque venturis,
Spectate, Cives. Plura non potest pictor;
Plus æstimate. Quisquis ad viri pectus
Se vertit, illud tot scientiis pastum,
Totumque nostri patrimonium cœli,
Mens alta quod recondit, osque testatur,
Illud disertum, totque Suada linguarum,
Zelanda tellus quidquid ægra dimisit,
Et nunc adorat erudita Trajectum,
Dematium, quem vos videtis, hic quærit.

IN NUPTIAS
JOANNIS POLYANDRI à KERCKHOVE, HEENVLIETI D.

CATHARINÆ WOTTONIÆ.

DUm tua regales ambit facundia tædas,
Et petitur magno tanta puella Duci;
Trans mare dum curris, Kerckhovi haud supprimit ignes,
Ipsa sed accensas duplicat unda faces.
Sceptra favent, vasti queis parent regna profundi,
Servit & æquorei cærula turba Dei.
Regia Nassavio se donat Nympha marito,
Eque Caledoniis texta corona rosis.
Auspice quo totæ coëunt in fœdera gentes,
Implicat & Batavas dextra Britanna manus.
Te quoque, quam priscus genuit, Wottonia, sanguis,
Ardet, & amplexus deperit una tuos.
Cui Charites pictis violas junxere corollis,
Et myrto intextas implicuere comas;

Cui

Cui Venus, & quotquot Veneri famulantur Amores
Creduntur patriam posthabuisse Paphon.
Hanc debet Cytherea tibi; dum Principis ignes
Differis, has etiam subjicit illa faces.
Credimus haud toto divisos orbe Britannos;
Divisos Batavis jam bene jungit amor.

JOANNI MEERMANNO,
in J. C. ordinem lecto.

QUem genuit, blandæ cujus facundia vocis
Doctaque tot lites dissoluêre manus;
Uberibus, solas quæ pascunt ubera mentes,
Quem Leida admovit detinuitque suis;
Cui Phœbum & Themidem, post Phœbum, impendit, & omnes,
Quas habet, ingenii prona reclusit opes;
Meermannum Themidis pro majestate tonantem,
Quæque suo Phœbus numine digna probat,
Ornatrix media Pallas complectitur aula,
Nectit & in meritis laurea serta comis.
At dubitat tamen illa, colat juvenemve senemve;
Sit pater, an natus, non bene certa Dea est.
Sic pater in nato redit ac agnoscitur illo,
Leidaque quem doluit fata tulisse, videt.
His quoque, queis aliis vix hæc bene discimus, annis,
Quod stupeas, partes ille docentis agit.

IN
CHRISTOPHORI HOFMANNI
Excessum.

HElveticis genitus Juvenis doctissimus oris,
Certaque spes patriæ jam reditura suæ;
A teneris lympha sparsus Permesside cunis
Et major Clariæ prodigus haustor aquæ;
Dum sitit, & sacras Siloes hic ebibit undas,
Et sacrum Siloes hic levat unda sitim;

Lapsus in obscuras, tenebris fallentibus, undas,
Ad Lethen Rheni gurgite raptus abit.
Ter data tunc lapso est vicini dextera Phœbi,
Ter Phœbum lapsi deseruere manus:
Forte tamen flenti potuit succurrere Delphin,
Sed dulcis non est incola Delphin aquæ.
At dulces non estis aquæ, feralibus ausæ
Fluctibus infelix occuluisse caput.
Quo periit rogus esto loco. Vos convenit illo
Exstingui innocuo quæ nocuistis aquæ.

IN

JOANNIS SCHILDII

Meditationes super Extremis Senecæ.

QUa nulla infernas subiit formosior umbras,
Nec tamen infernas digna subire fuit,
Qualis erat quondam Senecæ morientis imago,
Exhibet hæc Schildî pagina picta manu.
Adspice jam cæsis constantia lumina venis,
Et quod ab exsangui prominet ore decus.
Adjice non trepidæ cœlestia fulmina linguæ
Quæque refert notis mascula verba suis
Hæc quoque quæ Senecæ mortem meditantis imago est,
Schildî eadem, nunquam sed morientis, erit.

IN EXCESSUM

JACOBI BROUCHOVII.

UT vidit, toties quo Consule floruit olim,
BROUCHOVI *cineres anxia Leida sui,*
Feralem lachrymis sparsit communibus urnam,
Credita non uni solvere justa viro;
Et tanquam inferias Patriæ daret, adstitit amens,
Pectore singultus non cohibente suos.

At

At tu siderea, Bronchovi, sede receptus,
Non lachrymis, aliâ vis pietate coli.
Si manes aliquid credamus velle sepultos,
Virtutis memores nos cupis esse tuæ.
Et memorem se Leida probat; perculsa dolore
Se testem, quantum lugeat, ipsa facit.
Pro quovis totam monumento ponimus Urbem,
Justa tibi poterant vix meliora dari.

IN COMMENTARIUM

De Oppido Batavorum

JOHANNIS SMITHII

ILlustre quondam, lux vetusta sceptrorum
Batava dum stat eminetque majestas,
Sed, sorte versâ, mox furentibus raptum
Stratumque flammis, obrutum, domi ignotum,
Nunc Smithianâ non domabili dextra
Oblivionis erutum è sepulchreto,
Et hæsitantum somnio eruditorum
Tandemque priscis sedibus redonatum,
Quas nulla flamma, nulla vis vetustatis,
Quas nulla vertet vorticosa tempestas,
Novâ superbum gloriâ resurgentis,
Illustre posthac, & perenne mansurum
Situmque hic, viator, oppidum Batavorum est.

IN

Illustrissimorum Ordinum Fœderati Belgii Edicta.

BElgica Libertas, qua nulla disertior olim
Quam Rogus elinguem fecerat, & laqueus,
Heic tonat. Infanda damnatam lege silendi,
Discat Iber, tandem libera verba loqui.

In Symphoniam suam Linguarum,
Græca, Romana, & Germanica.

Ad

BERNHARDUM à MALINKROT,
GEORGIUM PHILIPPUM HARSDORFFERUM, AUGUSTUM BUCHNERUM.

Barbara cur aliis Germania dicitur? Isto
Græcia cum Latio noscitur ore loqui.

EPITAPHIUM

FREDERICI SPANHEMII.

SPanhemI cineres istâ conduntur in urna;
Nec tamen hæc tantum condidit urna virum.
Æternis sibi qui obstrinxit virtutibus orbem,
Non bene, si nescis, dicitur ille mori.

JOANNI DAN. MOOR.

Cum J. U. Doctor crearetur.

JAm Themis æternis iterum delabitur oris,
Illa tuum, Moori, condere jussa diem;
Et sua perpetuis inscribit nomina fastis;
Et legeris tantæ debitor esse Deæ.
Quid tamen huic reddes, ingrati crimine ne quis
Deferat, aut læsi numinis esse reum?
Credita tota tibi Themis est: si redditur illa,
De titulis poterit nil superesse tuis.
Sed satis est debere Deæ, nil quæritur ultra;
Quodque dedit fas est te tenuisse tibi.
Omnia qui Themidi debes, doctissime Moori,
Omnia si cupias reddere, redde nihil.

In JACOBI REVII Daventriam Illustratam.

Revius in Batavis Batavo gratissimus oris,
Dum raras animi Suada recludit opes,
Immemor haud patriæ est; densisque obscura tenebris
Primus in illustrem protulit acta diem.
Debeat Urbi alius: nato Daventria semper
Debebit, Patriæ qui pater ipse suæ est.

LAMBERTO DE ROUCK,

Cum ad summum J. U. gradum eveheretur.

Cuique suum, Roucki, tribuit Themis; æqua videtur
Diva mihi tribuit cum Themis ista tibi.

THEODORO à LEYDEN à LEEUWEN,

Cum de Jure responderet.

Dum Juvenis nunc verba seni facis apta Philippo *
Te Juvenem se jam credidit esse senem.

* de Leydis.

IACOBO à WEVELICHOVEN,

Cum J. C. ordini insereretur.

Quæ sibi te pepigit regnatrix Diva, merenti
Se quoque nunc pepigit, Wevelichove, tibi.

EPITAPHIUM IOANNIS DE LAET.

Quæ tumulis divisa legis, conjuncta, Viator,
Sunt uno. Hæc tantum possidet urna virum.
LATIUS HIC SITUS EST; *nec solum Latius; isto,*
Ipsa isto Virtus conditur in tumulo.

ARNOLDO vanden HELM

Cum in J. C. ordinem coöptaretur.

Responsura Themis nil pro se differit: istud
Responsis, HELMI, *debuit illa tuis.*

In SIMONEM VINNIUM,

Cum J. U. ordini adscriberetur.

Quod Themidi promit Vinni facundia, magni hoc
Et patris & nati filius instar habet.

PETRO SCRIVERIO,

Cum annum ætatis LXXIIII. ingrederetur.

Scriverio extremus longum se differat annus,
Plures cum possit demeruisse sibi.

In GUILIELMI HENRICI,

FRED. GUIL. Electoris Brandenburgici &c.
Fil. primog. redeuntem primum natalem.

Cum Brandiburgo jam certat Clivia: finem
Nec faciunt votis illa vel illa suis.
Natalis, Dux magne, redit tibi primus; & illum
Patria natalem credidit esse suum.

IN MORTEM
CHRISTIANI IV. DANORUM &c. Regis.

Sublatum post tot merita immortalia Regem,
Orba licet, nunquam, Dania, crede mori,

FRE-

FREDERICO III. DANORUM &c.
Regi.

PRincipia imperii cum sint lætissima; nullus
Imperii finis sit, FREDERICE, *tui.*

IN EXCESSUM
ULADISLAI IV. POLONORUM &c.
Regis.

ULADISLAUS, *lento jam funere raptus,*
Hoc hominis, magni cætera Regis habet.

JOHANNI M. MUNTHELIO,
SUEDO,
Cum in Leidensi Batavorum Academia
Medicorum Ordini insereretur,
ANNO CIↃ IↃC XLIX.
Suedorum Imperii Pace insigni.

BElla gerant alii; Pacem Augustissima Virgo
Pridem amat; & Pax est debita, Virgo, Tibi.
Pugnat in Arctoum virtus MUNTHELIA *morbum,*
Et superat: tamen est hoc quoque Pacis opus.

CASIMIRO POLONIARUM, &c. Regi
Cum
GREGORIUS BARKMAN,
De Cosacorum origine, & recentissimis
motibus verba faceret.

INclute Rex, magni rediviva parentis imago,
Sarmatiæ Mavors præsidiumque tuæ:

Adversa infido BARCKMANNI *vota Cosaco*
Accipe. Sunt votis debita vota tuis.

Ad primogenitum Electoris Brandenburgensis filium in cunis defunctum.

INspectum tibi vix, Princeps, cur deseris Orbem?
Credimus inspectum vix placuisse tibi.

SUEDORUM, &c. REGINÆ, CHRISTINÆ, Cum

Aliquot Regionibus Germaniæ ac civitatibus ex facte Pacis lege in ditionem ejus venientibus, inter Imperii Principes cooptaretur.

INclyta quæ bello, quæ pace es inclyta; Lauro
Cui juncta Augustas ornat oliva comas;
Grata Tibi posito offertur Germania bello;
Grataque se partim subjicit illa Tibi.
Dum Pacem bello præfers. Pacemque reducis,
Debendi pax se credidit esse ream.
Pars tamen hæc gentis, quam omnis Tibi tradidit, omnem
Obstrictam meritis sic probat esse tuis.

FRANCISCO ab AERSSEN de SOMELSDYCK &c.

Cum Legationum jus ac sacra defenderet.

ORa extollentem Te Augusta, Batavia mater
Audiit; & solo hoc jam cupit ore loqui.

EPITAPHIUM ADAMI VALENTINI à REDERN.

UNica Rederna lux & spes unica gentis,
Unica spes Patriæ delitiumque suæ;
Ingenium externis Phœbus dum fingit in oris,
Fictaque bellacem Martis arena manum,
Et teneros juvenis superat virtutibus annos,
Et Patrem & magnos reddere tentat avos,
Ostensus tantum, Batavis peregrinus in oris,
Extremum clausit composuitque diem.
Ad fati imperium & leges mors horruit ipsa;
Atque ideo lentâ sæviit illa manu.
Unius at cineres condi hic ne crede, Viator:
Hæc juvenem pariter condit & urna senem.

IN JOHANNIS ab HUYSSEN Disputationem publicam.

R*Omanas dictat virtus* Huyssenia *leges*:
Quem juvenem Pallas audit & audit avum.

IN JOHANNEM ERPENIUM Cum supremis in U. J. Honoribus donaretur.

D*Ebuit* Erpenio *Pallas majora; sed impar*
Quæ merito non dat, non tamen illa negat.

HONORI PETRI vander MARSCHE, Cum summo U. J. gradu donaretur.

M*Arsciadem, primis Themidi qui jungitur annis,*
Ore Themis juvenem credit, & ore senem.

GEOR-

GEORGIO WOSEGINO,
&
THEODORO HENNISCHIO,
Cum supremos, quos Medicorum decernit
Ordo, honores consequerentur.

Aspice par juvenum, quibus omnis regia Phœbi
Cum reliquis Côas larga reclusit opes.
*Prucia * ne invideas: prima hæc, hæc præmia Pallas*
Civibus haud potuit non dare nostra tuis.
Fallimur. Haud duo sunt: similes virtutibus ambo,
Et similes meritis unius instar habent.

* Ita id nomen, pro Prussia, in antiquissimis Impp. Germ. Tabulis scriptum lego.

CORSALI
DIONIS CRUCES, Sise,
DA
MARIA CHEIDANA, Sali.

CHeidana, chbili Chorsali,
Da Chorsali vin assuli.
An amath, Sali, Chorsali
Me minda scioba Chorsali.

Id est, Nuptiis
DIONYSII CRUCII, Sponsi,
&
MARIÆ HEIDANÆ, Sponsæ.

HEidana, dulces nuptiæ
Filiæ nuptiarum sunt;
Sed has, Sponsa, nuptias
Ego esse velim matres nuptiárum.

Ver-

Verduytscht:

D'Een Bruyt is 't kint van d'aer; men sprack/ en 't ginck soo voren/
Dat Bruygoms en oock Bruyts/ uyt Bruygoms zijn geboren:
Dees Bruyloft heb het luck/ (den Hemel stier het roer!)
Van Bruygoms en oock Bruyts te mogen zijn de Moer.

Iberica Scytharum lingua lusit hæc & vertit, Auctor.

In Sylvam Ducis expugnatam. De BATAVIS.

EGregius Silvæ domitor, licet incola Ponti
Battavus; & Silvas vincit, & Oceanum.

IN EFFIGIEM

ARNOLDI VINNII.

HÆc est, spectator, VinnI mortalis imago,
Oraque quæ pereunt hæc peritura refert.
Ars fecit quodcunque potest, nec cætera tentat,
Cætera pingentem destituere manum.
Ardua mens, Blandæ facilis facundia linguæ,
Roma sui quicquid conscia Juris habet.
Quam similis vultu est, superent cum cætera vultum,
Tam sibi dissimilem hic credimus esse virum.

ARNOLDO VINNIO

Cum Imp. JUSTINIANI *Institutiones notis illustratas vulgaret.*

Ad Studiosam LL. Juventutem.

ACcipe, Romanæ Themidi devota juventus,
Cæsaris haud largâ tradita jura manu.
Accipe non notâ quondam fulgentia luce,
Et plures spatio sed breviore, faces.
Vinnius obscuris accendit legibus ignes,
Et partes tenebras discutientis agit.

Erret,

Erret, & ambages alius sibi deligat: at tu
Hunc tibi; Dux certa, Dux brevis ille viæ est.
Nec tam parca tibi spernenda est dextera; tradi
Nam largâ poterant non tibi plura manu.

IN NUPTIAS
JOH. FREDERICI GRONOVII
ET
ALIDÆ TENULIÆ.

GRonovi, toties damnatos Cypridis ignes
Dum legis, & cœcus sæpe refertur amor;
Sollicitant dubiam Vatum convitia mentem,
Nec venit in trepidum blanda puella torum.
Sed fictis sit nulla fides, Tenulia virgo
Judicii partes excitet una tui.
Non est cœcus amor, quo nunc accenderis, & quo
Auspice in exstinctas nox habet ipsa faces.
Non est cœcus amor. Tibi crede, iterumque iterumque
Ingeminas mediis, lux mea, qui tenebris.

DE
ADRIANI HEREBOORT
Institutionibus Ethicis.

AD LECTOREM.

HIc brevis, at toto liber est mihi carior orbe;
Hic probus est; moris nil habet iste boni.

CHARACTERES
ET
ÆNIGMATA.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

LECTORI.

AMice Lector, dum in describendo digerendoque Lexico Britannico, conjungendisque passim vetustissimis Proverbiis, Sapientiæ, ut opinor, tantopere olim celebratorum Druidum reliquiis, sumus, ea uberius paulo prolixiusque explicata ac illustrata tradere, & exhibere, haud inconsultum judicavimus, admoniti injuria temporum, in quæ nunc incidimus. Neminem lædere voluimus, nemini quidquam detrahere. Sortis autem vel fortunæ nomine ita passim usi sumus, ut Christiani hominis sententiam de Dei Opt. Max. auctoris rectorisque omnium æquissimi, providentiâ curaque salvam fartamque & illæsam semper esse per nos velimus. Vale, & qualibuscunque his conatibus nostris fave.

DRUIDUM,

Celeberrimorum olim inter Gallos & Britannos Sapientum, Proverbium,

GWEINI FFAUD HID FRAWD YS DIR.

Id est,

Inservire fortunæ usque ad finem necesse est.

Aliquot Jamborum centuriis varie explicatum & illustratum;

SIVE

CHARACTER FORTUNÆ.

Nil splendor omnis Sortis est; nam decipit
Mox deseritque, ut vix fuisse dixeris:
Inane fulgur, umbraque & mendacium,
Crux sæculorum, strixque, fraus & omnium;
Laverna tantum, furque liberalis est,
Noverca tantum, blanda cum instar matris, &
Pœnæ instar omnis cujus indulgentia est.
Nil Larva quam, quæ falsa, quæ duplex, novos
Fingitque, fictos induitque, ponit &
Variatque vultus, mille formarum capax
Feraxque mille, dirus ut Chamæleon,
Monstrumque, quo majoris haud ullum est metus,
Sors bulla turgens, transvolans favonius,
Pila ac in altum jacta, quæ mox decidit,
Adversus & ferensque ventus, & maris
Fluxus, refluxus &, diuque Luna quæ
Noctuque nunc crescitque nunc & deficit;
Non vanitate cujus ipsa Vanitas
Mage vana, longe vanior quam Vanitas,
Centum ora sunt centumque sunt cui manus,

Queis

Queis fallit & rapitque datque quidlibet;
Scopulusque nunc, portusque nunc & navitis;
Pyrata raro haud in mari, raro haud latro
Terrâi in orbitis; suorum & munerum
Prædone prædo quolibet rapacior;
Nocturna fur, diurna, semper inquies,
Prætoris urnæ nullius quæ obnoxia,
Cui sola lex est ipsa quam condit sibi,
Eademque semper, semper haud mutabilis,
Mutationum mille non inter vices,
Dum mille quidvis vertit ac mutat modis.
Frequens cui excubat satellitum manus;
Tantum nocere cui volenti militant
Veniuntque signa ad, signa quæ non deserunt,
Elementa, ventique, aërisque turbines,
Irata Doris, mobilis terræ tremor,
Edax & ignis, & ruina, & temporum
Vorax vetustas omnium, & mortalium
Adversa rebus quot canuntur classica.
Vertigo rerum circulusque & omnium,
Et Orbis omnis orbis indefessus est.
Regnum tyrannis cujus est fœdissima,
Et subditorum servitus est fœdior.
Sors multiplex, & centiceps fallacia,
Fœlicitatis umbra, non felicitas,
Spectrumque inane, quoque nullum falsius;
Fides cui non, non cui est constantia,
Nunquam fuit cui hæc, cui nunquam hæc erit;
Non Phœbi ad ortum ipsis ab usque Gadibus,
Non usque rerum ad temporumque terminum.
Sors falsa, Fortunata cujus Insula
Est nulla, solo clara tantum nomine.
Et discolorque tota, tota decolor;
Pictum os cerussa, fucus & fumus merus,
Fumoque quidquid aufugit velocius.
Proditque nunc, latetque nunc, procul fugit
Reditque nunc, fugitque nunc & denuo;
Nunc pullo amictu induta, nunc & purpura,
Violasque nunc, calthasque, nunc & carduos,
Laqueos, securesque offerens nunc & cruces,

Thro-

Thronum & superbæ nunc coronæ verticem;
Nunc dira, quæque infesta bellis tempora,
Nunc & quietem & dulce pacis otium;
Nunc persequentis hostis ausus improbos,
Ulnasque nunc amantis & mollem sinum;
Dextramque nunc medentis, & nunc vulnera;
Confusa nunc, distincta nunc & singula,
Mixtura ut horum Sortis est mutatio,
Adversa nunc, secunda nunc, nunc ambigens,
Incerta, & hærens quo pedem figat loco,
Certæ capax nec, nec tenax sententiæ;
Severius nîl, nîlque quâ indulgentius.
Huic læta messis, noxium huic lolium; omnium huic
Lucrumque damnumque &, quod offert se omnibus,
Debetur uni Sortis Histrioniæ.
Vetusta succedentibus novis, nova &
Vetens vetustis, semper & puerpera,
Paritque parturitque quæ tantum nova,
Felicium infeliciumque temporum,
Spei metusque, gaudii &, doloris &
Fœcunda semper, semper inconstans parens,
Similisque semper, semper haud similis sibi.
Cui faventi, nec faventi jam cui,
Est certa sedes nulla, nulla regia.
Migrare semper sueta, mutare & locum,
Mutatque sese, cumque sese & omnia
Mutata quæ, nondumque quæ mutata sunt,
Et fixa, & imbecilla, & alta & vilia;
Idemque nîl, ratumque & esse nîl sinit.
Aurora cui vesperque, nox cui & dies,
Diversa semper dictat, aut contraria;
Probatque quæ, mox improbatque quæ facit.
Per quam futuræ est omnis ignorantia
Rei, periculosa, crassa; major &
Quâ nulla nobis, nulla quâ nocentior.
Dives bonorum Sors, malorum dives &,
Avara nunc, & larga nunc, credentium
Fallax fidelem porrigens nulli manum,
Nocens favendo, cujus odium est favor
Amorque, habenda & odio cuilibet,

Se cautus & qui haud fallit, & falli haud sinit.
Habitare Sors, mutare Sors mapalia;
Et ambulare, circumgredîque perpetim,
Passim & vagari, invisere & Prætoria
Regumque turres, pauperum & tuguria,
Sueta, & sui est & omnium mutatio.
Falsi officina, docta tantum imponere,
Technisque mille ex, mille consuta ex dolis,
Tollitque porrigitque quæ res omnium;
Et excitat, perditque quæ spes omnium.
Sors nata Vertumno, atque proles Protei,
Mutationis sola mater omnium,
Et mille (plures mille sed sunt) casuum,
Ignota cuivis, obvia & cuivis tamen.
Multis timetur quæ haud, timenda cum favet,
Amatur & cum non amanda est, perdite,
Amorque & omnium odiumque & omnium;
Laudata quæ, laudata semper nemini est,
Gratumque grata propter haud habet sibi,
Ingrata gratis mixta propter plurima.
Damnata quæ, damnata semper nemini,
Variatque dum, vertitque dum rerum vices,
Alii illa fida haud, fida non unquam sibi.
Sors illa vili Principis struit torum,
Æquatque sæpe Principem vilissimis,
Adimitque porrigitque sceptra cum lubet,
Quotiesque, quo modoque, quandoque & lubet;
Nam cuncta parent unius lubentiæ,
Regnumque in omnes unius licentiæ est,
Scelusque cujus classicum ad raro haud venit,
Venitque virtus, commovet queîs omnia,
Patiturque nil manere quæ sunt omnium.
Nudam levato si intuemur supparo,
Harpyia tantum, sepsque liberalis est,
Regina rerum vana, cæca, cespitans,
Terrâ marique quæ potens, cœlo exulat:
Cœlo, quod & mansura, nostra semper &,
Nullisque nobis auferenda casibus,
Nullisque vulneranda Sortis ictibus,
Deumque totum, cum Deoque & omnia,

Spe-

Sperare possunt vota quæ mortalium,
Votisque quæ mortalium majora sunt,
Hic visa quæ, quæ audita sunt hic nemini,
Humana quæ mens nulla nunc intelligit
Capitque nulla, tota sed minor stupet,
Habetque, datque & servat incolentibus.
Sortem esse Numen credidit dementia
Fecitque sola, nulla qua major datur.
Gaudet superba se coli, & ridet coli,
Suæ illa vanitatis ipsa conscia;
Ventosa quæ, ventoque quæ ventosior
Leviorque, quærit semper & sese & fugit,
Fuisse se & fuit quod, haud credit sibi,
Futura posthac qualis ipsa nescia,
Vorago tantum, promit & quæ quidlibet,
Voratque quidvis, mille penu fraudium,
Mille officina & horreum discriminum,
Damnosa rerum ancepsque semper alea.
Cujus furori nullius par dextera est,
Et parma nulla, robur est & nullius,
Audetque quæ &, & impetitque quidlibet,
Vincet domatque victa nunquam & omnia,
Asiaque præda dives omni & Africæ,
Spoliisque & Europæ omnis ac Americæ,
Argenteisque Peruani messibus,
Quæ cuncta dat, rapitque cuncta & omnibus,
Vivitque rapto ex, furque quæ Lavernaque,
Nunc quæ nocentem, nunc faventem dexteram
Iniqua præbet, temporum felicium
Genitrixque & infelicium nunc temporum,
Hominumque & omnium, omniumque & temporum
Eademque amica, hostisque nunc & omnium:
Nullus quam amavit semper, odit nullus &
Quam semper, illa semper & versutia,
Deliriumque credulis mortalibus,
Amica Sors, amica non mortalibus,
Sors tota quidvis, totaque & nil quam nihil.
Futura quæ sit qualis, ignotum haud sinit.
Quæ sit, sequentis semper est index rei,
Factamque nondum, facta quæ exemplo facit,

Ter-

Terretque & admonet, regitque providos.
Vidi improba Sortis furore fertiles
Lætosque campos æquori substernier,
Fierique & æquor; vidi aratro perviam
Domitamque Tethyn, arva fruge turgida,
Cererique gratam, Tityro & gratam domum:
Quæ jam ambulantes regna per Neptunia
Galatea Tempe, Phyllis & comes putant;
Suumque Naturam haud tuentem jam locum,
Vidique nuper, & videbunt posteri.
Vidi exules Reges, & incerti laris,
Et sparsa regna; & obsequentium manum,
Numerosam &, & paulo ante pollentem manum,
Sexus, locique, & ordinis cujuslibet,
Per mille tractam & perditam discrimina,
Mendicitate sordidatam vel fame,
Disertam ubique, deserentem & omnia,
Cui exulanti spes resque non comes,
Comesque nullus, conjugum præter fidem,
Miserumque præter parvulæ prolis gregem,
Lachrymasque præter, funera & viventium,
Patriæque & ossa præter & cineres suæ,
Et efferentes se, sua &, superstites,
Ipsisque busta jam, sepulchra jam sibi,
Vidique nuper, cum viderem & horrui,
Variæque diras horrui Sortis vices,
Suo illa quæ intactum furori nîl sinit,
Nihilque inausum rerum, & illæsum nihil.
Vidi furentem contra & armatas manus,
Manusque mille Principum, sed impares,
Oppôsta frustra pilaque & minantia,
Et vim, dolumque & irritum castrensium;
Vidique nuper. Vidi & absque nomine
Tribuque lectum Principem plebi virum,
Hamumque præter, rete cui præter nihil
Indulserat Fortuna; vidi & exui,
Brevique, visum & pene & haud visum simul,
Nuperque vidi. Sæpe Sors monstrum parit.
Vidi ipse, Sortis temporumque injuria,
Sceleri datum jus, carceres virtutibus,

Bo-

Bojasque furcasque ac, & infames cruces,
Miserique tædium ac & errorem exili;
Malorum & esse quæ bonorum præmia,
Opes, honores, fascium que insignia,
Et vim securis, semper infestam bonis,
Magnum & clientium & colentium gregem.
Vidique nuper; & videre nunc dolet.
Vidi securi subjici Augustum caput
Regis potentis, terque sceptra maxima
Insanientis rapta plebis in manu,
Vidique nuper, horruique: nuper &
Raptim superbo Lysiæ regno exui
Vidi Philippos, se occidens queis subjicit
Surgensque Phœbus, omnium pridem metum.
Vidique priscâ gentium dextras fide
Pridem ligatas, jam solutis vinculis
Ruptisque, pacis fœderumque nescias,
Nullis priorum læsa quondam seculis,
Lædenda nullis, læsa quæ tradunt nihil
Infesta paci posteris quam tempora;
Vidique nuper, & stupore percitus.
Vidi ferentis Sortis indulgentiam
Animosque, resque, spesque perduellium,
Et improbos & regicidas perfidos
Augere miris ac tuerier modis,
Moderator ac si nullus humanæ rei,
Scelerumque justus ultor aut Deus foret;
Vidique nuper, & videre nunc dolet.
Vidi ipse frangi posse ferro & subjici,
Sorte id volente, arcesque & urbes, regnaque,
Invicta mendax fama dum esse prædicat.
Vidi ipse amores principesque principum,
Faventis orta Sortis ob fastidia,
Tuentiumque amantiumque inter gregem,
Lictoris infami hostias cæsas manu,
Furcâ insepultum & ante adoratum caput.
Vidi benignæ blanda Sortis, Sortis &
Ferocientis, & novercæ, & horrida
Documenta nullis visa quondam seculis,
Credenda quæ vix post futuris credimus,

Nuperque vidi. Tanta, (namque expresserit
Vertiginem omnem nullius facundia)
Et sola constans sortis inconstantia est.
Perfossa vidi dexteris civilibus
Pollentium ante gentium vitalia,
Excisa regna regna deserta, aut novis
Sedes colonis, regna solitudines
Et vastitates regna florentissima,
Hominumque non jam, sed ferarum immanium
Spelæa tantum, Regias tantum Famis
Sitisque, rerum & omnium Indigentiæ,
Vidique nuper. Sortis hæc tyrannis est,
Vidi ipse Lethi falce, falce toxici,
Contagione & pestilentis aëris,
Demessa raptim regna, & urbes funera
Ac busta, pridem turgidas frequentia,
Auctasque res lætasque vespillonibus,
Foroque agroque in solitudinem ac domo,
Noctes diesque clade tantum nobiles,
Ipsam & Charontis remigis lassam manum,
Nimisque & arcta regna jam Plutonia,
Vidique nuper. Morsque Sors est omnium.
Vidi ipse ab alti turribus prætorii,
Fastigioque &, & supremo vertice
Honorum, ad imum dejici magnos gradum,
Coluisse & à quibus coli se spernerent
Paullo ante, turgidosque & ignaros sui,
Sibique & inquieta tantum somnia,
Et vaniora somniis quæ somnia;
Præsertim in aulis Principum ac palatiis,
Excelsa queis insomniat quivis sibi,
Vidique nuper. Sors inane somnium est.
Vidi innocentum liberûm parvum gregem,
Ad sceptra natum, parta majorum manu,
Et gesta quondam mille quæ majoribus,
Et gesta nuper, & gerenda posteris,
Si fasque jusque, si valeret æquitas,
Suoque jam regno suorumque exui,
Manuque furum &, & latronum pollui,
Insana quos instigat immodestia,

Et possidendi quæ est libido quidlibet;
Nuperque vidi. Iniqua Sors est optimis.
Tot fœda Sortis inter & ludibria,
Fallique se sinentium deliria,
Sapiens paratus & suus, sua ac agens,
Armatus adstat, pervigilque, & ordinem
Aciemque servans. Sortis hic nulla est manus.
Præsente luce fulgida prudentiæ
Fugiunt tenebræ, luce Sors media ex licet
Noctemque moliatur & caliginem.
Est lux diesque fax & omnium prudentia,
Fugitque lucem hanc Sortis imprudentia.
Non lusca, cæca tota, tota cæcitas,
Videntium & dux cæca non videntium;
Namque is videt nil, esse qui cæcam haud videt.
Nox tota, longa est, spissa nox, nox densaque,
Illunis &, nulloque clara sydere,
Diluculo absque & absque qua crepusculo,
In lucis auras quisquis hujus prodiit,
Extorris est, inanibusque & obsitus
Semper tenebris, sordidatus & reus
Vinctusque semper, Sortis anceps alea,
Fritillus ac, & nulla cui absenti quies
Patriâ domoque, omnique cæli regia,
Seraphimque & omni, Cherubim & consortio,
Pœna & sui & periculum periculi,
Deceptus &, volensque & ipse decipi,
Dulcis veneni pasciturque toxico.
Sors læta, certa, sola quæ cœlestium,
Hæc vita tristis exili est tantum mora,
Qua longiusque longiusque & absumus
Nostris caremus mille per quam commodis,
Bonisque mille, queis mali admixtum est nihil,
Nihilque, & inconstantiæ & metus nihil,
Spei & nihil, dum possidentur omnia
Sperata quæ sunt, quæque sperari queunt
Spe qualibet, spe quæ est avara & omnium.
Cælo in nihil nam defuturum est. Sunt pares
Opesque & ejus mille plus quam sæculis,
Omnis futuri & sæculi decursibus,

Natisque juxta, & nascituris omnibus,
Et multitudini ullus haud quam expresserit,
Viditque nemo, nullus & visurus est.
Deccatque quid nos, quidque sit miseris opus,
Nescimus omnes: sæpe Sortis creditur
In abdito faventis esse injuria.
Et vita morsque nunc placet, nunc displicet,
Non una sese ut ora Sortis offerunt:
Cum Sorte mutant vota se mortalium,
Secunda primis vota sunt contraria,
Votis secundis tertia & rebellia:
Nam mens vovendi nescia est mortalium.
Dici beatus ante nemo funera
Suprema debet. Sorte fractum vidimus,
Re speque & exutum superstitem virum,
Virum superstiti sepulchrum jam sibi;
Vespillo Sors est plurium viventium,
Libitina Sors est, Morte Sors nocentior.
Inanibus vexata Sors est questibus,
Scævamque iniquamque & vocamus, cum haud nocens
Sit illa. Nemo se sibi est nocentior.
Nos culpa nobis, pœna nos nobis sumus.
Sors quæ nocere sæpe nobis dicitur,
Cum noxia est, nocentibus tantum sibi est.
Calorque frigusque, imber ac serenitas,
Libido qua haud vult, damnat & mortalium
Subinde diris imprecationibus,
Meruisse diras non putanda. (Numinis
Enim benigni munera hæc sunt omnia,
Quod cuncta Sortis quam putamus dirigit)
Seu blanda se illa, blanda seu non offerat,
Pravus sibi, hostis quilibet solus sibi est;
Secum necesse est ut nocens expostulet.
Sors omnis instar concitantis se est maris,
Dantisque tot, sorbentis & tot flumina;
Sors cuncta dat quæ, cuncta Sors quæ devorat,
Avara semper, liberalis nemini.
Pluvio Jove ex ut fœta tellus concipit,
Fœcunda frugum mater, & sicco Jove
Steriles arenas inter & siccas sitit;

Sic

Sic Sorte blandiente quidvis provenit;
Non blandiente sed negatur quidlibet.
Sortique subsunt obsequunturque omnia.
Quærenda sunt æterna quæ, quærenda non
Sunt ergo sortis illa, quæ oriuntur &,
Et occidunt: nostrûm illa sors quæ est omnium.
Perculsa mens tonantis ut metu Jovem
Deum esse finxit; sic & inter numina
Sors est recepta, rerum & omnis, temporum &
Mutatio omnis singulos dum exterruit
Gentesque. Primos fecit & Deos metus.
Immite sors quæ numen, est (numen si habet)
Omni prece, omnibusque inexorabile.
Per sortis est nil permanens versutias,
Vorago tantum; nam vorax sors omnium est.
Explere cujus omnia haud possunt famem,
Famem, ipsa quæ multo est minus vorax fames,
Sitimque nec. Sors plura nam semper sitit.
Sorti, haud fidelis qui sibi est, habet fidem;
Sors tota quanta nil nisi est mendacium;
Eritque semper inclytum mendacium:
Et forte mens superba mentitur sibi;
Mendacium tantum omnis est superbia.
Sors sæpe victrix est; sed innocentiæ
Constantiæque vincitur victoria.
Melissa rore ex mel suum mane ut legit
Ex flore amaro, rore si sit uvidus;
Excelsa sic mens ex malorum sentibus
Spinisque profutura seponit sibi,
Faveatque sors adversa ut, actutum jubet;
Jubensque sortem & obsequentem mox habet.
Febriens secunda & læta sors est omnium,
Sed quæ laborat illa, semper haud febris manet,
Quartana nunc, nunc Tertiana & ingruit,
Decumana nunc, Nonana nunc & impetit.
Homini videtur esse nil æquabile,
Hominique nil æquabile esse Sors sinit;
Clavoque clavus, cura curis pellitur,
Medicâque sæpe fit novus morbus manu.
Obducta nubes Solis ut splendoribus

Non officit; nec solis exstinguit jubar;
Sic Sors novercans officit quidem bono,
Bonum manere sed tamen virum sinit.
Rota ut terendo se terit versatilis
Molæ, & terendo cuncta se sors deterit,
Ceditque tandem iniqua, cassa virium.
Sortem esse tabem nil nisi, apte dixeris;
Adversa semper & secunda deficit;
Palam illa &, hæc & deficit, cum incipit,
Timenda & ergo haud tabidæ est iniquitas,
Facienda magnî aut tabidæ indulgentia:
Iniqua nam brevi est, & indulget brevi:
Nullum putandum est aut malum, aut breve:
Nil scena quam, nil Larva quam mortalium
Insana res est, quam instruunt deliria
Vertentis in se sortis omnia. Hæc Getam
Herum facit, mutatque & hæc herum in Getam;
Irum esse & Irum, Cræsum & haud Cræsum sinit.
Vis scire Sortis quanta sit potentia,
Longeque quam lateque sese exporrigat?
Fugatque Sortem nullus, & nullus fugit.
Amor cui addit & nihil mortalium,
Mortaliumque & odium demit nihil.
Libido nulla est lege cui coarcita,
Lex cujus omnis vertitur libidine;
Sceptrum omne cujus subditur libidini,
Mortalium est lex sola quæ libidinis,
Et norma sola, norma ut est & omnium:
Sufflaminare velle cujus impetum,
Minusque & impar quidquid est, ostendere est.
Faberque nullus duxque nullus Sortis est,
Sortisque non & ullius. Sors est sibi
Omne illud, illa cæca Sors quæ creditur.
Viæ ille qui sapit ducem haud cæcum legit.
Sit ira trux, sit & tyrannis præferox
Jussis cruentis, sortis ira major est,
Major tyrannis, cum novercari incipit;
Lucemque claudit providentis cæca quæ,
Solâque cæcitate tantum illustris est.
Sors est homulli, vano homullo ex gignier,

Nihilque qui est, nihilque & ipse quam nihil.
Sors omnis exsors omnis est constantiæ,
Levitatis omnis omnis & constantia est.
Favilla tantum &, & cinis fuliginis
Sumus. Cadaver obvium id quemvis docet.
Mansura sortis nulla; Sors mî displicet.
Negotiorum est involuta fluctibus
Foris, periclis mille & obsessa est domi,
Hæc quæ putatur vita; mille falsus est
Erroribusque, mille sortis & vices,
Mille hæsitationum & inter; milleque
Casusque rerum, & omnium vertiginem,
Quâ nulla vertit se indies velocius,
Mansura pollicetur hic quisquis sibi.
Mansura tantum nos manent, cum viximus,
Manetque vita, morte quæ non desinit.
Acidisque litigare ronchis, tundere
Et Sortis aures sævientis, haud mihi
Aliud videtur, ira quam irati sibi;
Sortisque vim incitantis adversariæ.
Sors est Megaræ ad instar, est furialibus
Accincta quæ serpentium tot vultibus,
Diversa quot Sors, quot levis, vultus habet.
Spes, quæ futuris alligat se temporum,
Incerta quæ sunt sortis inconstantiâ,
Non illa spes est, verus est tantum metus.
Non indigenti semper indigentia
Sors est avaro. Avarus & caret suis.
Mutata sortis sceptra ne quis jam putet,
Majora sceptris efferunt sese omnibus:
Nil subrutum non, perditumque non sinunt,
Hominumque quidquid omnium & rerum omnium est.
Scrutanda non sunt quæ Tonantis intimi
Sunt consilI. Non vult doceri, sed docet.
Nihili qui homo est & sæpius fit plurimi,
Faciendus & qui plurimi, contemnitur.
Nil sorte cæca se esse prodit cæcius;
Nil sorte vanâ se esse prodit vanius,
Tollitque honorum nunc caput, nunc & premit.
Cæcusque vanusque est, qui habet sorti fidem.

Non obloqui, parere sorti convenit;
Silentium pars major est sapientiæ.
Tempusque Sorsque se sua in vestigia
Volvuntque semper, semper & secum omnia.
Ruit orbe cum ruente inexorabilis
Sufflaminanda haud temporis velocitas;
Redeuntque nobis ac, euntque & omnia.
Insana tantum à sorte plebes pendula est,
Et tota sortis, sortis & perpes pila,
Risusque &, & jocus, levisque incertaque,
Mutante vultum sorte mutat & suum.
Senem ipse vidi, viribus sed nobilem
Senem juventa, perspicacis ingenI,
Legere una cura, scribere & cui omnia,
Cui sors secunda indulseratque quidlibet,
Cujusque amicum humanitas mî fecerat,
Illum æstimatum &, æstimandum & omnibus,
Rei vetustæ gnarurem Scriverium,
Antiquitatis promicundum nobilem,
Utroque cassum desidentem lumine,
Vidique nuper: & videre nunc dolet.
Est velle & idem, nolle & idem, perpetim
Sortis faventis velle commodis frui:
Permixta nam sunt plurimis incommodis.
Externa bella cum silent, gliscunt domi,
Quibus petuntur gentium vitalia;
Et ista perpes sortis est injuria.
Hic flere, & usque, & usque & usque plangere,
Tacitisque sese pascere & singultibus,
Hostes bonorum plurimos inter, bonos
Paucosque, Sors est optimis mortalium;
Luctusque contubernium, innocentiæ &,
Vidi ipse nuper. Læta sors ridet malis.
Et unde abimus, quoque abimus, noscimus,
At quo modo, quo tempore, haud cognoscimus:
Miserorum & ista haud certa sors mortalium est.
Deum fateri est vita sola; obsequi &
Servire, regnum est. Gloriosa servitus,
Qua dulcius nihil, nihilque lætius,
Leviusque vana cuncta judicantibus,

Sortisque contemnentibus fastidia.
Via & via, vitaque vita Christus est,
Amorque amoris, luxque lucis omnibus,
Decor decoris, absque quo nil omnium
Factum est, nihilque facta quæ sunt omnia.
Deus haud quod est, id esse censendum est nihil,
Magisque & est, minusque multo quam nihil:
Et tale sortis omnis est choragium.
Deo datur quod, non datur; Deus dedit
A dante quidquid accipit, totum dedit;
Tamenque gratum Numen est reddentibus.
Dei est faventis larga liberalitas;
Solus sibi &, solus tibi &, solus mihi &,
Ille unus, omnibusque & unus sufficit,
Grataque tantum mentis hostiam exigit.
Petulansque sors, & arrogans, & arrogans
Quidvis sibi, arrogare cum tamen sibi
Nil illa possit, præstat ac confert nihil.
Dubiæque sortis, hæsitantis oraque
Sæpe ipse vidi, sortis ac obnoxium
Vicibusque rerum mille, mille casibus,
Rerumque certum nec satis, nec & sui,
Inopemque & omnis indigentem consilI;
Sic cespitat plerumque sors & hæsitat.
Est fœdius nil, nilque & est deformius,
Sunt ora quam formosa, quæ mentem tegunt,
Vitiisque pastam & atque turgentem omnibus,
Scelerumque & hospitam, officinam & omnium.
Et subditorum negligentes Principes,
Et negligentes Principumque subditos,
Mutabilis dum nesciunt sortis vices,
Mansura semper & putant præsentia,
Spolia esse sorti sæpe, non vidi semel,
Vidique nuper. Sortis hæc potentia est.
Custosque & ille, amorque & ille qui omnium,
Et Tutor & Curator ille qui omnium,
Præsensque semper, semper ille pervigil,
Cum commodis & excubet mortalium
Faveatque rebus, semper est ut excubans,
Vigilatque semper, nulla sortis regna sunt.

Virtutibus quæ se offerunt sublimia,
Bonæque frugis plena dote pectora,
Sunt grata sorti haud sortis est contemnere
Quodcunque Sors non præbuit mortalibus.
Iniqua sors dat quidlibet, dat & nihil,
Rapitque dum, donatque large & omnia,
Et copia omnium, omnium indigentia est.
Tumulo sepulti corporis qui omnes sumus,
Tumulusque queis & corpus est & vinculum,
Boiæque tantum, præter est mortem nihil;
Mortisque nil est, sortis & sunt omnia:
Quæcunque solis ambiuntur ambitu,
Sunt tota sortis. Versat & sors omnia,
Manere eodem quæ nihil sinit loco,
Fixum nihilque, nilque quod durabile,
Adesse non quod, esse non quod dixeris.
Hominisque non est posse, quod factum cupit,
Hominisque non est velle, quod fieri haud potest;
Vidi volentes, vota sed tantum sibi
Stulte negantes, & negantes plurimos,
Nuperque vidi. Adversus is qui sortis est
Vicibusque casibusque, sortis victima est.
Sortis domare est cuncta. Sortis casibus
Objecta moles nulla mortales tegit,
Nullosque servat. Lusus & tantum jocus,
Fumusque sortis omnis est potentia,
Libidine &, dextraque & indomabilis.
Lustrare pompam & si triumfalem lubet
Sortis, subegit, subjicitque quæ omnia,
Spolia omnia & prædasque, læta & fercula
Nullus triumfus inclytus quibus fuit,
Domitorque nullus hostium pollentium,
Orbis ligatas subditi vide manus,
Post terga tracti &, Principumque & gentium,
Et eminentis, vilis ac dextras viri,
Boiisque ferreisque clausas vinculis.
Victoria omnis sortis & triumfus est,
Nulli domandæ &, & domantis quemlibet.
Conceptio est polluta, & ortus omnium
Plenus laboris, est & occasus metus.

Horror.

Horrorque, vanâ vanitate vanior;
Laboriosa & territans mortalium
Res omnis est. Hac lege sortis nascimur.
Vita omnis ista pœna tantum est & dolor,
Horretque tantum, contremiscit totus &,
Quisquis futuri haud immemor, nunc Tartari
Tetros hiatus cogitat; nunc ignium
Æterna quæ tormenta, & ora judicis,
Impura cui, polluta cuique pectora
Placere possunt nulla, prudens cogitat;
Præbetque sese haud sortis indulgentiæ,
Quæ surgit instar fulminisque & occidit.
Æternitatem cogitanti haud sors placet,
Felicium aut, felicium aut non temporum.
Scelerumque vivax omnium est memoria,
Tortorque perpes est scelesto & pervigil;
Noctu diuque quam fatigantem nihil
Fatigat unquam, quamque & excludit nihil:
Sors ista semper omnium nocentium est,
Est vita pœna, morsque tantum vivere est:
Nil esse, nil fuisse, sors est omnium.
Torrens calamitatis est vita hæc, mare
Semper procellis inquies, vestigia
Sortis faventis fixa quod nunquam sinit.
Efferre sese sortis indulgentia,
Opibusque turgens pectus ac honoribus
Fœde ac superbum, nil arundine est nisi in
Equitare longa, gens pueritiæ ut solet
Equitare. Sortis dona sunt arundines,
Paleaque stramenque, & quod his infirmius.
Reique fulcrum & destinam semper sua
Putare pronam Principum faventiam,
In aula amici præpotentis & fidem,
Nescire sortis est vicissitudines,
Tremulisque stulte figere in grallis gradum,
Facilisque queis ex lapsus ac descensus est.
Vidique & umbrâ cum, & sacrorum imagine
Larvata sors, ut obtegens semper sui est.
Sua & fateri quam ora perfidam pudet,
Sacris profana quæ anteferret omnia.

Et templa temnit, temnit ac altaria,
Colitque Numen, esse quod Numen negat,
Speciem putatque & esse cultum Numinis:
Vidique nuper. Sancta sorti nulla sunt;
Struitque templa, templa sors & destruit.
Vidi ipse vela plurimos expandere
Ventis secundis; ira sed cum surgeret
Maris furentis; ingruens & fluctuum
Insana moles, Æolique ex rupibus
Una Eurus &, Notusque &, una & Africus
Creber procellis, undique impelli ratem,
Palinuri & ipsas impares clavo manus:
Vidique nuper. Læva sors mortalium est.
Salebrasque per, per saxa quæ fragosa sunt,
Angustiasque, rupicesque, & ardua
Vidi laborum posse vix emergere
Animo eminentem maximo ac fortem virum,
Vidique nuper. Pejor est sors optimis.
Vitiis superbos, mancipes libidinis,
Scenæque tantum servientes sæculi,
Nullis redemtos bubsequas virtutibus,
Curulibus vidi in sedentes sedibus,
Vidique nuper. His favere sortis est.
Excelsa vidi corruisse maximo
Subitoque casu, cæca per discrimina,
Nullique quæ provisa providentiæ,
Nulli & cavenda, & omnibus minantia
Vidique nuper. Instar est sors fulminis
Fuisse nîl nos, esse nos etiam nihil,
Nîl nos habere, possidere nos nihil,
Nihilo & futurum debile hoc corpus minus,
Pridemque vidi; & ossa cum, cum amantium
Cineresque tristi conderem mœstus loco;
Sunt quæ, fuere quæ, futura quæ omnia,
Nil esse vanum præter, insanum & nihil,
Nuperque vidi. Est sors nihil præter nihil.
Frangi metuque plurimos, spe & erigi,
Spemque inter hæsitare &, inter & metum,
Vidique nec spe sospites, nec & metu,
Vidique nuper. Sortis est spes & metus.

Speranda multa offerre se mortalibus,
Timenda multa, sed timenda pluria,
Plerumque vidi (Principatus nam metus
In rebus omnium omnibus mortalium est)
Vidique nuper. Magna nam Sors mater est
Mille & malorum, milleque & discriminum.
Vidique partis inclytos victoriis,
Multâque pompâ jam Triumphi nobiles,
Domitoque quovis hoste, tandem hostes sibi,
Et omnibus nocentiores hostibus,
Mox perditosque & ambitu & superbia;
Vidique nuper. Sortis hæc insania est.
Vidi ipse ementes omnia, & vidi omnia
Cum vendidissent, possidentes jam nihil,
Agrisque & olim divites, casæ indigos,
Suisque egenos exulantes sedibus,
Nihilque queîs quam perditi memoria,
Diurna quæ, nocturna quæ semper redux;
Vidique nuper. Sortis hic forum Orbis est,
Emitque Sors, venditque Sors & omnia.
Vidi & superbum se efferentium gregem,
Stolideque & ante se ferentes omnibus,
Vilesque spernendosque scurras optimis,
Vitiisque dum est laus, dumque virtus spernitur,
Algetque. Nam est adversa Sors virtutibus.
Catoniana præditus sapientia,
Morumque custos & magister omnium,
Sortisque quæ sunt vilipendens omnia,
Et Sorte quavis qui ingruente major est,
Raro videtur. Nota Sors paucissimis.
Clypeoque qui, parmaque qui virtutis est
Munitus, & constantiæ septemplice,
Minasque & iras Sortis omnes despicit,
Ridetque. Vidi turbine infelicium
Tractum virum raptumque fœdo temporum;
Vidique lætum & erigentem mox caput,
Cunctisque Sortis enatantem fluctibus,
Majorem & irati maris vesania,
Vado in quietum & portuum malacia;
Vidique nuper. Sorte virtus major est.

Vidi

Vidi diurnâ sæpe nil factum manu,
Nocturnâ &, esset fessa cum laboribus;
Raræ & fuisse præmium haud industriæ,
Emptumque magnis & nihil conatibus,
Nihilque partum &, & minus quam ipsum nihil;
Viamque lasso sæpe detritam pede
Juveniqne frustra, frustra & imbelli seni;
Nuperque vidi. Haud æqua sors laboribus.
Decumana vidi fluctuum pericula,
Et turgidum æquor, & furentis Æoli
Iras minasque, moxque pacatum mare,
Ventorum & altum, fluctuum & silentium,
Vidique nuper. Sortis anceps æquor est.
Atrata virtus, sordidata &, & rea,
Despecta prodit plurimis mortalium;
Nullâque quæ stipata quam calumniæ
Cohorte nigrâ & lividæ invidentiæ;
Nuperque vidi. Iniqua sors virtutibus.
Vidi ipse & annos messe quavis nobiles,
Opibusque, fruge & horreorum divites:
Sterilesque vidi, nobiles tantum fame,
Redeuntis ære & rustici levem manum,
Nuperque vidi. Avara sors est largaque:
Prodesse nunc, nocere nunc & assolet.
Mortalium ille est omnium stultissimus,
Rudisque vanæ & imperitus sortis est,
Vicissitudinumque rerum & omnium,
Mutationumque & futuræ quæ omnium,
Mansura quisquis pollicetur hic sibi;
Vidique falsos. Sortis omnes fallere est.
Frigetque nunc ut, nunc caletque, sicca nunc,
Pluviique se dant ut Jovis nunc tempora,
Ridetque nunc, nunc fletque qui Autumno est dies;
Non una sic se sortis ora proferunt:
Lachrymisque nunc sparsa ora, nunc ridentia,
Sæpe ipse vidi. Haud unius sors oris est,
Et tota nil quam Autumnus haud æqualis est.
Fortuna quod dedit tibi, haud dedit tibi,
Repetitque & aufert mox iniqua quod dedit:
Fortuna mater & doli & fallaciæ est;

Dolusque tota, totaque & fallacia,
Vidique falsam & esse, falsos plurimos
Vidique nuper. Falsa sortis omnia.
Subinde flore nîl vides florentius,
Subinde marcet; veste & arbor frondium
Nunc est superba, exuta nunc est omnibus;
Velata sic sors purpurâ mortalium
Nunc, nuda nunc, investis est ac algida.
Per mille rerum, & plura per discrimina,
Ipsosque & ignes, perque commotum mare,
Jactata sæpe plurium innocentia est,
Major columbæ nulla quâ, vel turturis,
Quâ sanctius nihil, nihilque castius,
Majorque nulla quâ datur mortalibus:
Vidique & ipse. Non nocenti sors nocet,
Levisque nulla sortis innocentia est.
Pulvisque, & umbra, & horror ac imagines
Erroris hic sumus, ducesque errantium
Et assecla, trochusque sortis ac jocus,
Et sola sortis improbæ occupatio,
Merx sola nunc ementis &, vendentis &
Sortisque tota. Principatus sortis est,
Regnumque quod se exporrigit per omnia.
Lux & tenebræ, noxque sunt, sunt & dies,
Quæcunque nobis sortis ora se offerunt.
Hominumque sorti qualibet quæ obnoxia,
Vidi esse, non & esse eodem tempore,
Nuperque vidi. Sors noverca tempori est.
Vidi superbi remque spemque perditam,
Lassamque tandem sortis indulgentiam,
Vidique nuper. Sorsque versipellis est,
Et tota sors quæ, sortis est & vanitas,
Leviusque nîl quam sortis est constantia,
Constantiusque sola quam inconstantia.
Caute est agendum quidlibet quibuslibet,
Minimisque juxta & maximis mortalium,
Minimisque rebus maximisque in omnibus,
Et cum jocamur, cumque seria occupant,
Penuria in rerumque & affluentia,
Sermone in inque opinione, in & fugâ

Fixâ

Fixâque sede, ipsa in quiete &, ipso & in
Labore, prosperisque in, inque improsperis,
Sacris profanisque omnibus negotiis,
Aliena si vel, tu vel & cures tua,
Et in frequentia, inque solitudine,
Et hostium inter ac amicorum gregem:
Nam Sortis ita est quæ, est & implacabilis,
Noctu diuque, ubique &, omni & imminet,
Quo blandioris oris, hoc nocentior.
Vidi perisse negligentes perdite,
Pluresque vidi. Adversa Sorti haud quæ excubat
Securitatis hostis est securitas.
Sunt cuncta Sortis, Sortis & futura sunt:
Superba Regum sceptra qui major gerit,
Mutanda Sorte debili tenet manu,
Olli secunda Sors manere non potest,
Adversa qui haud expertus ulla Sortis est:
Nil Sortis omnes inter est injurias
Amantium jucundius concordiâ;
Non aura grata balsami cum spargitur,
Gratusque cum ros gemmulis argenteis
Heliconis aut Pindique pingit gramina,
Aut verna dulci inebriat cum pascua
Madore, spargit montis intonsi aut juga.
Adversa quæ sunt Sortis explorant virum,
Virique magni robur & constantiam.
Clivi impediti nititur per aspera
Ad invidendam vera virtus gloriam.
Iratus esse Sortis haud iræ velis;
Irasceris cum, fortius semper nocet.
Armata mens cui est omnibus virtutibus,
Virtutibusque quæ probantur omnibus,
Vitio ille se disperdit uno, ac interit;
Non rara Sors hæc maximis mortalium est.
Sit parmâ, & hastâ sitque acutæ cuspidis,
Galeâque quis tectus caput, septemplicem
Clypeumque magni gestet Ajacis manu,
Perit faventis Sortis indulgentia,
Minorque & impar semper indulgentiæ,
Fuci colore nullius velare se,

Pro-

Proferre nunquam falsa, non morarier
Promissa cuiquam, odisse & invisos palam,
Et mente virus pestilens non condere,
Speciemque lætam haud fraudibus præmittere,
Certum ac paremque pectori componere
Vultum, nocere in abdito ac cuipiam
Nefas putare, ut plurimum Sorti haud placet:
Adversa Sors hinc optimis mortalium est,
Solisque queis est debitus Sortis favor.
Boreas rigore sævit, igne Sirius;
At sola Sors est quolibet cuivis nocens;
Honore veris æviterna vita quæ,
Excepta sola Sortis his est casibus.
Sors est eosdem perdit & quæ, & erigit.
Ægris medenti ingrata quando absynthia
Offerre cura est, poculi oras oraque
Circum imbuit liquore semper melleo;
Licitisque sæpe parvulos fallit dolis:
Sic dura Sors, immitis, adversaria,
Ridentis ore ingrata quæ sunt porrigit,
Sanatque pectus ejus & cui porrigit.
Nil Sortis imputes, sapis qui, injuriæ:
Sapientia illa mî videtur omnium
Habenda princeps, sortis ignorantia.
Nil sorte quidlibet movente immobile est;
Immota sors hæc omnium mortalium est.
Fulgore lampas qualis & Phœbeja
Exorta mane, luce donat omnia,
Orto & tenebris cuncta damnat Hespero,
Sors talis est, & talis est Sors omnium,
Oriturque quæ, occiditque quæ nunc per vices,
Nunc & nocetque plurimum, nunc & favet.
Quodcunque sors cupit, ratum esse illud jubet.
Statio carinis nulla fida sortis est;
Fiditque qui, futurus est & naufragus.
Quid fera sors vectura, vesper serus &
Vecturus, ignotum esse constat omnibus.
Facto facit quod omne sors pronunciat.
Insana plebes imputandum quod sibi,
Sorti imputare est sueta, quidquid est mali;

Tribuitque quidquid est boni tantum sibi.
Sorte est beatus quisquis, & fit efferus,
Et alta tantum sidera impetit Gigas.
Levior ferendo sortis est calamitas.
Monumenta sunt quæ illustris omnis ingenI,
Quamquam superbi venditent sese ingenI
Exempla, queis & ira non magni Jovis;
Nocere & ipsum haud posse fulmen creditur,
Edax vetustas non & ipsa temporum,
Periisse nunc, nunc & perire vidimus:
Peritque sorte temporum, ac intercidit,
Pereuntis omne quidquid est scriptum manu;
AccIque & EnnI, nobilis Vacuvii &
Jam plura frustra quærimus, quam volvimus.
Nasonis & quæ, & quæ Maronis omnia,
Dictante quamvis scripta quondam Apolline,
Æternitate digna cedroque omnia,
Mansere nobis sortis haud injuria;
Ut nec manebunt tot virorum illustrium,
Coluntque nostra quos stupentque tempora,
Monumenta semper. Sors negabit posteris;
Noverca sors & ingenI est laboribus.
Et ista, plura &, scripta BoxhornI manu,
Sed imperita quæ artis ac rudis manus,
Victura semper nescia est quæ condere,
Casso labore quæ fatigat se manus,
Spoliumque sortis victima & futura sunt.
Secundâ abuti Sorte nîl quam pellere est.
Humana sorti se parem haud offert manus;
Nimis faventem haud est, nocentem aut quæ domat;
Invicta sortis omnis est potentia.
Placido carinam ut nauta ducens æquore,
Futura cum non providet, fit fluctuum
Ventique præda; sortis inter prospera
Risusque sic se, nescius contrariæ,
Contrariæ nec obvius prudentiâ;
Miser, favente sorte quamlibet, perit.
Sors certa nota nemini est viventium;
Incerta Sors ut omnium est natantium.
Sortem colit qui, qui æstimatque, altaria

Focosque mitis sæpe non colit Deæ.
Tuum quod est sors omne vendicat sibi;
Sors prædo tantum aufertque & omnia & rapit.
Imago nil quam sors favens faventis est,
Parata multa sortis ut bellaria,
Parata semper tela sic sunt cuilibet.
Nil sorte iniquâ mî videtur æquius;
Iniqua cum videtur, æqua sors bono est;
Meliore iniqua donat omnes pectore,
Incerta dum offert sola quæ sunt casuum,
Mei sub urbe prædium Scriverii,
Nuper videbam, flore lætas arbores,
Rore & madentes, læta campi gramina,
Lætasque fruges, & bonum ac ovium gregem,
Curata large hirsuta queis erat cutis;
Simul videbam multa mox examina
Muscæ nocentis, hostis est quæ floribus:
Adversa semper prosperis permixta sunt:
Sors promiconda semper & boni & mali est,
Vertumni se mutatque sese in omnia
Vertitque sortis, sæpe sors huic favet,
Gravi malorum oppressus est qui sarcina,
Gravique Sortis, sæpe Sors huic favet,
Nocere dum videtur illi plurimum.
Fraude absque non doloque non, mortalium
Sors omnis est. Nam Sortis est versutia.
Terrore cum omnis plena sors sit omnium,
Sapitque qui, qui providetque, cur vices
Amat faventis sortis? Haud ulli manet.
Procul pericla sortis esse cum autumas,
Propinqua sunt &, sæpe sunt & omnia.
Florentium annis triste funus ErpenI,
VlnnIque vidi nuper: & florentium
Vi illustris ingenI; sed omnis ista Sors
Est & juventæ, eritque semper &, mori
Instar senum, queis multa jam risit dies,
Et multa fluxit. Parcit illa nemini.
Arausiorum triste funus Principis,
In vere rapti ætatis & flore in suæ,
Vidique nuper. Principatus Sortis est

Immen-

Immensus, ulli haud major ut siet datus.
Opum potentes unico exutos die
Nudosque vidi. Sortis est potentia,
Sors omnia &, sortisque sunt & omnia.
Iniquitate sortis haud iniquius
Se quidpiam offert. Tota sors iniquitas,
Insana dum favet malis, nocet bonis.
Bono est maloque adversa sors faventibus,
Malis favere noxiæ plenum est; bonis,
Furias malorum semper irasque excitat.
Alium beatum sorte præ quivis suâ
Laudatque prædicatque: nemini satis
Sua & facit. Placere nulli sortis est.
Labore quod non possumus scientia;
Sed sors labori sæpe non, scientiæ aut
Favere sueta, & irritus sit ut labos,
Sit vana & omnis, efficit, scientia.
Geriturque nîl & sæpe nisu maximo,
Multumque nullo sæpe. Totum hoc sortis est.
Contra repugnant vota se mortalium,
Adversa dum sors indies obstat sibi.
Industrius labore quod vir plurimo
Sibi & parat suisque, sortis invida
Tandem videmus disperire injuria.
Sunt corporis multum est quibus, mentis nihil,
Sunt mentis est multum quibus, non corporis;
Sunt ora queis decora, mens deformis est,
Sunt ora queis decora non sunt, mentis at
Excelsa virtus. Pauperes sunt ingenI
Opibus superbi; vi potentes ingenI
Opum indigentes. Alea ista sortis est.
Plerique sortis dissecant jugulum suæ,
Sibi & faventis, dum est avara insania,
Majusque plusque & expetissit indies.
Amor ille Phœbi opesque qui Scriverius,
Opibusque pollens plurimis Scriverius,
Meus ille qui, quique & bonorum est omnium,
Laus eruditæ gentis & magnum decus,
Promusque condusque omnium qui temporum,
Vi perspicacis ingenI passim inclytus,

Cujus legentis, dextera scribentis &
Industria nil clausum & intactum est nihil,
Iniquitate sortis usu luminum
Captus, senecta plurimi ut parens mali,
Legitque non, scribitque non. Hoc sortis est.
Vidi meorum sanguine ex prognascier
Mutosque surdosque, at quibus mens integra:
Sors scæva, & ipsis noxia est nascentibus.
Vegetum senectâ, nobilem ac annis senem,
Agnovi avum improvisa mors quem sustulit;
Novi gemellum &, & parem natu mihi
Fratrem, modestius nihil modestia
Quo finxerat, sincerius quo nil fides,
Ipso in juventæ flore raptum conjugi
Et parvulis, mihique; sors iniqua non
Dicenda non est. Præda Sorti est quilibet,
Nil rebus in mortalium fiduciæ
Repone. Falsæ nulla sit sorti fides:
Decepit illâ, decipitque perpetim.
Vidique amores, vidi & iras maximas
Amantium. Iræ est sæpe sors amantium.
Informis est sors; semper haud similis sibi,
Sibive constans; vertit illa se indies,
Novosque mille versa vultus induit;
Nec fida sors est ulla; sunt omnis vices,
Favente sorte nil datur faventius;
Nocente sorte nil datur nocentius.
Dolosa Sors est, magna mentiens bona,
Cum sit malorum Lerna mater omnium.
Suâ ille Sorte quisquis haud contentus est,
Inops potentis æmulator interit,
Ut stulta multos perdit arrogantia.
Benignitate est Sortis aucta res quibus,
Videntur esse sæpe, quod non sunt; piger
Asinus Leonis pelle qualis nobili
Indutus, est quod esse nunquam desinit.
Aprica dum anguis sole camporum incribat
Quietus &, serpensque nec, nec se movens,
Eum putavit desiisse vivere
Corvus vorator: ingruit sed dum, sopor

Dese-

Defecit angui: qui furens spira gravi
Pedesque corvi & implicavit efferi,
Et vulneravit; corvus & vitæ suæ
Fini propinquus; Quem miser, gemit, miser
Cibum putabam, causa mî fuit necis.
Perit pericla nulla qui sortis putat,
Peritque qui quæcunque sortis appetit.
Malo à viro cavere sors mali viri est;
Boni cavere tantum ab haud bono sibi est.
Sors sola princeps, sola princeps Principum,
Sunt sceptra, regna & cujus in quavis manu,
Excelsa se cui & jubentur omnia
Nutum ad jubentis unicum substernere.
Sibi haud favet qui, Sortis exspectet sibi
Nihil faventis. Haud favens ignaviæ est.
Labore rarò haud inquiete quærere,
Sibi & parare cura quod mortalium
Vexata multum cœpit, unico & die
Horâque & unâ, sæpe Sors disperdidit.
Fritinnientis audiit cantum puer
Sonum & cicadæ, avemque & esse maximam
Puer putavit. Blandientis sic bona
Sortis videntur, vera nec dant se tibi.
Sors omnis errat & vagatur, omnibus
Incerta & anceps. Sola quæ constantia
Est mentis, illa omnisque virtutis tenax
Omnisque cultrix, deserit nunquam virum;
Contempta rerum cura cui est inanium.
Est vita tristis pluribus mortalium,
Et certa Sors. Est vivere hoc, tantum mori.
Infida cum Sors, mille cum fallaciis
Armata fallat providentiam omnium,
Ponenda cura Sortis, ac inanium est,
Quæ datque & hæc, tollitque pro libidine.
Tranquilla durum haud navigare est æquora;
Sed mota ventis, asperi laboris est:
Sortem at ferentem ferre cum lege ac modo,
Ferre & nocentem, id est laboris maximi.
Quid Sors potissit, plurimorum & admonet
Probatque fracta eversaque & potentia.

Sortis faventis sistere ausus qui fugam est,
Leporem ille tardo persecutus est pede.
Tumulus juventæ cuilibet senium est suæ,
Extrema mors est & senectæ linea;
Sæpe & juventæ. Est ista Sors viventium.
Sors compta quamvis Solis ipso pectine
Est larva tantum & umbra, falsa quæ nitet,
Dolosa, quavis falsior fallacia:
Radiata, & ipsa luce Solis fulgida,
Et pulchra, pulchritudine ipsâ pulchior,
Ipsâ Diones lota quamvis dextera,
Mille & corollis pulchra, mille liliis.
Sortem faventem, sæpe damna poscere est;
Moderata semper vota sint mortalium.
Sors quæ secunda, nemini manet diu;
Et incitato protinus fugit gradu.
Ex sorte virtus sæpe nascitur malâ.
Amica sors sit; sortis haud amicus est
Qui odisse plures hanc, quam amare gnarus est.
Illectus is qui sortis est versutiis
Captusque, nullo figit in loco pedem;
Sed cespitatque erratque stulte perpetim.
Ætate canus plurimâ nuper senex,
Rogo esse se cum proximum jam cerneret,
Occepit altis pectore ex suspiriis
Sortisque fatique omnis inclementiam
Miro improbare & execrarier modo.
Senecta sana haud, gnara quæ non sortis est.
Juvenisque flore nuper in vitæ vigens
Vegetusque nunc, athletico nunc corpore,
Foto valentem dexteram submittere est
Coactus. Illud & juventæ sortis est.
Sors tota boiæ, tota sors est vinculum,
Et tota nîl quam compedes timentium
Sperantiumque. Tota nîl quam carcer est,
Hominumque triste plurimis ergastulum.
Se ipsum tueri nemini datum fuit,
Dabiturque nulli. Sortis hæc injuria est.
Alios tueri vult, tueri non potest
Qui se ipse. Inane sortis hoc delirium est.

Nuper

Nuper legebam ; pœnitet legisse nec :
,, *Cum damna felis multa muribus daret ,*
,, *Illi Senatum convocare , ut sciscerent*
,, *Astutiam vitare quo possent modo.*
,, *Multique multa , legis adversum ordinem ,*
,, *Absurda cum , quæ sana non , ineptaque , in*
,, *Medium attulissent ; ultimis suffragiis*
,, *Quidam senectâ canus & venerabilis ,*
,, *Prudentiam mussantibus dans alteris ;*
,, *Nolam paratam , dixit ; illam belluæ*
,, *Collo alligarent , unde felem & audiant ,*
,, *Sonituque solo proditam fugiant procul ;*
,, *Placuitque cunctis consilI ratio boni :*
,, *Et jam tumebat auctor , ut sapientiæ*
,, *Qui opinionem cæteris probaverat ;*
,, *Tum de minorum gentium subselliis*
,, *Quidam rogavit , Ecquis esset murium*
,, *Nolam alligare qui sonantem felibus*
Auderet. Est semper favens audentibus
Fortuna. Non audentibus nunquam favet.
Nox ut tenebris fulgidum fugat diem ,
Adversa sic secunda sortis efferunt.
Rogare sortem copiam ut sui sibi
Faciat precanti , sortis ignorantia est.
Fallacis est qui ignarus haud sortis doli,
Dicendus eminere vir prudentia est.
Sorti qui iniquæ irascitur , bis est miser.
Cum nube tristi obtecta sortis gratia est
Pridem faventis , læta cumque abscondidit
Ridentis ora , sortis apparet dolus.
Sors quidlibet facit , facit nulli & satis.
Livor faventis semper est sortis comes.
Sperare & annos , sæcula & felicia , haud
Licet. Parata sortis est injuria ,
Semperque , cuivis ac , ubique & obvia.
Futura qualis crastini lux sit die
Dubiumque ut incertumque , sic & crastina
Sors sit futura qualis , haud est cognitum.
Veneranda canis esse vis quæ legibus,
Et sancta debet , & movenda nemini,

Se sæpe forti cogitur submittere;
Quæ semper exlex subtrahit se legibus,
Et sceptra legum vendicat, cum vult, sibi.
Diesque per noctesque perque plurimas
Tractos labores, una raro haud perditos
Hora aut dies videt; videre contigit
Et sæpe nobis. Tale sortis robur est.
Nubesque scævæ sortis & ventos super
Nemo est locatus. Adspice hic altissimos
Mortalium tot, totque rerum Principes,
Pessum datos, levique sortis & manu:
Sunt hac minores maximorum maximi.
Qui perditis est, quique iniquis moribus,
Iniquitati sortis esse obnoxius
Minus videtur, quam æquus est vir ac probus
Mirum hoc videtur plurimis, sed non mihi;
Odisse nam sors improba improbum haud potest.
Sunt læta sortis, sortis illa perfidæ,
Aranearum vana nîl quam stamina.
Et parma, & hasta, & omne telorum genus:
Opposita sortis casibus, sunt juncea.
Ructare rictu non trifauci Cerberum,
Stygiique quotquot monstra noscuntur lacus,
Præsentius majusve virus edere
Unquam est putandum hoc, sors quod omni porrigit;
Locusta Sors, & promiconda toxici,
Quod mille celat, mille quod miscet modis;
A quo cavere cautio haud potest sibi.
Sortis forum Orbis, sorsque nugivendula est.
Non simplice haud letalis ictu vulneris
Perire sors vult, vult perire sæpius,
Non, nî cruoris plena, quæ mittit cutem.
Præstigiarum mille sors est artifex
Dolosa, mille & phasmatum, abdito in studet
Nocere dum, nocere quo possit magis.
Sors fessa nunquam est, & fatigat omnia;
Et capta nunquam quidquid obvium capit;
Subjecta nulli & subjicit quidvis sibi;
Et orba visu est, prædo & est videntium;
Parensque & , & noverca nobis hostis est,

Negatque semper datque quidvis cuilibet:
Facit potentes, quos manere, & divites,
Manere quos & divites, haud diu sinit,
Volubilique versat in semper rota
Et parva, magna &, omnia & mortalium
Non desinente, perpeti sed impete.
Capita ut securi Augusta cæsa concidant,
(Nam concidisse nuper ipsi vidimus,
Decussa in horto ut concidunt papaverum)
Est sortis, haud parcentis ipsi purpuræ, &
Supra efferentis Principes ipsos caput;
Caput superbum, mille pridem ut extulit
Raptis coronis; mille sceptris, milleque
Raptisque sceptris, dextra se jactat manus:
Adeo est superba sortis insolentia,
Intemperans, immitis insolentia;
Læsæque majestatis uno haud crimine
Et fœda. Mille, mille Reges perdidit;
Cum Regibusque tantam Achivorum manum
Miseram popelli ubique, solitudines,
Deserta sese ut sola regnorum offerant;
Supra esse stulte credita olim injurias,
Sortisque temporumque & hostium omnium.
Magis magisque sortis iras excitat
Sortis senecta, anile jam & delirium.
Ætas parentum haud ulla quondam protulit
Tam multa dictu &, multa visu incognita.
Attonsa ferro cuilibet res Principum est,
Sub cladibus fatiscit & potentiæ
Reliquum super si quid, super tantum & nihil,
Indignum & ipsa sortis iracundia.
Quam sæva sors sit, quam cruenta, quam effera,
Ignorat is qui, ignorat & sortis manum,
Sortis bibentis largius nil sanguine.
Jactasse Cæsarem, suâ undecies manu
Centena, plura millia & castrensium
Mactata, scribunt, nota sortis victima
Qui cæsus ipse debitas pœnas dedit.
Magno rependit præmia hæc satelliti.
Non nostro in Orbe adversa sors est gentibus,

Regnisque tantum ; perdit & florem Novi.
Cuba insularum maxima olim & Mexica
Pollens in oris, magna terræ tractibus
Et læta, nunc attrita, ficca nunc fitit,
Exusta tanquam tota fortis ignibus,
Orbataque & fœcunditatis ubere est,
Mulctra & prioris. Sors ubique noxia est.
Felicis ille Sulla dictus nomine,
Romana cui res visa se submittere,
Pene universa, fortis ausu est nobilis
Fugientis ac, & deserentis haud modo,
Sed funditus perdentis atque stirpitus,
Et claritudine exuentis qualibet.
Tantum illa nomen fortis est felicitas,
Inane nomen, splendidum & mendacium.
Piscis minorem sæpe magnus devorat ;
Sors talis infimi est loci mortalium,
Iniqua sors, mansura sors mortalium,
Ut præda sint majoribus prædonibus,
Hominesque quos non, sed Molossos dixeris:
Nil Orbis hic quam sparsa multo sanguine
Arena fortis est: cruentus fortis &
Quem nulla ludum nesciunt jam tempora.
Gangræna fortis singulos non afficit;
Repit per omnes, illa letalis lues
Pecori haud modo, illi & qui magister est gregis.
Sorti haud nocenti habenda nunquam sit fides ;
Nocere nam non desinit, differt modo.
Sors ista non felicium nunc temporum est,
Plerique clavum ut publicum ad sedeant, regant
Et regna & urbes, gnarures haud imperI.
Popina multis aula nunc est Principum,
Potique semper officina Liberi:
Gravitas & inde nulla, nulla sanctitas
Aut Consili, æquitasque nulla, sed meri
Suadenda non suadentis eructatio,
Et profuturi semper ignorantia.
Sic sors cuiullo sceptra raro haud porrigit,
Clavumque mandat, quo datur pessum ratis.
Vertigo jam vinosa vertit omnia,

Miscetque gentes Principesque, mentis ut
Suæ minores, & madens vino facit
Multo madere regna passim sanguine.
Sunt ista sortis quæ bibuntur pocula,
Nocitura quando est, mille pugnantis dolis,
Securitatem exscindat ut mortalium,
Pro pace tantum & offerat merum Chaos.
Grave id priorum nunc ab aulis exulat,
Gravique multis in viro haud patet locus.
Aut fallor, aut sors pota sæpe est quæ imperat.
Ut hasta quondam vulneri, quod fecerat
Ipsa, ipsa opemque Pelias statim tulit;
Sic disciplina sortis & nocentis est,
Adversa quæ dat, tollat ut per prospera.
A sorte sola pendulum cui pectus est,
Ferre haud quietem, ferre non somnum potest.
Mors certa sors ut omnium est mortalium,
Splendore sic cum gloriâque haud omnium
Mori est; ut & ferrum atterit rubiginis
Dens ater, & qui splendor usu nascitur.
Sors æqua non rependit se colentibus,
Credatur ipsa ut velle non unquam coli.
Ex sorte nobis omnis est labos; struit
Pulchro illa quidquid arduum molimini.
Studium æqui Aristidi exilI tristissimi,
Sapientiæ & cultus veneni Socrati,
Demostheni defensa res & publica,
Fuere causæ supplicI solæ ultimi:
Namque optimis sors semper adversaria est.
Sorti resistit qui imbecillis proditur.
Præcurrit is qui gloriæ fastigio,
Honoris ac, præcurrit & discriminis:
Periculosus sortis est omnis favor.
Sors mente castâ numen est colentium,
Negantiumque debitum quod nemini,
Scelusque detestantium ac artes malas,
Malos ferentium, & nocentium haud malis,
Malis premantur sortis ut majoribus,
Quam gens malorum; at opprimuntur haud tamen
Dum parma pectori æris est septemplicis

Invi-

Invicta, constans semper innocentia,
Invisa terris saepe, grata at numini,
Amica coelo & semper innocentia.
Sors est bonorum, ut sint malorum plurimi,
Malique plures. Tanta quippe raritas
Bonorum ubique est, calculum ut ponentibus
Haud imperitis temporum magnis viris,
Post regna, post moresque visa gentium
Et instituta plurium, vix diviti,
Quot ora Nilo (flumini septena sunt)
Thebisque portae, deprehenderint bonos.
Rhetorque Consul, Rhetor ex & Consule
Fit indies, fit sortis ex libidine;
Mutante cum quâ quilibet mutat locum,
Nolit velitve. Sortis haec mutatio,
Haec ira sortis, sortis indulgentia est.
Fortuna ridet plurimis nascentibus,
Ridetque Apollo, quos & ostrum purpurae,
Majorum imago multa quos & excipit,
Domus paternae & multiplex opulentia,
Omnisque mollis ulna cornucopiae,
Felicitatis uber & cujuslibet,
Deest nihil queis, defuturum queis nihil,
Manente largâ sortis indulgentiâ:
Irata contra est plurimis nascentibus,
Quos dura egestas, tecta vix satis domus,
Macieque siccum matris uber excipit,
Maciesque & ipsa, & omnium penuria,
Famesque, & algor, & sitis, laborque qui
Mansurus & diurnus & nocturnus est
Superfuturis; saxa queîs, foeni aut strues
Stramenque cunae; mollius brutum quibus
Decumbit in bovilibus parvum pecus,
Laetaque & haurit plena matris ubera:
Non innocentis una sors infantiae est.
Diversa sors & omnium est amantium,
Genialis & qui fulcra conscendunt tori.
Nam Nisa Mopso, pulchra Thersiti datur;
Et Socrati, quo sanctius nil nobiles
Coluere Athenae, quo nihil sapientius

Mirata gens est Graja, Xantippes furor
Jam nupsit olim. Adversa sors amoribus.
Fallit parentum & sæpe sors vocabulo,
Et liberorum. Sæpe nam injustus pater,
Injusta mater sæpe, sæviens trucis
Instar novercæ: contumax, inobsequens
Et sæpe proles pessima est & optimis,
Ut Cæsari, quo nullus aut laudatior,
Meliorve nullus, natus olim Commodus,
Vixitque rexitque omnibus qui incommodus.
Hæc sævientis sortis & tormenta sunt.
Ex arbore ut matura, sole coctaque
Quæ poma sponte deciduntque mortalibus,
Fulgetque sors ridetque cum jam splendida,
Et lætiora creditur promittere,
Bona & priora auctura jam novis bonis,
Sic deficit mox, moxque tota disperit.
Pascitque sors, depascit & sors omnia.
Leguntque mella ut floridis è saltibus,
Et mella nobis dulcia offerunt apes,
Tamenque lædunt spiculis minoribus;
Sic sortis omnis comparata est indoles,
Prodest nocetque, cum hoc vel, illud vel lubet.
Sors nulla læta, nulla tam cuiquam favens
Offertur, ut non & molesta sit malis.
Adversa sortis spernere est quisquis potis,
Adversa nunquam huic ulla sors videbitur,
Adversa quamvis. Ista vis sapientiæ est.
Sors cæca judex. Cæca multis approbat
Quæ falsa. Posse & creditur tuerier
Is falsa, vera qui tueri non potest:
Tam nulla multis, læva tam sententia est,
Templisque & inde tanta contumacia.
Sortem faventem qui petit semper sibi,
Immite adorat Numen, inscium obsequi,
Petitque & id, petendo quod negat sibi;
Petitque nam id, præstare quod sors non potest,
Sors, cui favere memini semper placet.
Circumvenire, fallere omnes sortis est.
Speculi instar omnis ista sors pellucidi est,

De-

Deforme quo in, pulchrumque quo quis inspicit.
Non aureo ex fræno, aureo ex ephippio
Non æstimatur ut caballi nobilis
Generosa virtus; fortis indulgentia
Sic liberalis haud virum magnum facit.
Cur nemo vivit forte contentus suâ,
Rarusve saltem? Ignarus est sortis suæ,
Ignarus est & non suæ; votum pigri est
Plaustrum ut caballi, ephippium & votum bovis.
Aliena quæ sunt quilibet præfert suis,
Et præferenda sæpe non sanus putat,
Mirum ergo non, contentus haud quod sit suis.
Fit sorte vates laureâ cinctus caput
Apollinari, somnia & Parnassia
Pindique cui sunt nulla; nulla Sicelis
Admovit uber Musa, quem Sâis rudem
Coluitque nulla, bubsequa & stercus merum,
Et invenustas ipsa, & inficetiæ
Dictator omnis. Sortis hæc sunt præmia,
Spernenda semper præmium merentibus.
Antiquius nil Sorte se est in omnia
Vertente, & ista Sorte nîl recentius,
Mansurum & istâ nîl ubique diutius.
Sors dormit haud, quæ jam videtur stertere;
Et excitata semper est & pervigil
Prompta hinc & inde inferre noxam cuilibet;
Fugienda nulli, sed timenda & omnibus,
Timenda semper anxie, & quovis loco,
Humilique & editoque. Nam periculis
Injuriisque mille non ullus caret.
Sortis vacantis est leve infortunium;
Cum majus infert, unicum hoc furens agit.
Cum Sorte jam nocente mascula est viri
Quæ lucta magni, nobile est spectaculum;
Spectaculum omni pulchrius spectaculo.
Est palma, quæ, quo deprimis manu magis,
Magisque vexas, fortius renititur;
Vexata Sorte pectorum excellentium
Sic alta virtus semper exstat altior,
Minasque quasvis tuta Sortis despicit,

Minor videtur cum malis, nunquam minor.
Perdi senectæ ipsam & juventutem malis,
Ætatis & ver integrum quibus, manus
Justumque robur & vigor, crudum genu,
Genæque pictus purpurâ flos nobili,
Flos & juventæ, ætatis & spes longior,
Et sana mens, & corpus undans sanguine
In vere tolli, flore & ipso cernimus.
Ætatis esse sors nihil tutum sinit.
Quocunque quis, quicunque sit, sedet loco,
Sedet movendus Ista sors sedentium est.
Res maxima est Sors semper, at non optima.
Immane præceps est timendum cuilibet,
Calcare Lunam, sortis oblitus suæ,
Dextrâque solem prendere, & vano impetu
Cœlum occupare, inferre Diis ipsis manum,
Ausu Gigantis qui effero præsumserit
Sortis bonis suave, utile est malis frui.
Plerumque curvum despicit qui loripes,
Niger nigroque non probatur Æthiops:
Suæ cuique sortis ignorantia est.
Mixtura tantum sors boni omnis & mali est:
Adversa sors ferendo tantum vincitur.
Sorti furenti quisquis est qui obnititur,
Furentis hunc mox unda sortis obruit.
Quod contumax sors jam negat, negabit &,
Id voto inani &, irritique poscimus.
Sors victa nunquam, vincta nunquam sistitur;
Hostisque sors, victrixque sors & omnium.
Eadem esse summa injusta sors imis jubet;
Ad summa & ima sæpe quæ sunt evehit.
Sors est malorum, qui nocent, semper timor
Mali trementis est boni securitas.
Tuba est timenda maximi quæ judicis,
Et ultimi, sors omnium mortalium est.
Sors fumus est, favillaque igne quæ caret,
Contrariusque ventus &, secundus &;
Zephyrosque spirat, spirat & truces notos,
Simulque spirat; antrum & idem est Æoli,
Idemque sortis. Tuta sortis nulla sunt.

Nunc

Nunc mitis est sors, nunc & orba tigris est;
Aloëque melque, melle plus aloës habens.
Paterna bobus rura quæ exerces tuis
Sint læta, multa rura sint passim tibi;
Multis columnis fulta tecta, marmore
Superba multo & ; aurea & laquearia,
Splendore lucens crusta quæ Memphitica,
Veterique texta aulæa perpulchre manu,
Tota ac odores halet Assyrios domus,
Nihilque desit, ac abundent omnia,
Futura tandem sortis illa præda sunt,
Spoliumque dives temporum rapacium.
Socii ac amici, hostesque, sint multi tibi,
Suâ illa quidvis sors rotans vertigine
Vertensque ubique, mox negabit & tibi;
Proque hoste amicum, proque amico hostem offeret.
Auferre mox allata quæ sunt sortis est;
Æstasque brumam ut, bruma ut æstatem rapit.
Morbique egestasque ac fuga, & bella impia
Clausère tristi tempora hæc indagine,
Obsessa passim. Mille sors nocet modis.
Glaciale quamvis consulas fugâ tibi
Ad æquor, injustæ haud fugis sortis manus.
Insitato nascitur qualis modo,
Rosoque matris ventre dirus Scorpio;
Sors læta talis plurimis progignitur
Jam dissipatis rebus ex felicium,
Versisque. Sors diversa nam semper parit;
Ridere & hos cum, flere tunc istos jubet.
Sortem dolenti pauperum desunt opes;
Opibusque præpollentibus dëest dolor:
Et illa sortis improbæ est iniquitas.
Sors mille votis se fatigari cupit,
Precibusque mille, prona ut esse, esse ut favens
Velit indigenti. Mille post fastidia,
Post mille plus quam, sortis est faventia,
Nec diu faventis cupiam, impetrabilis,
Et cautis instar sæpe inexorabilis,
Hoc sortis est, miscere læta tristibus,
Offerre mixta & cuilibet mortalium.

Sapientis olim in Perside hæc sententia est,
Qua dicta nulla certior sententia,
Tripode ex nec ulla prompta quæ sit verior:

ROSÆQUE SPINÆ ET, ET MERUM ET CAPITIS DOLOR,
THESAURUS IN TERRA ABDITUS, SERPENTIUM ET
SPELUNCA DIVES, UNIO ET PELLUCIDUS,
CROCODILUS ET, PARATA MORS QUÆRENTIBUS,
ET HERBA ODORA, TRUNCUS ET QUI EXARUIT,
INIMICUS AC, AMICUS ATQUE, CUILIBET
UNO AC EODEM SE OFFERUNT SEMPER LOCO.

Sors blanda fallit: fallere haud mirum est mihi;
Suam esse namque quilibet blandam cupit.
Quod mille amicis amatum non ames,
Vix obvenitque, nec manetque amantibus.
Sors perfidos facitque plurimos, ut &
Sors perfida est. Plerique sortis ex faventia,
Ex commodisque deligunt charum sibi.
Non est amicus blanda quem dedit tibi,
Cum desinente blandus esse desinit.
Vendunt labori cuncta Dii mortalium;
Sorte haud favente at perditus perit labos.
Ferente sorte vita cuivis suavis est;
Sed non ferente, vita adinstar mortis est.
Peritque sors, cum sorte & omni quidlibet.
Lucrum parare quisquis instituit dolo,
Sortis dolosæ non dolorum gnarus est.
A sorte qui negata quæ sunt appetit,
Accepta perdit stultus, & negat sibi.
Inimica sors est cum, quæ amicum jam premit,
Amantium gregem inter haud quisquam est qui amat:
Sani dolorem vulneris non sentiunt.
Quicunque abutitur bonis sortis quæ habet

Riden-

Ridentis, is se pauperem brevi videt,
Desertum &, atque destitutum ab omnibus;
Procera qualis arbor, & pomi ferax,
Æstate postquam prodige fructus dedit,
Viduata fronde & nuda brumæ tempore est.
Ex Occidente solis haud exortus est.
Ex sortis attamen furentis casibus.
Ex vespera calamitatum & omnium
Ipsaque nocte, nocte densâ, lurida,
Longâ &, malorum & undique ingruentium,
Efferre latum vidimus plures caput.
Non mancipanda nostro mens ulli est rei;
Res sortis omnis nostra non manentis est.
Virens in horto gramen ut solum placet,
Sic sola quæ secunda sors mortalibus.
Sortis referre nullus est imaginem,
Qui posset. Nam cum ora sortis inspicis,
Penitusque totam ac intimeque perspicis,
Et vana imago sors, vaga est & omnium.
Sors nulla quæ dat, nulla quæ accipit fidem.
Non terreat te sortis inclementia;
Nam verberantis pugnus est juvans manus.
Arabum fides si habenda sit prudentibus:

AMANTIS UVA PASSA DULCIS
VERBER EST.
IRASCITUR CUM SORS, MORARE
PAULULUM;
REDITURA NAM PLACATA MOX
SORS EST TIBI:
UVÆ RECENTIS QUALIS IMMITIS
SAPOR
MULTI HAUD DIEI MITIOR FIT
SOLIBUS.
SORS TOTIUS FAVENS FAVORE
SÆCULI,
ET SÆCULORUM MILLE (MILLE
SI FAVOR)
UNO NECATQVE, TOLLIT ET RA-
RO HAVD DIE.

Inimica sors cui est, nullus huic amicus est,
Sed cui est amica, amantium plus est satis.
Adversa multis causa sors est criminis,
Conjuncta cum est mens læva non ferentium.
Suæ esse sortis bajulum quemvis decet,
Necesse & esse est. Excutit nullus jugum
Impositum ab illâ; nullus excussurus est.
Hac lege, in illa servitute nascimur,
Dominique servique, obsequentes Principi,
Et quos timendos Principes thronus facit.
His namque rerum sceptra queis mortalium
Commissa, sortis illa quæ majora sunt.
Nil ore sortis lætius, nil tristius;
Nil tristius sed quam imperanti subjici;
Rector supremus vult tamen nos subjici,
Ne unquam, æviterna quæ futura, gloriæ
Spes aut amorque sorte falsos deserat.
Regem potentem cum omnium vides, vides
Solâ minorem sortis iracundia.
Nil sorte mortis durius mortalibus
Posse esse, & inde quilibet vel colligat,
Quod sit doloris maximi & dentem unicum
Evellere ori. Tu ergo & immensum puta,
Animæque corporisque, quæ conjuncta sunt,
Nexumque morte vinculumque abrumpere.
Effœta nondum annosa sors mortalium est,
Æquæva & Orbi sit licet; partu novo
Die redit quæ, nocte quæque qualibet
Majora semper vanitatis concipit
Editque monstra, visa non prioribus.
Qui sæculorum plurium fuit labor,
Eversus horulæ unius sorti est opus.
Sæpe ira sortis plus favet favoribus.
Opes ruentis instar omnes sunt aquæ,
Sortisque quotquot offeruntur munera.
Bona quæ dedit cum augere sorti non lubet,
Pereuntque raptim deseruntque quæ dedit.
Montana ni rigaret indies mador
Jovis pluentis, Tigris & vastissimus
Rhenumque flumen alvei brevi forent.

Ab omni aquarum destituti copia.
Felicitate sortis omnes ebrii
Praesentis, ullo dum futurorum metu
Se angi malorum & admoneri non sinunt,
Futura cum praesentibus negant sibi.
Miserum futurum se haud timet qui est jam miser.
Non sortis ullo est dignus ille munere,
Avarus auro compedes is qui injicit.
Infraque Sortis vim omnium est industria,
Laborque quivis, cura & anxia omnium:
Iniqua cum Sors, arte nemo proficit,
Sortis manum nemo effugit; tentorium
Ubique figit, atque transfert cum lubet,
In monte, campoque, atque desertis locis,
Agrisque & urbe, & ambulat per omnia,
Peregrina nusquam, nota ubique & omnibus,
Crux nota & hostis carnifexque & omnium;
Et nota passim cladibus quibuslibet,
En Sortis improbam vicissitudinem.
Orientis ore proditam prudentium:

PEREGRINUM IN ORBEM CERDO SI DISCESSERIT
PATRIIS RELICTIS SEDIBUS, NON EST MISER,
EGENSVE VIVIT; SI EXUI FASTIGIO
PELLIQUE REGNO SORTE INIQUA PRINCIPEM
CONTINGAT, INSTAR PRINCIPIS NIMRUSII,
UTRIUSQUE SORTIS CASIBUS PASSIM INCLYTI,
AB OMNIBUS DESERTUS AC DEFECTUS EST.

Magnorum ea est Sors omnium & calamitas,
Habeant minora semper irata ut sibi,
Infesta semper. Nobilem ferocia
Culex pusillus pungit & Lucam bovem;
Lacerat leonis Massyli & mordet cutem

Exa-

Formica, robur esse cui nullum putes:
Haud magna parvi, ut parva magni haud spernere est.
Inopumque fortem sæpe sors ligat manum,
Sed auro inertem sæpe & invictam facit.
Fortuna miros exhibet nobis jocos;
Vi consilI vir providus raro haud caret;
Scopum sagittâ sæpe contingit puër,
Rudisque nesciusque eorum quæ facit.
Iniquitate pressa cum sapientia est
Irâque sortis, haud minus Sapientiæ
Nomenque vimque possidet, pro judice
Sedente, recte quisquis & vana haud sapit.
Amica nobis esse cum sors creditur,
Specieque falsoque ore tantum talis est;
Serpente cum ista ludus haud securus est.
Aurora sortis sæpe multis vespera est:
Vitrique ad instar splendidi est quod frangitur.
Ex sorte multum commodi ac incommodi est,
Quæstusque multum, ut ex mari, & discriminis:
Spinæ & rosæque semper est consortium.
Turres solo æquari, alta sterni mœnia
Vertique & ignium ictibus, ceu fulmine,
Urbes superbas, Sortis inclementiâ,
Ætas priorum vidit, & nostra hæc videt,
Videtque passim &, & videbunt posteri:
Erit futuris illa, quæ majoribus.
Maris momordit ut quæ arenas anchora,
Ne præda venti, fluctuum aut fiat ratis,
Ventoque & undis sæpe cedit, ac minor
Deprensa nautæ est: fortis & constantia
Malo ingruenti sæpe non par est viri:
Virtutis & sunt impares Sorti manus.
Somno sepultus, & sepultus est mero,
Expersque sensus omnis, expers mentis &,
Gnarusque rerum haud quæque quas mutat dies
Vertitque quæque; quisquis inconstantiam
Sortis perennem haud esse persuadet sibi.
Cereali aristâ qui beatus campus est,
Silvæque saltus omnis, & prata herbida,
Lasciva prata, fertiles vites meri,

Donum

Donum datoris læta quæ sunt Liberi,
Ulmique lætis illigatæ vitibus
Nuptæque, vis alta & superba quercuum,
Patulæque fagi, perviæ non fulmini
Lauri virentes, atque palmæ nobiles,
Pondusque quas onusque quas nullum opprimit,
Virides Napææ, grata luci Numina,
Et dulce Floræ, dulce Pomonæ quod est,
Nemorumque quodvis, omne & hortorum decus,
Spolium fuere sortis, & futura sunt:
Similique passim quidlibet perit modo.
Metuenda sors quam, hinc colligas licet: suâ
Pugnatque sors vincitque & immissâ manu.
Timet minorem major, & sic fit minor.
Promissa sors haud servat, haud servat fidem.
Sors ista victi Martis irâ semper est,
Victoris ut sit in manu libidinis,
Manuque dura, immiti & implacabili;
Nam parcere hosti, credit esse hostis sibi,
Pium esse bello &, esse non clementiam,
Dignamque cæde est parca quæ cædis manum,
Sibi & nocere qui satis victo haud nocet.
Hinc quæ geruntur bella tam cruenta sunt.
Dubioque Crœsus falsus est Apolline,
Dubiâque & omnes Sorte stulti fallimur.
Inimica sors est omnibus, placet quibus
Virtus & hostis omnium est virtutibus.
Iniquitate sortis est iniquius
Nil: Sors iniqua semper optimo est viro
Jocosa passim sortis humanæ patent,
Videsque cum infimos, videsque & maximos;
Nulli illa parcit, & pepercit nemini.
Nil esse sorte pejus hinc intelligas,
Adversa quod sit optimis mortalium,
Plerumque amica, falsa sed, sit pessimis.
Fascesque sunt, sunt sceptra sortis omnia.
Dare quod potest, auferre & idem sors potest.
Armoque & armus, Sorsque sorti opponitur.
Per tela sunt, ensesque quæ sunt invia,
Percuntque sortis occiduntque injuriâ.

Bellona multum posse nobis creditur;
Bellona nulla est: Sortis est potentia.
Servire Sorti servitus est omnium,
Dominusque rerum huic quilibet subjectus est.
Licetque quidquid, quidquid & nulli licet,
Omne & licere Sors putat semper sibi.
Quæ Sortis est, est omnium mutatio:
Cum Sorte versâ vertit ora quilibet.
Doloris omnis gaudiique est Sors parens,
Genitrixque mellis larga, larga fellis &,
Et sacchari divesque & est absinthii.
Nocensque Sors, favensque non servat modum:
Rapitque redditura Sors quidquid rapit,
Redditque Sors, raptura mox quod reddidit.
Sors sola egena, sola Sors & dives est;
Ditesque sola, sola pauperes facit.
Nuper quadriga cuncta Sortem compita
Videre pervehi ipse sum visus mihi,
Pullâque partim veste, partim candidâ,
Et discolore se tegentem suppparo,
Fastu superbam turgidamque plurimo;
Altâ quadriga, quam trahebant Gaudium,
Dolorque; desperantium ac ingens manus
Aderat satelles, & cohors ridentium,
Plorantiumque. Sortis hic paratus est;
Orbemque talis universum circuit,
Invisit &; terretque nunc, nunc & favet.
Videre sortem navigantem & sum mihi
Visus; videre discolore nobilem
Velo carinam, candidus partim cui,
Nigerque vultus: tota proles Æoli,
Pugnaxque proles invicem, cui comes,
Sistensque nunc &, provehensque nunc ratem,
Jactansque aquarum fluctibus contrariis;
Sors tota talis navitis mortalibus.
Avara sic ut, larga sortis dextera est.
Noctem minatur, luce dum noctem tegit.
Sorti omnis ille qui obstat, obstat & sibi;
Nam sorte nil se porrigit potentius.
Sors tota monstrum semper est versatile;

Nunc isto & ore, istoque semper nobilis.
Audere Sors est omnia indigentiæ.
Res tota Sors, spes tota sors mortalium est.
Mutatio omnis, omniumque, ferculum
Est sortis; unicum illud offert cuilibet.
Mage immodestum sortis immodestia
Se offert nihil. Sapit modeste is qui utitur.
Hoc sorte quod favente quis capit sibi,
Perditque sorte non favente, inter bona
Censere, magna &, plurium & dementia est;
Opesque magnas, nobilem & prosapiam
Famamque claram, regnaque ac amplissima,
Sors ista sortis omnium fruentium est.
Favore, sese sortis ut non eximi,
Ut excipique casibus contrariis
Non posse credant. Sortis est nam quidlibet,
Sortisque pandunt regna se per omnia.
Cebes tabellâ inclaruit quâ olim catus,
Hodiéque claret, clarus omni & posterûm
Futurus ævo est, nil tabella quam aurea,
Tabella qua cujuslibet prudentiæ
Præcepta pingit aureis coloribus,
Verisque scite pingit, haud mendacibus,
Et Sortis ipsam, qualis est, imaginem,
Faciemque pingit. Ore stat Sors lurido,
(Referre cuncta nam nimis longum foret)
Quid sit bonum, quid sit malum, quid non bonum,
Malumque quid non, ipsa gnara quamlibet,
Ore invidentis obtegens, tegens sui ut
Sors semper est. Vides sedentem, donaque
Quæ donat inter, inter obsessam & mala,
Numerare nulli quæ datur mortalium,
Sua offerentem his, his negantem munera;
Pariterque mox & auferentem quæ dedit,
Spinisque floribusque vestitam caput;
Intemperantia ipsa, prodigalitas
Et ipsa, avari vana quæ sunt somnia,
Manusque & ipsa tota quæ fallaciæ,
Claudunt latus superbientis, & comes
Amicus adstat ore, corde perfidus;

Cir-

Circumstat ingens turba gestientium,
Gementium sed major ac plorantium,
Dolentiumque sortis incertas vices,
Vicesque mille, vertitur queis quidlibet,
Idemque eodem non manet fixum loco.
Depicta sors est talis antiquo Sopho;
Tamen haud inepta sortis os picturus est,
Sit cum nihil, picturus est quisquis nihil.
Oneraria ut jam sarcinis prioribus
Merce & vaciva navis, impletur novis;
Ad hunc iniquitate sortis & modum,
Quodcunque depulsum est malum, novum excipit.
Accepta sorti ferre quæ debes bona,
Bona esse vera hæc, & tua esse, non putes;
Mansura nam tibi illa Fortunæ haud manent.
Efferre sese accepta propter haud decet,
Animove frangi rapta sortis ob bona.
Exercitus malorum &, & vis plurium,
Queis cuncta magnis perdomat victoriis,
Victusque totus queîs triumphus orbis est,
Sorti, nocere accincta cum est, parata sunt.
Plorare vanum adversa quæ sunt sortis est,
Sapientis haud at spernere est sortis minas.
Plerumque sortis quilibet faber suæ est,
Malamque quisque dum, bonam aut struit sibi.
Regum aula quævis magna sortis regna sunt,
Regum aula quævis, queis nihil potentius,
Obstare posse creditur queis & nihil,
Deestque nîl &. Sors ubivis imperat.
Plerumque telum sortis haud vitabile est.
Nulla his videtur sortis innocentia,
Ipsi nocentes qui nocent soli sibi:
Opinione sors rea est dementium;
Est nostra, nulla sortis est dementia;
Et nostra, nulla sortis inconstantia est;
Et nostra, nulla sortis est injuria;
Iramque sortis credit iratus sibi.
Pœnæ illigatus sæpe legis Juliæ,
Dum frena laxat perditæ libidini,
Meruit quod ipse, id sortis esse judicat;

Sors

Sors causa culpæ, causa pœnæ creditur;
Nullum sed isto majus est delirio,
Offerre majus ipse quo haud potest Furor.
Seni puertia, error & puertiæ
Sors est: senectæ & omnis est puertia.
Jam victa sors quæ, victa non statim redit.
Ventura sortis omnis ætas nescia est:
Vagina gentium, officina dives ac
Mavors virorum & ipse quos genuit sibi,
Sibique legit, nobilis Septentrio
Europæ, & ille nobilis victoriis,
Tot ille pridem dives & victoriis,
Ventura nulla quas loquetur haud dives,
Nulla haud stupebit, inclytis passim urbibus
Surgit superbus, vique major temporum
Quavis putatur; præda quævis sortis est
Futura sed mox, invium cui est nihil,
Nil haud domandum, nil manere quod lubet:
Mansura forte at vana sunt spectacula,
Cineresque post &, busta post & urbium:
Imago rerum rebus est perennior.
Regnum potentis nobile illud Galliæ,
Opibusque semper nobile & civis manu,
Europa nullum majus aut florentius
Quo tota jactat, sævit in se jam domi
Jugulatque sese Principum turbantium
Studiisque fœde & partibus contrariis
Scissumque divisumque. Pacem pellere,
Et motibus miscere cuncta, sortis est,
Nunquam quieta quæ quietis hostis est.
Oculisque falli, & oris immodestia
Errore falli & aurium, sors omnium est.
Plerique nobis fingimus præsentia,
Præsentia haud quæ, neminique quæ manent.
Errantium hæc sors omnium & delirium est.
Tu sortis arctis colla cur amplexibus
Et stringis, ori & suave figis basium?
Meretricis instar falsa vultu decipit.
Ut naviganti semper est anceps mare,
Jactamur & sic mille sortis fluctibus.

Orbis

Orbis colonus aspera & saxa incolit,
Nudasque cautes, inter & discrimina
Metusque mille, omnisque inexplicabili
Et casse cinctus undique & clausus mali.
Lege hac iniquâ quisque Sortis nascimur.
Rheni illa quondam ripa semibarbara,
Aut tota barbara, illa quæ Germaniam
Fœcunda potat, culta nunc est moribus
Et legibus, queis sanctiores Græcia,
Queis castiores Roma nec Quiritibus
Antiqua fixit. Sortis hæc mutatio est,
Bonum malo mutantis & malum bono.
Amor Minervæ, Apollinis prætorium,
Scientiarum magna mater omnium,
Parensque læta & omnis elegantiæ,
Gens Graia quondam, pressa Turcarum jugo,
Scientiarum ignara nunc & omnium,
Prioris omnis nescia elegantiæ,
Hebet siletque. Sortis hæc injuria est.
Adversa quæ sors, plurimis semper manet;
Semper secunda at, larga semper & favens,
Nigroque cygno, albâque rarior pice est.
Cum regna Sorti, sceptra cum Sorti obsequi,
Sequi & moventem, sæculis prioribus
Nostrisque multum multaque & terrentia
Exempla ubique, semper & monstraverint,
Et regna, sceptra & sortis insanus negat.
Adversa quæ, secunda quæ sors, est levis;
Leviorque vento est & ruente fulmine.
Servire spectas qui jubere suetus est,
Regnatque quem videre servum contigit:
A sorte ea omnis imperatur servitus.
Cave tuum esse illud putes, sors quod dedit,
Injusta iniquâ dividens quidvis manu.
Quod perdere haud vis, quod potes haud, hoc tuum est,
Tuumque solum; Sortis at sunt cætera;
Lex fixa nulla cujus est libidini,
Quæ tollit & dat cuique quod vult, quod lubet.
Superba sors est; se coli, haud flecti sinit:
Sors cautis instar dura quæ Marpesiæ;

Sors tota saxum, Sors inexorabilis.
Tricosa sors est, nîl manere cui placet,
Amænitatis, suavitatis & nihil;
Fel tota, pasta felle solo potaque,
Et proma fellis, dulce quamvis rideat,
Labrisque fallax osculetur melleis;
Pungitque mordetque omne læta basium;
Amplexus omnis rete tantum & cassis est;
Porrecta dextra & uncus est & vinculum.
Comes eminentia sortis invidentia est,
Sequiturque semper maximos mortalium.
Sibi furorque est, error & gravissimus,
Mansura sortis læta quæ promittere,
Levisque Divæ, Diva si, constantiam.
Est impedita veritas, alto in latet
Puteoque mersa, nullus est profundior,
Majore nullus quo obsitus caligine.
Sapere est laboris plena Sors volentium,
Animoque veri expellere ignorantiam.
Illa inclyta olim, turribusque & urbibus
Superba tellus plurimis Iberiæ,
Superba nunc & plurimis & inclyta,
Sed paucioribus, sed & novis, edax
Urbes vetustas dente dum rodit suo,
Molesque structas nobiles majoribus
Inimica vertit, sortis haud nescit vices,
Heu! Sortis ipsarum helluonis urbium.
Fœcunda quondam & læta mater urbium,
Coloniarum læta mater Itala
Tellus vetustis claruit quæ sæculis,
Magnisque nunc & clara civitatibus
Multisque passim, jam perire quod vetus
Humique sterni, surgere ac id quod novum,
Inferre & astris ante non visum caput,
Dolet stupetque; principem sed maxime
Deamque quondam gentium urbem Romuli,
Totoque victo ab Orbe cultam supplice,
Cineres prioris bustum & esse gloriæ.
Fuit omnium sors hæc, futura & urbium est,
Quæcunque sint, quacunque magnitudine.

Et Morbus & Mors certa sors est omnium;
Immissa nos in mille morborum est phalanx,
Augetque quos, gignitque quos novos dies,
Nullis priorum cogniti qui sæculis.
Ferax malorum & mille Morbi Regia est,
Animique & hostis, hostis & nunc corporis,
Et farta tota spiculis letalibus.
Nunc sola prodit, vincta sed, sed victaque,
Tradux adustæ bilis ac succi nigri,
Gignensque alensque mentis ægritudinem,
Specieque terrens simplice haud imaginum;
Imaginem quæ pingit ex imagine,
Umbramque ab umbrâ ducit, umbrosum malum,
Melius tenebras esse quas tu dixeris,
Densamque tantum & luridam caliginem.
Animique & error, magnus & raro haud furor,
Alumna mille, mille phasmatum parens,
Alumna monstri haud unius, vera Africa,
Informe monstrum cui parit semper novum,
Formido tota, mille dux formidinum,
Terretque & ipsam dira quæ Formidinem,
Sub mole cujus plorat & gemit miser,
Gematque sed, ploretque cur, ignarus est;
Malo absque & omni fingit & malum sibi,
Et pejus haud quo, quoque non nocentius.
Quieta cum videtur inquies quies,
Mentisque turbo tantum & insanus Typhon,
Spirante quo tranquillitas exspirat &,
Statu & movetur pectoris constantia,
Suum & tueri mota mens nequit locum.
Nunquamque sperat idem &, & negat sibi;
Mærore mæror nullus est quo mæstior,
Uber doloris semper exsuccum bibens,
Sitiensque semper, semper & leporis metus,
Metuenda solo in incidentis ex metu,
Metusque quæ sunt sola cui metuenda sunt.
Farrago rerum vasta quæ fuere, sunt
Quæ, quæ & futuræ, quæque nunquam forsitan
Et sunt futura: vera Crispis Ælia,
Quæ & esse quidvis, esse nil & dicitur.

Æni-

Ænigma, fingit quod, nec explicat sibi.
Torquetque quo sese ille qui fingit sibi,
Sui ipse dictator qui & est delirii,
Delirii & morosus interpres sui.
Insana fingendi omnia immodestia,
Suique, rerum & omnium confusio,
Intemperansque tota perturbatio.
Nil plena quam umbrarum domus Plutonia,
Exilis haud quæ est, ampla sed multum domus,
Charontis atrâ picta tota quæ manu,
Spelunca quâ in trux Eumenis, parens metus,
Furiæque & omnes inferi quot sunt lacus,
Acherontis & Stygisque, Phlegethontis &
Posuere sedem nuper haud fixam sibi,
Posuere & olim, monstra multo & pluria
Et monstra monstris quæ omnibus majora sunt,
Non vena secta, non & Helleborus cui
Possunt mederi; cui quietem debitam
Somnumque nulla porrigunt papavera,
Tota illa Proteus mille formarum capax,
Tenaxque mille, & ore plus quam centiceps,
Non visa quæ, non picta, quæ pingit sibi,
Fingitque semper, semper & struit malum,
Terretque semper, ægri inane somnium,
Deliriumque inane, sunt majora quo,
Fœcundiora nulla quo deliria, &
Infesta magnis mentibus deliria.
Pictura rerum cognitæ quæ nemini,
Visæque nunquam; somnium somno carens,
Et somnio quodcunque semper vanius,
Chaosque, territansque vultus omnium.
Speratque quæ vix, non timenda quæ timet,
Hostile quidvis esse dum putat sibi;
Ægrique & ægri haud morbus & molestia,
Febrisque, nec febrisque, quidlibet, nihil,
Morbusque, nec morbusque, tota fictio;
Motæque Lunam ad quæ timens arundinis
Legionis umbram & instar adversariæ
Putat; tremitque se modo ut tantum offerunt
Pigmæus & pullusque gallinaceus,

Passer-

Passerque glisque musque &, & pulex levis.
Quæ tristia esse censet hæc quæ læta sunt,
Et læta censet inter hæc quæ tristia,
Minorque mentis nullius gnarur rei est:
Animique vires corporisque destruit.
Vigilantis illa somnus, illa somnium
Non dormientis, somniis feracius
Quæ sola vulgus esse somnia autumat,
Et offeruntur indies cuilibet.
Imago vanæ vana quæ est imaginis;
Stuporque tantum nescius discernere
Quod est, & esse quod putat, cum sit nihil;
Nimisque nunc quæ læta, nunc tristis nimis,
Nimio tenetur odio, aut amat nimis,
Et nunc abundat omnibus, nunc & caret,
Opinione dives ac egens suâ,
Speratque nunc & quidlibet, nunc & timet,
Spes magna sæpe, sæpe desperatio;
Consuta tota rebus ex contrariis,
Studiisque & in se armata quæ contrariis.
Vaporis illa nata quæ & fuliginis,
Fuliginisque nulla quâ fumosior,
Nigriorque & illâ quâ nigrescit Æthiops,
Ignesque Nox jam quam minores deserunt.
Rationis arx invaditur quâ perpetim,
Intenta & uni mille res fingit sibi.
Centaurus hujus est, trifauxque Cerberus,
Impostus Ossæ Pelion, furens Gigas,
Pigmæo & agmen parvulo oppostum gruum,
Et quidquid est ejusmodi delirii:
Et Hercules, Orlandus ac Iberiæ.
Ventosa quem gens ausa fingere est sibi,
Haimonis & quot nobiles jam filii,
Auctæque tot queis sunt priorum fabula.
Mons parturit cui monstra, cui cœlum cadit,
Terraque & esse non videtur destina:
Frequentia in cui solitudo perplacet,
Omni illa multò ut tutior frequentia;
In solitudine esse cui frequentia
Metu videtur, nîlque tota quam metus,

Ter-

Terrorque tota, immanis & vesania,
Mille officina, mille nugarum penus,
Augetque quas fovetque qualibet dies
Magis magisque, nescias consistere;
Mendaciorum &, multa quorum millia,
Et plura multò multa quam sunt millia,
Queis biliosum tentat & vincit virum;
Portenta fingens mira, queis par est nihil,
Nihilque par natura mater edidit.
Hoc Candidatus iste jam monstrum domat,
Et non domandâ, & Herculis qualis manu,
Ingensque monstrum, informe, vix domabile,
Vix quam medentis nobili Othfari manu,
Suisque totum id qui excutit cubilibus,
Sortis minorem & esse sic manum jubet.
Adversa quæ dat sors secundis corrigit,
Et quæ secunda, adversa per mox subruit,
Noverca nunc, materque nunc & cuilibet;
Unumque eidem semper haud os porrigit.
Illud quod est sors esse nunquam desinit;
Sin esse, sors est nulla jam mortalibus.
Sortem obsequentem habet, sibi ille qui imperat,
Non obsequentem, quisquis haud potens sui,
Suive rector, credidit sorti omnia.
Iniquitate sortis haud quodvis licet;
Licet quod optimum, & probandum quod, velis.
Non sorte qui, virtute sed qui, dives est:
Istâque major ulla non opulentia est.
Ex hoste amicum, amico & hostem sors facit:
Ruina sors semper male ascendentis est.
Cosroïs, alti Regis olim Persiæ,
Late & potentis, aureis scriptum notis
Lectum hoc tiaræ in nobilis fastigio est:

MULTI QUID ANNI, VITA QUID LONGÆVAQUE,
PER MILLE TRACTA CASUUM DISCRIMINA,
IRASQVE MILLE MILLE SORTIS FLVCTUUM?
CAPUT TIARA INSIGNE CALCABUNT PEDES
VILISSIMORUM FATA POST MORTALIUM.

REGNUMQUE NOBIS TRADITUM A MAJORIBUS
TRADEMUS IPSI POST FUTURORUM IN MANUS.
NASCUNTUR ILLA LEGE SORTIS PRINCIPES.
NASCENTUR OMNES QUI FUTURI PRINCIPES.

Oleas vagari extra, una sors est omnium.
Gratum tibi est quod sortis est fastidium.
Sors est timenda illi, nihil qui jam timet.
Injuriâ ipsa vita sortis displicet;
Melius mori multo est, male hic quam vivere.
In cribro aqua, omnis sortis indulgentia est.
Sors est cavenda; cuncta sortis diffluunt,
Plenusque rimæ est porrigit quem cantharus;
Immensa sunt largitur æquor quæ bona;
Non fida sed sors ulla navigantibus;
In littore & portuque perdit quæ dedit.
Fingunt inanis consilI monstrum sibi,
Superare qui se sortis & versutias
Dolosque posse artesque & omnes autumant.
Amicus est prehendit is qui dexteram
Deserti ab omni, sors negat cui & omnia.
Non ulla lux est aviis mortalibus;
Caligo sortis esse lucem non sinit.
Est navigantis quale per motum mare
Iter molestum, expersque non discriminum,
Carensve quæstus; littus in quod divitem
Salvumque, mersum & sæpe pellit navitam;
Per regna sortis ambulantis & via est
Itusque talis; sæpe mollis & levis,
Gravisque scrupis sæpe & impeditus est,
Fessus viator & miser quo in deficit.
Libidini se sortis, est permittere
Digitum gulæque faucibusque Scorpii.
Sors tympanum pulsat, tuba & taratantara
Ubique sortis personat, sors classicum
Canitque ubique. Sors movet bellum & gerit,

Tro-

Trochusque miles & satelles sortis est,
Campusque pugnæ magna sortis area.
Ex sorte & omnis, omniumque est servitus;
Pauperque nam qui est, dives & qui, servus est.
Est ille lapsus omnium gravissimus,
Cum sors labantes impulit: nam injuriâ
Sortis labanti porrigit nullus manum.
Saxi unius turbatur haud jactu mare;
Unoque & alteroque sortis & gravi
Ictu haud movetur, seque & ipsa non movet,
Sapientis est quæ pectoris constantia.
Quæcunque tandem oblata sors est, displicet:
Opibus carentes omnibus, miseri sumus
Virique ditis cura pectus exedit,
Noctu diuque cura semper anxia.
Adversa sors, quamvis repulsa fortiter,
Tamen recurrit usque, more Parthico,
Fugiensque pugnat semper, & pugnans fugit.
Invicta sortis nulla dantur casibus;
Cuncta hæc domantem sæpe virtutem domat.
Ut esse solis lætius lumen solet
Jam jam cadentis, sortis & blandæ favor
Plerumque nobis major occidentis est.
Virtus repulsæ nescia est quæ sordidæ,
Sortis repulsam sæpe passa injuriâ est;
Sorti illa, quamvis Sorte major subdita est.
Livore vel, vel odio, ignorantia aut,
Fit optima ut plerisque sint & vilia,
Contemta &; est hæc læva sors & omnium.
Vix id redit, pellente sorte quod fugit.
Epulasque sors cum porrigit lautissimas,
Gemmata pocula, atque Setinum merum,
Cum melque, melle quidquid est & dulcius;
Cum muscus esse, cum Ambra & esse creditur,
Aconita se tunc offerunt bibentibus.
Discedit & sors semper, & semper redit,
Amica sive, sive & adversaria.
Quæcunque sorti displicet virtus, scelus,
Vitiumque virtus dicitur sorti placens.
Gratissimum virtutis est consortium,

Comesque virtus & sodalis perplacet,
Et sola virtus: sorte cum negotii
Falsisque sortis esse nil velim mihi;
Est quidquid illa nil nisi est merum nihil:
Nil nos sumus; sunt sortis & nil omnia.
A sorte victus, sortis est injuriis
Solus solutus, solus haud obnoxius;
Molli sed iste blanda quem fovit sinu,
Placetque cui ridetque & indulgentiâ,
Multis furentis sortis ictibus patet.
Hæc Feriduni Regis est sententia
Persarum in aula Regis olim maximi,
Aulæque fronti inscripta, si Sado fides;
Sado, magistro nobili prudentiæ;

INFIDA RES EST QUÆLIBET MORTALIBUS;
INFIDA SORTIS PROPTER, ET DELIRIA:
RERUM COLENDUS CONDITOR QUI EST OMNIUM,
RECTORQUE. SOLUM LUMEN INTUETUR HUNC
TENETQUE POSSIDETQUE PROVIDENTIVM;
NAM SORTIS INNITI BONIS, ARUNDINI EST.
PERDITQUE SORS, ALITQUE SORS ET OMNIA.
SI CASTA MENS SIT, PURA SI SIT CRIMINUM,
SOLIO IN SOLO VEL IN MORI, PARUM INTEREST.

Sors in recessu saltuum haud raro latet,
Ut dira tigris, nescientem quo opprimat
Et non caventem. Qualibet latro in via est.
Mors sortis ipsa obtemperat libidini;
Ignavum ut evehat virum &, magnum rapit.
Sors cæca quamvis, quamlibet diem premit.
Sapienti amica est illa, quæ sors hostis est.

Vio-

Violasque caltasque, atque spinarum aspera,
Pluviisque gignit, promit ac ut Juppiter,
Malique sic, bonique sic sors est parens.
Bene ille qui malis, facit bonis male;
Tamen ista, sola sortis ista factio est.
Phœnixque cui, cuique & audax Armenus,
Syrusque cui, Medusque, Parthus, Cappadox,
Pluresque victi; cujus immodestiæ
Par Orbis haud, & unus haud suffecerat,
Pellæa proles, inclytum Macetûm decus,
Majorque jam spe, spe minorque jam suâ,
Dum concupiscit plura, quam ausa spes sibi
Est polliceri prima, speque devorat
Speranda quæ sunt nemini mortalium,
Et esse quidquid noscit, hoc cupit suum,
Suum & manere nemini vult Principum,
Ætatis ipso in flore raptus occidit,
Potus veneno, perditus domestico &
Dolo suorum. Iniqua sors Magno fuit,
Infesta si sic, cur minor qui est non tremit,
Mage sævientis sortis impar ictibus?
Epota Medo cum stupemus flumina,
Tractamque signa ad militum insanam manum,
Servire Medo in Graïa tellus disceret,
Et imperatum ferre victoris jugum,
Re speque & omni perditâ exemplum dedit,
Sorti omnis impar quod cluat potentia,
Potentiumque, & queis potentius nihil.
Sors castra castris, & ducem opponit duci,
Et militantem militanti strenue:
Adversa cuivis semper est sortis manus,
Haud impigra illa, semper adversaria,
Haud una, fida haud, multiplex sortis manus,
Ancepsque quæ, jurata quæque nemini est.
Mansura non sors; omnis est sors lubrica;
Feritque sors, servatque fœdus nemini.
A fronte, tergo à sortis est opponere
Sufflamen unum haud optimis conatibus.
Parare magna multus est labos sibi;
Evertere hæc sed, sortis est brevis labos.

Amnesque nec, nec alta montium juga,
Rapidusque Phasis vel, vel asper Caucasus,
Lacusque nec, nec saxa, nec quæ esse invia
Nobis putantur Sortis excludunt metum,
Manusve Sortis: pervium huic est quidlibet;
Obstare sortem quidlibet videt sibi.
Nullam esse virtuti inviam magna viam
Dum creditur, sors inviam raro haud facit.
Pacata cum videntur esse tempora,
Omni paratu armata sors bellum movet,
Et clam palamque classicum passim canit.
Pacem esse noster dum putat Batavus sibi;
Ille inclytus qui pace nunc Iberia,
Post gesta sæcli bella pene totius,
Et bella multo quæ cruenta sanguine,
Amica quondam se movet Britannia,
Et pace nobis semper illa nobilis,
Mari in quieto & excitat fluctus novos.
Fit sorte Princeps sæpe civis victima;
Civis cruenti victima & fit Principis.
In sorte vanâ quisquis est fiduciam
Qui spemque ponit, ille desertor sui,
Et proditor, juratus hostis & sibi est.
Parere sorti quisquis haud potest, perit;
Vis namque sortis est inevitabilis.
Sorte haud favente prodigus laboris est,
Nullusque frangit quem, fatigat aut labor.
Vis nosse sortis ex Scythis imaginem,
Veramque sorti haud discolorem imaginem?
Pede illa destituta est, penna sunt manus:
Prendenda & alis ergo, ne mox avolet,
Reditura nunquam, si favere jam velit,
Ridentis & præbere dulce suavium.
Legatione nobili quondam Scythæ
Juveni illa talis picta Pellæo fuit.
Nil quam ferarum lustra sunt sortis specus.
Et læva cum Ortum, & dextra cum Occasum tenet,
Sors certa tanti Principis tandem mori est.
Adversa sors est, vota cum excedunt modum.
Invita blanda sors teneri non potest.

Secunda sortis luditur non alea
Semper, diurna sive pernox alea.
Sors ebrii ista est, ut sepulchrum sit sibi.
Per sortis inconstantiam nihil sibi
Promittere aut negare cuipiam licet.
Ex melle sors & felle mixta est qualibet.
Fit sorte quivis ut viam ignotam terat.
Incerta sortis cuncta sunt mortalibus.
Sors divitemque pauperemque & impetit:
Qui dives auro est, perditisque moribus,
Non dives est; ast pauper est quisquis, licet
Ab omnibus jam destitutus, dives est,
Piusque si sit, more si probo integer;
Quasvis habetque, possidetque quaslibet
Opes. Sed hujus pulchritudo sordibus
Cœnoque multo turpis & deformis est.
Adversa magnum sortis haud frangunt virum,
Ut mersa cœno gemma se non polluit.
Illustris esse sortis est prosapiæ,
Sortisque tantum. Splendidis majoribus
Inersque degenerque raro haud gignitur,
Splendente ut igne ex nascitur vilis cinis.
Vacui instar est secunda quæ sors tympani,
Clangore solo tota commendabilis.
Sors plurimorum stulta arat, non seminat;
Iniqua multum seminat, metit nihil.
Cum sorte luctari, manum inferre est sibi.
Rerum perito sors iniqua semper est,
Nam est cum imperitis semper huic negotium.
Mens gnara rerum sit, perita casuum;
Semper futuræ sortis ignorantia est.
Quicunque rebus utitur florentibus
Bene haud, faventi nescius sorti obsequi,
Inobsequentem reddit, infestam & sibi.
Sors parca sit, sit larga, parcit nemini,
Et larga nulli est. Quod dedit statim rapit.
Sors sæva quæ, quæ adversa, tota non nocet;
Ipsis medullam constat esse & ossibus.
Cum sorte fas haud se favente extollere;
Cum non favente qui sapit non concidit.

Incerta quævis, cæca sortis omnia:
Præstare quisquis creditur prudentiæ,
Est cæcus amplam qui gerit facem manu.
Sors cum malis favet, bonis injuria est;
Et ista perpes sortis est injuria,
Quâ major esse nulla, vel fingi potest;
Tamenque nulla se exhibet frequentior.
Amica sors sit, non habenda sit fides;
Tibi esse amica cum videtur, hostis est.
Specie beatos sors facit, re non facit.
Alii labore multo opes ut congerant,
Aliique nullo ut consequantur maximas,
Mortalium sors omnium est & temporum.
Regens habenas nullus est sortis suæ.
Sors sæpius plerisque quam virtus favet:
Ortu occidit subinde in, Occidentis in
Et surgit oris. Sortis exlex ortus est,
Occasus exlex. Nulla sit sorti fides
Loca omnia is qui circuit, qui flumina,
Montesque & urbes, porrigensque se nemus
Ubique, qui marique clausas insulas,
Terrasque multa ferre, multa & æquora,
Terræque multum dêsse, multum & æquori
Quivis videbit. Sortis hæc injuria est.
Remotus est quicunque natali à solo,
Sortem prementem sentit, ut sentit domi,
Gravius prementem & sentit, ac sentit domi.
Sors sæpe victi est illa quæ victoris est.
Sors obstat ausis plurimorum ingentibus,
Modicisque & ausis. Nullus est sorti modus.
Algere, sudare &, patique quidlibet,
Brumamque & æstum, sortis est mortalium.
Superbus ille pessimo longe est loco,
Qui sorte pressos sæviente despicit;
Nam presso eâdem nullus huic amicus est.
Incerta sorte cuncta sunt præsentia:
Ventura quæ & sunt cuncta in incerto jacent.
Nil sorte vivendi datum est iniquius;
Nam vita mortem longa nullius fugit.
Hujus diei, crastini an sint tempora

Ad-

Addenda summæ, sorte in obscuro latet.
Est tempus omne sortis; effluit cito,
Ruit, fugitque. Qui sapis, statim utere.
Injuriam sortis manere per potest
Nihil. Nam edax sors est. Vetustas tabida
Saxumque ferrumque omne perdit temporum.
Homines ut ipsi, sic caducæ sortis &
Humana quæ sunt. Occidunt & desinunt.
Sortem faventem ne colas. Falsa hæc nihil
Tandem relinquit, quo fuisse se probet:
Pretio in viris mansura sunt prudentibus.
Sortis reluctans optimo est semper manus,
Favensque pravis. Sortis hæc tyrannis est.
In sorte tu repone nil fiduciæ;
Sub vultu eodem læta, non læta & latet.
Non una sortis omnis inclementia est.
Nucem esse cassam prodit ut pondus leve,
Sic falsum amicum sortis inconstantia,
Sapientis est docere quosvis quidlibet;
Sapientis at sors, quod doceri non velint.
Magnum ille se qui, sortis haud videt vices.
Bello à cavendum est. Sorti & armatam manum,
Pugnumque ferro inferre, non prudentis est.
Sorti haud secundæ quisquis est qui irascitur,
Nocentiorem sic facit sortem sibi;
Hostis sibi est, hostem suum ille qui adjuvat.
Potentiori ut, subjicit sorti manum,
Qui cautus. Est vis sortis haud domabilis.
Sorte haud ferente nulla vis est consili,
Ut nulla, vento non ferente, navitæ.
Vexatque despicitque sors & maximos:
Et nulla major sortis est superbia
Movenda sunt quæcunque sunt mortalium;
Sortem movet nil, sed movet sors omnia.
Cautosque & incautosque sors falsos habet.
Fraus tota sors est, tota sors dementia,
Et impotens potentia, & delirium,
Recreansque nunc, nunc territansque somnium,
Et vanior fallaciorque somnio.
Sors arma porrigit cui, hujus hostis est
Opibusque, liberalis offert quas, nocet.

Sit cæca quamvis sors videntes decipit,
Seroque falsum sorte se falsus videt.
Fit sorte sera ut sit Phrygum sapientia.
Nimium in reponit sorte qui fiducia,
Severinensis hoc Roberti perlegat
Tumulo in legendum &, & legendum posteris;
ROBERTUS HAC SUB MOLE BELLATOR CUBO,
ROBERTUS, ILLE MARTIUS DUX ITALUM:
GERENTE ME REM FORTIS ADRIA ET STETIT;
PEREMPTUS OMNEM FT ADRIÆ SPEM SUSTULI.
GERMANUS INSOLENTER AUSUM ME DEDIT
EXEMPLUM UT ESSEM POSTERIS. NEPOS CAVE.
Sors omnium invadit bona, ut vacantia.
Dolos carere posse, vim & successibus,
Claret patetque sortis ex injuria.
Excisa quondam militantis Græcia
Armis superba & Ilios, Roma & manu
Eversa pridem Barbararum gentium,
In sedibus vix nota Roma jam suis,
Sibique vix jam nota, nota vix suis,
Semi & sepulta ferro aratri pervia
Ingentium ossa & Marte clarorum ducum,
Prætoria & Regum ruinosæ domus,
Quæ pulvis infelixque nunc herba occulit,
Sepelitque surrectura vix unquam è situ,
Sortis, struendi & destruendi quæ artifex,
Perdentis omnes, omnia ac ut perdidit,
Et perdituræ quidlibet, monumenta sunt,
Majora sunt majoris haud quibus metus.
Meminisse nunquam sortis, obliti sui est.
Ex sorte pandit lata passim se area
Patetque curæ, dum timentur omnia
Timenda quæ, ventura quæ sint nesciis.
Telluris & quotcunque sunt, & æquoris,
Nobisque plura & imminent pericula,

Sunt

Sunt cuncta sortis: omnium sors est penus.
Est rara vires temperat quæ sors suas.
Adultera est sors; sortis insanit procus.
Prohibente nullo &, & jubente nemine.
Prohibetque sors quidquid modo est visum, aut jubet.
Est pacta sortis littore in nullo anchora.
Pelagoque cœloque & faventes cum vides
Spirare ventos, ingruit vis protinus
Trux turbinum ut, procellarum & furor;
Sic sors & ipsa, læta cum ridet viro
Bonumque plenâ quodlibet spargit manu,
Mox promit iras, dona, damnans & sua
Damnata perdit hostis implacabilis.
Non sponsor ullus; obses aut ullus datur,
Potest nec esse, pro bonâ sortis fide.
Plerisque telis vulnus infertur suis;
Perire quos vult, sic jubet sors plurimos,
Ipsumque & armatum sibi opponit virum,
Sua sævientem in sauciantem & viscera:
Indigniore nemo quo perit modo.
Jubentur ire cuncta quo sorte, huc eunt;
Cunctorum habena in unius sortis manu est.
Cui multa sortis sunt data indulgentia,
A sorte parte non potest unâ capi.
Domitæque Thebæ queis, bimembres queis viri
Victique fusique &, nigrique regia
Pulsata Ditis, quiesque non ausum nihil,
Illustre sanguen, inclytum Heröum genus,
Dedere victas vinculis sortis manus;
Dabuntque primi semper & mortalium,
Sicut priores. Sortis hæc constantia est.
Longus favor sortis, brevis pœna est mora.
Medicina sortem noscere est suam mali.
Nocitura furto ut plurimum rem sors gerit:
Fraude est latente sortis omnes fallere.
Sors justa magni causa semper est metus.
Sors est quietem quæ esse & alternam haud sinit.
Quæ strata sorti, murice obsessa est via.
Orientis omnes undique acceptæ quæ opes,
Arabum & labores, quidquid Indo & gignitur,
Gignitque Ganges, magna sortis præda sunt.

Servire magnis sueta non sors mentibus.
Quæcunque tandem, sit rubori nemini:
Quæcunque cuivis, semper & , sors imminet.
Sit rara quod clementia & paucissimis,
Nil quam futuræ sortis ignorantia est,
Spe majus est offerre sortis & minus,
Metuque majus semper & metu minus.
Miserique nos, servique, clausique hic sumus
Sortis catena; Vita tantum carcer est.
Damnis levare damna sæpe sors jubet.
Quibuslibet tentanda Fortuna est modis.
Quas sors opes dat aureæ sunt compedes,
Boiæque tantum quis ligantur divites.
Est sortis, haud est Principis princeps locus.
Est præda major sæpe quam prædantium,
Captique quam vincentis est major manus.
Non certa spes ex sorte, non certus metus:
Stare & cadentem, sidere & stantem jubet.
Furente sorte tuta nec timentibus
Fuga ulla, nec constantia est audacibus.
Ventrem nepotis cum vorare prædia,
Agrosque opesque avorum & jam gulæ
Prædam esse cum vides (& esse perpetim
Vides ubique) & esse prædatrix manus
Non una sortis, uno & haud rapax modo
Esse, haud videri providenti non potest.
Delere cuncta quæ vetustas dicitur,
Dicenda non est. Sors nova, & semper nova, &
Hoc ore nunquam visa, quo nunc cernitur,
Vetusta cum novisque mutat omnia,
Semper futura & omnium mutatio.
Non imperitis casuum humanæ rei,
Sortisque magna quæ impetentis omnia,
Quæ tuta factis se probant pro insignibus.
Vibrata sortis quæ lacerto lancea est,
Fodit potentis transit & latus viri;
Cui comparata nobilis quæ Pelias
Celebratur hasta, cuspide ut defecta hebet,
Levisque tantum ad instar est arundinis,
Stramenque nisu haud quod fere ullo frangitur,
Sub sorte victa qualibet cujuslibet

Et

Et fracta virtus visque jam pridem jacet;
Imbellis ipsa & inclyti Alcidæ manus,
Qua tot domante monstra, terrente omnia &
Terrere nata, sola Sors major fuit.
Dextra rubente qualis infesti Jovis
Sese ira prodit, editasque maxime
Jaculatur arces, turriumque culmina,
Nubesque quæ inter extulere jam caput;
Talis furentis magna tempestatibus
Fortuna Sortis maxime est obnoxia,
Patetque semper sævientis ictibus.
Sors huic favet, latere quem tutum sinit.
Vibrare non & hastam acutæ cuspidis,
Clypeo tueri & pectus haud septemplice,
Galeamque pressâ sustinere non comâ,
Armisque telo aut indui non perviis,
Prodest juvatve, Sortis iratæ impetus
Perire cum vult, perdere & cupit virum.
Quæ læta Sortis esse vulgo judicant,
Permixta nîl quam morsibus sunt basia.
Immitis est, undisque sævior maris,
Ferociorque turbine insano Noti,
Turbare cum Sors incipit, cumque omnibus
Accincta ventis denegat portum rati.
Adversa Sortis fortiter ferenda sunt;
Abeunte non colore, non & corpore,
Lachrymis furentem & nemo comminuit suis.
Est nulla Sortis blandulæ constantia,
Amorque mox in tædium convertitur.
Est vana Sorti objecta contumacia;
Victasque tandem & ferreus præbet manus.
Uterum gerentis illa sæpe Sors fuit,
Enixa sit crimenque ut, ac onus sibi.
Vidi vetustæ gentis ultimos mori,
Unumque gentis funus esse totius.
Est Sortis illud; plurium quæ imaginum
Ingentibusque & inclytas pridem domos
Meritisque fultas eruit radicitus,
Nullis relictis posterûm vestigiis.
Fœcunda contra stirps suorum copia
Et fessa sæpe, exhausta multitudine &,

Impar

Impar fatiscit. Sortis hic quoque est jocus.
Amore nîl est dulcius, præsentia &
Amantium nîl; Sortis ast injuriâ
Locorum amantes dividunt divortia,
Quamvisque amantes sic amare non sinunt,
Volunt amare ut. Goesii testor fidem,
(Meminisse nam omnium hic amantium haud lubet)
Fidosque amores; Goesii, quem publicæ
Rei vacantem Rhenus & nunc Amstela
Laudat probatque; quique quidquid otii
Negotiis dispungit & pulcherrimis,
Et profuturis postero laboribus:
Absente quo jam, abesse jam videor mihi.
Animosque & iram, Sortem & ipsam vincere est;
Qui haud victor illorum est, miser victus perit,
Servitque Sorti servitutem perpetem.
Hilaritatis causa Sors est & modus,
Mœroris est & causa cuivis ac modus;
Modimperatrix rebus in mortalium
Suprema, quemvis cui necesse est obsequi,
Crœsumque & Irum; cujus extra limites,
Metasque nulli est integrum procedere,
Mensura sola quæ geruntur omnium.
Non nota non est Sortis ulli injuria,
Hac finienti vivere hoc, ut inchoat;
Et vivere illud triste, triste illud mori &;
Morique posse haud, cum velis tamen mori,
Finire vitam &, cum tamen nolis mori,
Morique quo tu vis modo, aut etiam loco,
Aut tempore, omne Sortis illud arbitrI est.
Omnis rigentis illa contumacia
Fastusque mentis, pressus adversariæ
Sortis furore sæpe quâ superbus est,
Nil quam prementis majus est onus mali.
Quo serius, plerumque Sors gravius ferit,
Morosa longi ob temporis fastidia.
Sunt cæca sæpe Sors facit quæ vulnera;
Curanda nullâ prodeunt cum jam manu.
A gente tota subditâ mortalium,
(Ut tota subdita est) tributum Sors sibi
Non æqua poscit, & negandum nemini.

Infesta rebus sæva Sors ut omnibus,
Infesta rebus maxime est majoribus.
Clavâ trinodi sternit & Sors omnia,
Cum vult eâdem hac & tuetur omnia.
Reserata Sorti janua est omnis domus,
Custos fidelis quamlibet custodiat;
Custode pro se sæpe Sors & utitur.
Aperta Sortis oscula, haud sunt odia.
Nunc sævit &, parcitque nunc Sors & viro,
Ventosa vento quolibet ventosior.
Fastus superbum haud, alta verba nec juvant,
Sententiam cum adversa Sors pronunciat.
Sorti omnium sese & sua est summittere;
Regale & ipsum tenditur Sorti genu.
Sortis nocentis mille dantur spicula;
Nocere cum tibi haud potest, nocet tuis,
Tuis nocere cum haud potest, nocet tibi.
Amanda non Sors, quæ potest te spernere.
Patiare Sorte quidquid evenit tibi,
Nam dura Sortis sunt ferenda leniter.
Sunt apta Sortis quælibet venatibus,
Hoc orbe nostro in, totus is qui Regia
Regnumque totus Sortis; est per fluctuum
Eundum & æquor, & natandum immanium;
Quos inter & perire plures contigit;
Quibusque luctari ex datum est paucissimis.
Magistra rerum longa queis ætas fuit,
Solis peritia est vicissitudinum
Exacta Sortis, casuumque & omnium.
Spatiosa longa vita Sortis area est.
Sortem fidelem nemo promittat sibi,
Cito illa, inexspectata & illa quæ favet;
Abitura nam est cito illa, quæ venit cito.
Amore Sortis sæpe amatus læsus est;
Præstatque amori sæpe Sortis odium.
Infesta semper blanda Sors est credulis;
Non blanda semper, blanda cum videtur, est.
Foliis & ipsis vana Sors magis levis
Est, cum illa succi destituta pondere
Levibusque ventis sicca facta concidunt;
Minusque Sorti pondus est quam vertici

Aristæ;

Aristæ, adusta solibus quæ jam riget.
Mandant arenæ sæpe stulti semina,
Qui Sortis haud dum parta jam partis bonis
Sibi comparare nescii Sortis student.
Subito parantur tela Sortis & nocent.
Ab arte prudens artis & defectus est,
Sors cum faventem dura non præbet manum.
A Sorte læsi haud, Sorte qui non saucii,
Vixere nulli. Huic omnium patet latus,
Omne & patebit post futuris sæculis.
Expertus annis ipse sum puerilibus
Infansque pene Sortis & deliria, &
Magnos furores, Breda cum flos urbium,
Dives bonorum cornucopia omnium,
Cererisque Pomonæque nobile horreum,
Dryadumque sedes, nulla quâ vel pulchior
Amœniorve in nobilis Brabantiæ
Laudatur oris, clara Martis area,
Fossisque castellisque cincta plurimis,
Sola hostium quæ non domanda tunc manu,
Ab hoste, ab & fame atque pestilentia
Obsessa passim, Spinolæ victas manus
Dedit fatiscens, instar & cadaveris.
Sors vincit &, triumfat & Sors omnia.
Jason auratæ ille dives vellere
Ovis, esse magnas Sortis ostendit vices,
Passæ haud manere quem beatum fecerat.
Sunt Sortis hæc quæ dona pacta nemini;
Dolosa Sors est omnis & venefica.
Incerta Sortis propter alternant fidem
Spes & timorque, resque quævis fluctat,
Fidesque pacta, sancta jura & conjugî,
Quibusque Juno pronuba adfuere, queis
Hymenque sertis læta vinctus tempora,
Pietatis & sunt quæ jubentur legibus,
Parentque Sortis atque cedunt jussui.
Qui dives & rerumque non peritus est,
Miser faventis Sortis est & pusio,
Setaque porcus aurea spectabilis.
Sorti reniti non licet; Sors quemlibet
Vult quando, quovis pellit ac trahit modo.

Cum multa & æstas, cum cucurrit ac hyems,
Hora una vitæ finis est mortalium,
Momentum & unum est. Ista sors est omnium.
Vix sors recurrit læta quæ fuit viro
Celatus alvo in matris est qui, vinctus &,
Omnique fœtus luce cassus jurgia
Sortis nocentis experitur & manus,
Uteroque sæpe matris exsectus suæ
Effertur illætabilem ad Ditis domum.
Numerosa non si concidat sorti hostia,
Irata sese, infesta, placari haud sinit.
A sorte, quæ exspectata non, vulnus tulit
Sæpe ille, sortis qui rudis fallaciæ est.
Mutare velle sortis incertæ vices,
Cursumque, Lunam est velle cœlo educere, &
Equos tenebris velle Solis abdere.
Quorum superbis summa sceptris tradita,
Quorumque ab alto jussa se promunt toro,
Coguntque gentes, sortis esse legibus
Regnoque & omnes cum videmus subditos
Obnoxiosque, sortis indomabilis
Sit quanta in Orbe hoc constat hinc potentia.
Cajumque nam Cajamque, Sejumque, & manum
Vilem nepotum Romuli, imbellem manum,
Evertere ac prosternere est facillimum.
Melioris ille qui anxia cupidine
Sortis tenetur semper, & semet miser
Votis fatigat opprimitque inanibus,
Facienda poscit, quæque facta sunt fugit.
Vix sors habendum, sed videndum porrigit
Quidquid suorum falsa promit munerum;
Tantum & videndum, quodque mox visum haud vides,
Non nota sors est, nota sors quæ est omnibus,
Fallaxque nota, ignota sed fallaciis.
Fidem dedit sors cum & fefellit credulum, ut
Iterumque fallat, alteram dabit fidem.
Sors altâ ab arce quidlibet spectat sua,
Mutatque ridetque & regitque quidlibet;
Ridente sorte in omnis est fiducia.
Sors excitare destinat cum incendium,

Oblata

Oblata ad instar sulfuris sunt omnia,
Tedaque cerata, læta tantum & ignium.
Carere Sortis stultus haud faventia
Potest; faventis nulla cujus est fides.
Sortem qui amavit, pejus indies amat;
Amare sortem nil nisi est se fallere:
Amare sortis nam nihil quam fallere est
Amore sors est diffidens nunquam suo,
Mutanda nulli quæ omnium est mutatio.
Lapisve vel, montesve, nata in rupibus
Altisve robora, aut feroces quæ feræ,
Gennêre sortem duram, inexorabilem,
Prece illa nullâ flectier quæ se sinit.
Meus ille pridem, Belga qui tot inclytus
Terrâ & marique & inclytis victoriis,
Thule ultima & quem, quemque Calpe, & aureus
Timuere Ganges nuper admodum, Herculis
Timuere metæ &, dexterâ cum Heemskerckii,
Semper canenda posteris quæ dextera,
Optanda semper &, superbæ Iberiæ
Clausitque terruitque portus nobiles;
Belga ille, sortis invidæ inclementiâ,
Testata quamvis Orbi & innocentiæ,
Sociorum & omnis odium certaminis,
Bello illigatus, læsus ac, quod præferox
Gens Angla movit, insolens jam cladibus
Domi suorum, sortis incertas vices
Variosque casus experitur in mari,
Marique, natam quo esse sortem dixeris,
Motu nec uno quæ movetur indies.
Ferente sorte haud, Æolo contrario,
Obstantibusque est navigare fluctibus.
Sors Diva vulgo est. Nullius nam gratia
Prodesse sortis absque gratia solet.
Ventusque & unda sorte certiora sunt.
Ignarus omnis ille sortis perfidæ est,
A sorte pœnas exigit qui perfida.
Cum ramo olivæ oblata sors insignis est,
Præfertque pacem, sæpe clam bellum movet,
Quod Pace tectum quolibet magis nocet,

Agno-

Agnoscere haud, cavere dum hostem non licet.
Crux vita sæpe est: perdit & crudelius
Vitâ manente sæpe sors, quam funere.
Aperta tantum haud, tecta sortis tela sunt
Dolisque fraudibusque, queis frequentius
Nihil, nihilque queis datur nocentius.
Pessumdat & sors maximos & infimos.
Regina quondam nobilis Carthaginis,
Phrygiâque Dido fraude compulsa est mori;
Dolisque mille perdidit sors principes
Regesque mille, Marte non domabiles.
Dolosa raro haud duplicis sortis facit,
Ferrata quod non ipsa Bellona manus.
Cœloque terrâque & marique fulmina
Emittit, est cum irata jam sors gentibus,
Titulo illa cladis nobilis sors omnium.
Ætate non sexuque non imbellibus
Dura illa parcit. Versa Troja testis est,
Terrensque testis, traditis si sit fides;
Fessi nec annis languor Anchisæ senis,
Priamusque nec senex, nec Ascanius puer,
Priamive conjux illa quondam nobilis,
Nec Dii, penates, legerat quos Tros sibi,
Potuere declinare perdentis manum,
Cohibetque nemo, nemo quam vincit suâ.
Servasse sors cum visa, servavit malis
Aliis &, & majoribus malis, virum:
Charybdis haud cum, sæpe Scylla navitam,
Erepta flammis sæpe & unda perdidit.
Sors isdem oberrat casibus quovis loco.
Tori & lacerti queis nihil valentius,
Valentiores nec fuerunt Herculis,
Non ferre possunt sortis indulgentiam;
Magnum illa frangit, illa & enervat virum.
Septentrionis inclyta illa natio
Lateque pollens nobilis Poloniæ,
Terrore Portæ & illa quæ Othomannicæ
Spoliisque raptis Bosphoro de Turcico
Insignis Orbi est, jam rebellis perfido
Ausu Cosaci pace damnata domi.

Ad-

(Adversa semper prosperis ut objicit
Miscetque sortis inquies mutatio)
Fœdo suorum ambusta nunc incendio est.
Est versipelli subditus sorti minus,
Avita bobus rura qui exercet suis,
Pacata semper rura, solitudines
Mens queis sibi in corpusque cum volunt vacant,
Quantum voluntque, eoque quo volunt modo.
Hugeniani prædii titulus monet,
Cupido quietis ipsa quod struxit Quies,
In prædio Aulam nobilem esse AULÆ FUGAM,
Hagana cui ipsa cum superbis molibus,
Cum turribusque, mille cum discursibus
Ineptientiumque passim & supplicum,
Falsorum & omnium, omnium & fallentium,
Omni & paratu nobilis vesaniæ
Pupaque & omni, tota se non præferat.
Rara illa dictat, magna dictat qualibet
In otio non otiosis mentibus,
Brumâque terras per, per æquor septimâ
Tractusque fessusque inclyti Æneæ labos,
Aras focosque dum suorum deserit,
Patriasque sedes cogitur relinquere,
Aliena & exul regna passim quærere;
Humusque duro pressa Teucro Punica;
Duroque Juli ab nobilis mater viro
Relicta quondam; adulteri vestigia
Lucretiæque fœda nobili in toro;
Sibique se quæ victimam Lucretia
Suo & pudori, læsa jam libidine
Et vi superbâ, nec ferendâ Tarquini
Mactavit olim; Romulique mœnia
Madefacta Remi prima fratris sanguine;
Romæque fata Albæque fata & inclytæ,
Quæ bis trium permissa jam certamini
Favere Romæ; & ille clangor anseris
Servator Arcis, quæ fuit rerum caput
Regina & Orbis; nobiles Fabii, dies
Objecit hosti & una quos omnes dies
Cecîdit una &, & trecentos perdidit;

Victor-

Victorque Pœnus, victus & Pœnus manu,
Carthago summi & æmula illa quæ imperI,
Carthago Romæ lenta visa cedere,
Vincenda ferro, & plurium annorum labor,
Excisa ferro &, funditusque subruta,
Ingente Roma quidquid & farragine
Rerum legendum posteris quondam dedit,
Dedit stupendum &, clade seu, victoria
Insigne seu sit nobili; simillima
Aliisque quondam oblata quæ sunt gentibus,
Nuperque quæ sunt, versipellis omnia
Monumenta sortis, & vicissitudinum
Documenta sortis omnibus sunt posteris.
Bene vix, favere quæ videtur, sors facit,
Quin magnum iniqua ab jam paratum sit malum.
Sepulta fama plurimorum, nomina
Scripsisse in Albo debuit quorum suo
Et tradidisse posteris Æternitas,
Exempla ut essent exprimenda posteris,
Æterna sortis invida est injuria.
Sors signa fatis edidit mortalium
Diversa semper, plurimi quæ negligunt,
Nec negligenda signa quæ prudentibus.
Adversa quæ; quæ blanda sors, vel murmure
Superbiâ vel læsa, pœnâs exigit.
Gravis imperata à sorte multis sarcina est,
Quam ferre qui haud vult, alteram imponit sibi:
Culpâ ipse factus bajulus major suâ,
Magis magisque semper & gravis sibi.
Extremum in &, vitæque & in novissima
Mansitque cuivis, & manebit omnibus
Sortis rebellis nota quæ protervia est.
Patriam relinquere, exilI errorem ac agi,
Duras sequente & hoste compelli in vias.
Tandemque terris applicari incognitis,
Omnis diei triste nunc spectaculum est,
Adversa dum sors vendicat quidvis sibi
Suisque quemvis nobilem facit malis.
Urbesque lateque & patentium urbium
Fixisse mœnia haud juvat, sors cum ingruit

Rese-

Reserata sunt cui clausa quæ sunt omnia.
Pacata sors non; bella dum passim tument
Terrâ marique; bella sorti perplacent;
Regnum furenti & bella sunt amplissimum.
Sorti placet quæ, mille amatur à procis;
Sorti placet quæ haud, mille non procis placet;
Placere sorti nunc placere est omnibus.
Sunt parva semper blanda sortis tempora:
Obstantis at plerumque longiora sunt,
Vix illa sero sueta quæ mitescere.
Justos piosque vinculis gravioribus
Contra piumque jusque sors clausos tenet,
Clausamque & ipsam ergastulo Innocentiam;
Viamque latam pessimi sternit viri
Aperitque planam perditæ libidini.
Sinuosâ mille vela, mille non rates,
Jam persequentis sortis effugiunt manum.
Ex sorte nemo quod lubet legit sibi;
Sors cuncta dat, non datque pro lubidine.
Obesse quisquis sidus adversum sibi
Queritur doletque, nescius causæ mali
Sorti, imputanda quæ mala, astris imputat.
Nocitura cum sors, ignis ad torrem venit.
Plures cothurnis Herculis sors induit.
Pedibusque lapsum destinat minoribus.
Crassosque Pompejosque, & illum qui sua ad
Duxit Quirites flagra, fœde perdidit
Summus petitus arte non ullâ locus.
Series laborum immensa quem haud fregit virum,
Momento in uno sortis irâ concidit;
Exempla magni est inter Alcidæ metus:
Pace ille terras, ille pace cum æquora,
Meritisque utramque solis implesset domum,
Et cuncta vi jam terruisset vindice,
Fessoque Atlante & ipse fulcisset polum,
Cumque ipsa Juno, cumque Stheneleius
Fregisset hostis haud, amore perditus
Sorti nocenti jussus est succumbere.
Obscura sortis cuncta sunt molimina;
Timorque spe ut, spes timore disperit.

Qualis

Qualis Tonantis uxor & germanaque
Mutatur ore semper, haud similis sibi
Sibive constans; talis & sors omnium
Novisque promit, condit & se vultibus.
Dives malorum, cladis & sors dives est;
Cumulat priora semper & malis novis.
Bene incipit sors quæ, male illa desinit
Plerumque; cedunt ultima & prioribus.
Temerata quæ Auge est abditis in vallibus,
Formosa quondam turbaque & Teuthantidum;
Æqualis haud est jurgium quod conjugI,
Majore pressa nupta conjuge & minor,
Caiâ maritus pressus & minor suâ,
Et triste semper conjugum divortium,
Venerisque spreta præmia, & pulsi toro
Dii conjugales, quosque juravit Deos
Fides amantum, nota sortis ansa sunt,
Et nota pridem, & seculis prioribus.
Culpare sortis expeditum injuriam est,
Non expeditum injuriam est avertere,
Ventis iniquis actus esse cum putat
Se sospitem salvumque tandem & in sinu
Gremioque portus, sæpe securum opprimit,
Nihil timentem &, mobilis sortis furor,
Intuta quo sunt illa quæ tutissima.
Sceleratus est qui & integrum vitæ virum
Scelerisque purum sæpe vincit, & sibi
Substernit unâ sortis adjutus manu,
Libenter illa militat quæ crimini,
Pœnaque præfert optimis dignissimos,
Impensiusque iram merentes diligit.
Plerumque sorti est ira non furor brevis.
Pari in pares haud ulla vis est imperI:
Sunt qui imperant, quique obsequuntur dispares:
Turbare quidvis, ordinem hunc confundere est;
Turbare rarum at sortis haud molimen est.
Sors umbra tantum est, quæ volentem prendere
Fugitque deseritque, & umbrâ vanior.
Inopsque & exspes sorte fit ditissimus,
Inops bonorum dives & pecuniæ:

Variare

Variare semper duplicis nam hæc sortis est.
Quæsitum amicum sæpe diu, non invenis;
Inventum amicum sæpe diu non possides;
Amicus hostem sæpe se opponit tibi,
Tuorum amicus & satelles hostium:
Accepta sortis hæc ferenda sunt jocis.
Favens cum amatur sors, amatur & nimis:
Amica sors sit, sed tu amicam non putes;
Non est amica hæc, esse quæ mox desinit.
Ætatis & lascivientis impetus,
Laborque adultæ, desinentis & tremor
Inersque torpor, vita sorsque est omnium.
Rugosa frons, albensque jam canis caput,
Frigusque circum sanguinis præcordia,
Et crassa temporum priorum oblivio,
Fugiensque vox &, fugit ut Mœrin senem
Vox ipsa quondam, truncus hausti corporis,
Vivum & cadaver, sors senectæ est cuilibet.
Discrimina &, casusque rerum &, & vices,
Quæ sortis excitantur insolentiâ,
Numerare quævis ipsa sors non quiverit.
Vale ergo sors, & res tuas habe tibi,
Tuasque, nulli quas manere tu sinis;
Sors dura, iniqua sors, & illætabilis,
Hominum noverca præferox prosapiæ,
Tantum veneni plena, tantum toxicum,
Et larva tantum, totaque & fallacia,
Et tanta fallat omnium ut fallaciam,
Cujusque præda quilibet sit cassibus,
Et nata fraudis, fraudis & tantum parens,
Inimica sors & omnium, & mutatio,
Magistra falsi semper & mendacii,
Scelerumque larga & omnium nutricula,
Aliisque tigris perfida ac ipsi tibi,
Infame monstrum, totius quæ circulum
Perambulasque & Orbis, atque territas,
Voraxque Scylla &, & Charybdis omnium,
Inimica semper: cum dedisti quidlibet,
Nihil dedisti, splendidum præter nihil,
Nihil ipsa semper, tota nîl præter nihil.

CHARACTER
CAUSSARUM PATRONI.

AD

JOHANNEM à DANS,
Cum J. U. Doctor crearetur.

ASTrea, Dansi, fræna gentis humanæ
Moderata quondam est, vagientis invictum,
Fulcimen orbis: sed verenda Majestas
Expulsa Divæ, dum pudore semoto
Fas quisque ridet, bella dum gerit secum
Armatus in se, dum furentis in morem
Scelus procatur, & retundit insontes.
Invisa terris, criminumque pertæsa
Terris relictis cœlitum petit sedes
Reditura nunquam. Percitas furor mentes
Regit furore. Plena cuncta noxarum,
Nec cura recti durat, aut metus legum.
Gens nata tandem, terror orbis impuri,
Proles Themistæ, germen aureum cœli,
Fœcunda juris natio peritorum.
Gens inquieta, sed quietis interpres,
Discordiarum plena, nec tamen discors.
Tutela sæcli, & æquitatis immota
Fideique custos, torcular scelestorum.
Juris patronus Regis instar augusti,
Et rege quovis major, arbiter regum.
Qui scita plebis, & Quiritium leges,
Qui vota patrum, Principisque Romani
Quæ dixit olim purpurata Majestas
Indicit orbi, rector orbis immensi.
Cui aura paret, aërisque diffusi
Totumque magni lumen ac jubar Phœbi;
Cui terra cedunt limitesque terrarum;
Qui jura dictat servitutis urbanæ,

Et rusticorum servitutis agrorum,
Sed liber ipse; cuique mater undarum
Subjecta Tethys, dum fatetur immunes
Nec claudit undas; cui superba magnorum
Se Sceptra Regum purpuræque submittunt;
Et cuncta subsunt & libenter adsurgunt
Ut cuncta legi; cuique cesserit magni
Proles Philippi, gentium triumfatrix,
Majorque cunctis, sed tamen minor lege.
Titulis & ipse tot superbit inflatus
Quot sceptra nulla prætulere regnantum;
Queis Africanæ clima subjacet terræ,
Et queis rubenti parent Indiæ Phœbus,
Et Occidentis cuncta deferunt reges.
Qui lege vivos stringit atque sublatos,
Et vox silentum & arbiter sepultorum.
Fixere quidquid ultimæ manu voces
Exponit orbi, formulasque testesque
Sed testis æqui, sed disertus infernæ
Legatus umbræ, nec colonus umbrarum.
Per quem tacentes nemo dixerit manes.
Manes loquuntur, sed loquuntur Astræam
Loquentis ore, qui superstites curat
Fatoque raptos, victor ipse fatorum
Et morte major, æquitatis asserta
Sermone vocem dum resignat extincti.
Solum levamen orbitatis afflictæ
Verique rector; quem timere consuevit
Quidquid timetur; quem probare contendit
Quidquid probatur; qui cuique dispartit
Quod quisque fecit; qui nocentis in pœnam
Suæ innocentes innocentiæ donat.
Gens æstimata semper ut tenax recti;
Sed (Vim Charontis testor & domum Ditis)
Oblita juris, impedita, corrupta,
Catasta sæpe & strix iniqua terrarum.
Exenteratrix invenusta marsupî,
Vanumque caussæ cymbalum fatiscentis:
Non expedita, non diserta, non verax
Sed petricosa, emasculata & elumbis

Et pestilentis eloquentiæ plena,
Et machinatrix artium pudendarum,
Et mille sollers architecta techmarum.
Canina proles, numinisque latrantis
Parens Anubis, Cerberoque cognata.
Injusta lites quæ petissit æternas,
Inominato quæ sucta latratu
Miscere gentes, jurgiisque rixisque
Animi furores inquietis irritat
Saburra fraudis, impiæ stupor mentis;
Eversor æqui, qui patronus audiret,
Heresque sæpe litigantis heredis,
Dum damna litis propter, & moras propter,
Hereditatis portio perit tota.
Qui jura vendit, & clientis ambesi
Arrodit inguen, impudenter exposcens,
Vectigal oris impudentis & pignus,
Orci tribulis & propinquus inferni.
Venuste Dansi, corculum venustatum,
Quem Gratiarum lacte dilutum pectus,
Amorque dulcis virginum Camœnarum
Et Phœbus ipse, magnus arbiter vatum,
Et liberalis quem modestiæ candor,
Vigorque mentis incitatus à primis
Evexit annis; quem procantium curæ
Castæque totum Cypridos voluptates
Tenuere nuper; dum puella se promit
Dominæque vultum basiator adlambis
Et os calentis: te sui Themis dictat
Æqui patronum, dum merentis in laudem
Defert periti juris inclytum nomen.
Porro Quirites! Ut tibi Themis favit
Sic Diva Cypri. Si tamen neget cœlum,
Amata quod si non remiserit fastum,
Nec amoveri virginis sinat nomen,
Solam, relictis basiis puellarum,
Amare pergas candidæ Themin frontis.
Quæ blanda tota, tota mentis erectæ
Se totam amanti perlibenter impendit,

CHARACTER AMORIS,

Nuptiis HENRICI ZUERI BOXHORNI, Fratris sui & CATHARINÆ PUTEANÆ, consecratus.

Amor Diones natus, & puer cœli,
Omnis venustæ conditor voluptatis;
Puer, sed orbis imperator immensi,
Cujusque dextram sentit, & simul lævam
Æther veretur, ætherisque regnator;
Cæcus, sed arcus qui peritus audacis,
Certus suarum funditor sagittarum:
Lascivus, exlex, & jocosus interpres
Facetiarum, prodigusque dictator:
Stator juventæ, prædo mentis invictus,
Pirata dulcis dulcium puellarum:
Vexilla cujus tot sequuntur errones.
Amant puellas sæpe non amaturas:
Amant puellas sero vix amaturas.
Cupido grati distributor ingrati,
Ingrata gratis miscet & tamen grata,
Et gratiora grata reddit ingratis,
Ingratiisque mille gratias mille,
Dilationes mille propter & curas,
Suspiriorum mille propter ambages,
Per tela mille, mille per cicatrices,
Per mille questus, & molestias mille,
Per mille tricas, mille per simultates,
Metusque mille, mille, mille rivales,
Per spesque mille; dum puella caussatur,
Mentisque votum pertinacis opponit,
Nimisque castum virginis placet nomen,
Ridetque matres, ridet & venustates
Tori jugalis; Illa mentis immotæ,
Crudelis illa, fastuosa, nec clemens,
Et caussa mortis, caussa quæ foret vitæ:
Quo dura tendis, quidve dura moliris?
Quid jam maritos quid moraris amplexus?

Negas-

Negasque dura, quod negare non debes?
Quin victa tandem cedis? Et simul cedit,
Lubensque cedit, suaviter triumfata,
Victamque sese gaudet, & dolet sese
Sed sero victam, victa sed tamen cedit;
Promitque vocem, flagitata quæ sæpe,
Negata sæpe, nectaris meri plenam,
Plenamque mellis, spiritusque facundi,
Cui Tulliana suada cesserit lingua,
Cui cedat omne, quidquid orbis immensus
Et dulciorum vita continet rerum.
Io triumfe! Pectus est triumfatum,
Sed virginale. Pectus est triumfatum.
Io triumfe! Casta pectus incendit
Utrimque flamma; cui rubentis assurgant
Tonantis ignes. Dextra pignus imponit,
Cœleste pignus dexteræ calescentis,
Et gratulantum vocibus vacant soles,
Et auspicales astra provocant tædæ.
Urbs invidendum tota suspicit festum,
Totumque tota civitatis impendit.
Pergitque sponsus, plenus ille splendoris,
Tuique, sponsa, pectoris triumfator,
Suique sponsus pectoris triumfator,
Capaxque vixdum pectoris triumfati:
Pergitque sponsa, plena pergit ardoris,
Tuique, sponse, pectoris triumfatrix,
Suique sponsa pectoris triumfatrix,
Capaxque vixdum pectoris triumfati.
VLISSINGA *testis, quæ procantis experta*
Zuerl calores. Putteana consentit
Parata tandem, sed decora, sed blanda,
Fulmenta lecti nunc pudenter inscendit.
Amor peregit quidquid est amaturi;
Sed nec peregit, sed tamen peracturus
Arcana casto quæ tacenda sunt vati.
Lucina restat. quæ benigna procudat
Novos amores; liberûm gregem parvum.
Det illa natos, sed simillimos patri;
Det illa natas, sed simillimas matri.

Amor beatus! Solus hic amor regnat,
Amorque sponsi sponsa, sed triumfati,
Amorque sponsa sponsus est triumfata.

ÆNIGMA.

TU pinge, pingam, cum tamen desint manus;
Tu perge, pergam, cum tamen desint pedes;
Eapse qua tu forma, iisdem passibus:
Sede Sedebo, tunde contundam parem;
Consiste sto, connecte connectam simul;
Lachrymas refunde, vel cachinnos, jam meas
Lachrymas videbis & cachinnos. Omnia
Præstabo, quamvis destituta ab omnibus.

Umbra loquitur.

ÆNIGMA Veteris inter Græcos Philosophi. Mater loquitur.

BIs senos peperi, lectissima pignora, natos,
Illa animo nimium pignora grata meo.
Hos tamen, hos omnes cecidi ex ordine natos,
Hoc veniente alter percutiendus erat,
Ultimus instituit, tantas ulciscier iras,
Et tantum nostrâ morte piare nefas,
Ultimus ille meo, & pariter (sic fata volebant)
Impressit jugulo vimque necemque suo.
Momento tamen hoc ipso mihi reddita vita est,
Et sensim natis reddita vita meis.

Per matrem annus, per liberos duodecim menses, qui mutuo se excipiunt, pereunt, & renascuntur, hîc denotantur.

ZELANDIA.

Ænigmate descripta.

DIc, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
In mare mutata est, & mare terra fuit!

GNOMÆ

GNOMÆ
Politicæ & Morales.

I.

MAlum esse certum est, quidquid haud servat modum.

II.

Non parva, parva quæ videntur, omnia,
Nec magna, magna quæ videntur, judica
Non parva sæpe, magna non sunt, quæ putas.

III.

Nocentius nil ficta quam innocentia est;
Nocente quippe cognito, quivis cavet.

IV.

Est turpe falli, turpius sed fallere est,

V.

Quicunque prudens, primus is sese admonet.

VI.

Regina rerum occasio est: fac, serviat:
Occasio omnis sola præfigit diem.

VII.

Nocens superba semper est prudentia.

VIII.

Novum omnis impar cura sæpe vulnus est.

IX.

Quidquid vetustum dicitur, fuit novum;
Novumque quidquid, dicitur tandem vetus.

X.

Simplex avari haud est scelus: nam est multiplex.

XI.

Prodesse non potest, nocere qui haud potest.

XII.

De judicante multa sunt quæ judicant.

XIII.

Non sermo, res est omnis innocentia.

XIV.

Quidquid pati est necesse & id pati cupe.

XV.

Quisquis sibi haud, prodesse nemini potest:
Nocere qui potest sibi, idem cuilibet.

XVI.

Primum malum majoris est index mali.

XVII.

Servit suo qui tempori, caute regit;
Cauti regentis semper est & obsequi.

XVIII.

Qui est imperanti haud obsequens, se non regit.

XIX.

Non facta sunt, quæ facta non volentibus.

XX.

Nil posse quisquis creditur, multum potest:

XXI.

Cum pauca multi, pauca non isti rogant.

XXII.

Nunquam fides certa est habenda credulis;
Nec certa habenda sit nihil credentibus.

XXIII.

Non crede nil tu; nec nimis sis credulus.

XXIV.

Servire tantum tempori; nunc moris est.
Nec serviendum tempori; mori bono est.

XXV.

Quæ tempore est longo parata gloria,
Hanc una pessum sæpe dat totam dies.

XXVI.

Bonus diu frustra fuit semel malus.

XXVII.

Non major est tantum colendus; est minor.
Futurus est major, minorem quem putas.
Efferre se, se semper est submittere.

XXVIII.

Spes est salutis, nota cum causa est mali.

XXIX.

Ne crede sorti; sæpe, quæ prodest, nocet.
Ne crede sorti: sæpe, quæ haud prodest, favet.
Incerta namque cuncta sunt mortalium.

XXX.

Videre quæ non visa, providentis est;

Videre sed non, otium imprudentis est.

XXXI.

Plus velle, posse quam, mera hæc insania est.
Et velle quam possis minus, dementia est.

XXXII.

Incerta cuncta; certa nam fatum tegit.

XXXIII.

Legem tueri, nemini est ignoscere.

XXXIV.

Multum potest plerumque, qui nihil potest.
Nihil potest & sæpe, qui multum potest.

XXXV.

Plures timere; est imperantis pluribus.

XXXVI.

In principatu constituti cogitant
Parentium cum multitudinem, timent.

XXXVII.

Manere larga non solet fortuna diu:
Plerumque largâ quisque largè abutitur.
Manere iniqua non solet fortuna diu:
Plerumque iniquâ quisque non male utitur

XXXVIII.

Cauto regenti subditi est sententia.
Cauto haud regenti sed sua est sententia.

XXXIX.

Laudanda sæpe oblivio est injuriæ.

XL.

Injuriam plerique, quæ non est, putant.

XLI

Viro innocenti injuria haud unquam nocet.

XLII.

Prudentis est, haud se movere cum sedet.

XLIII.

Quicunque magnus est sibi, haud ullum æstimat;
Quicunque nullus est sibi, & ullum æstimat.

XLIV.

Pax est triumfis maximis augustior.
At pacis haud sunt quæ videntur tempora,
In nomine incauti acquiescunt plurimi.
Pax certa cautis, hostis exspectatio est.

Pax certa, pax æterna, victus hostis est.

XLV.

Res sæpe multas qui gerit, nullas gerit;
Geritque magnas sæpe, qui nullas gerit.

XLVI.

Plerumque bellum est, quod minus quam par nocet.
Pacata quæ putantur, haud sunt tempora.
Alumna pax multis domi est discordiæ.

XLVII.

Peccare princeps solus haud unquam solet:
Cum peccat ille, copia est peccantium.

XLVIII.

Humanitatis prima lex clementia est.

XLIX.

Raro te amabunt, queis tuorum est odium.

L.

Minora sæpe parvitate tuta sunt:
Et magna sunt in tuta magnitudine.

LI.

Legum unicus fidusque custos est metus.

LII.

Occasio quæcunque adest, statim fugit.

LIII.

Deumque seque nosse, nosse est omnia.

LIV.

Tollenda tarde quæ vetusta sunt mala.

LV.

Abire cuncta, non adesse, sentias.

LVI.

Qui falsa promit, ex die is noctem facit.

LVII.

Lex prima, leges figere & refigere est;
Mutata namque id sæpe poscunt tempora.
Probanda non est semper hic constantia:
Constantia haud est illa, contumacia est.
Legum tamen non crebra sit mutatio:
Mutatio nam crebra, legum eversio est.

LVIII.

Felicitatis, ferre posse injuriam, est.
Inferre tantum sed nota haud felicis est.

Non

LIX.

Non sperne vilem; fumus index ignis est:
Magnumque nec nimis cole; ignis fit cinis.

LX.

Lædendus haud est, non potes quem perdere.

LXI.

Regina rerum est omnium prudentia,
Præsentia & futura sola quæ regit,
Et facta sistit sola quæ mortalibus.

LXII.

Vix unquam abest diu perfidis occasio.

LXIII.

Regni fere est mutatio, hæc quæ regis est.

LXIV.

Humanitatis nulla contumacia est.

LXV.

Incendium excitare quilibet potest;
At excitatum exstinguere haud quivis potest.

LXVI.

Miser probus vir esse, quam nequam velit.

LXVII.

Noli minari; qui minatur, admonet.

LXVIII.

Plus posse nostro sæculo regnare sit;
Tamen regentem plus potest quisquis ferat.
Intuta semper omnis est mutatio.

LXIX.

Nulli noce: potest nocere quilibet.

LXX.

Prodesse qui potest, nocere idem potest:
Et sæpe qui prodesse non potest, nocet.

LXXI.

Prodesse cuivis expedit, florentibus
Prodesse qui haud potest: in adversis potest.

LXXII.

Qui perfidi, jactantius fidem offerunt.

LXXIII.

Enorme quodcunque impetu scelus valet.

LXXIV.

Inter furentes nulla vis est principi;

G 3 Inter

Inter furentes nulla majestas valet.

LXXV.

Sæpe est furenti obstare multitudini,
Animosque vimque augere multitudinis.
Obnititur qui fluctibus, plures movet;
Ferrum & remordet qui, magis nocet sibi.

LXXVI.

Quisquis nocendo proficit, non proficit.

LXXVII.

Obscura fraus nocentior vi est nescio.

LXXVIII.

Ubi, & quid, à quibus cavendum & quando sit,
In omnibus gerenda quæ negotiis
Incerta sunt, incerta propter casuum.

LXXIX.

Venia est petenda, & ergo danda est omnibus.

LXXX.

Civilis haurit sanguinem qua dextera,
Atrox, cruenta, sanguinem hæc haurit suum,
Humanitati nullus est locus fere,
Cognata cum committitur bello manus.

LXXXI.

Eurus ruunt notusque: cede turbini:
Perire nam volentis est, non cedere.

LXXXII.

Injusta belli causa cui est, vis deficit:
Cuicunque justa est, agmen imperterritum est.

LXXXIII.

Infame monstrum est, vilis, intestabilis,
Qui ventilator plebis, & vulgi levis
Procella, qui civiliumque signifer
Domi malorum: qui inquietat mobiles,
Ne se imperita turba subdat regibus.

LXXXIV.

Quicunque bella regibus datis sibi,
Hi bella divis ceu Gigantes inferunt;
Victique flammis obruuntur montium.

LXXXV.

Suæ immolare principem Superbiæ,
Audita nunquam, audita nunc superbia est.

LXXXVI.

Aut fallor, aut æquum est, viri quod improbi
Tolerare regem compulere, ipsi ut ferant.

LXXXVII.

Subesse nunc est Regibus, nunc obsequi est
Patrare quidquid jusserit crudelitas.

LXXXVIII.

Plebeia clarum pœna non tollit virum,
Tollitque regem : Rex ad instar plebis est
Turbantibus, plebeia queis prosapia est.

LXXXIX.

Regi rebellis & rebellis est sibi.

XC.

Cave benignus esse perverse velis:
Perversa reges perdidit benignitas,
Et, quæ tueri debuit, clementia.
Intuta virtus ipsa nunc est regibus.

XCI.

Tot illa quæ sunt dignitatum nomina,
Tot culminum quæcunque sunt fastigia,
Nil esse cense, namque raptim transeunt,
Corona & ipsa deserit regum caput:
Durare nil ut, nil manere intelligas.

XCII.

Projectius nil plebe, nil superbius.
Ratione cum rege haud, furore dimicat.

XCIII.

Nunc sacra solæ insanientum ineptiæ,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus.

XCIV.

Jam sæculum scelus novum est: committitur,
Cujus priores nullum apud vestigium est.

XCV.

Contemne præsens quidlibet, quisquis sapis,
Quod deferendum aut auferendum est tibi.
Humana quæ sunt, sunt sepulchri & funeris.

XCVI.

Id quod necesse est, hoc voluntas occupet.

XCVII.

Quicquid vetus videtur, hoc fuit novum,

Novumque quod videtur, hoc erit vetus.

XCVIII.

Laudandus est rex optimus, bonis
Quisquis suorum frænat orbem legibus.

XCIX.

Quisquis sapit, Deumque quisquis cogitat,
Scelus jubenti & ille nulli serviet.

C.

Medentium ægro est sæpe carnifex manus.

CI.

Infestus alto felle qui longum silet,
Imisque bilem concipit præcordiis,
Tandem furoris vim latentis evomit.

CII.

Pro rege adorat pressa plebs pares sibi:
Colitque acerbum cœpe, mordax allium.
Acerbius nil quam imperat par cum pari,
Minorque nuper imperat majoribus.

CIII.

Est error augendo fere errori efficax;
Persæpe longum nam error errorem parit.

CIV.

Furore regum qui excitatus est timor,
Parit timendam regibus formidinem.

CV.

Colenda plebs est: insitâ nam insaniâ
Ferire clava, nî colatur, assolet.

CVI.

Metu obsequentis sæpe terror gignitur.
Timenda non sunt offerenda subditis.
Timenda quæ sunt, sunt timenda Principi.

CVII.

Hoc scire Principem decet, mortalia
Quo jure constent, quanta majestas regat,
Cui subdita omnis Principum est potentia.

CVIII.

Furorque summus, ultima & dementia est
Reges putare, rege qui exuto regunt.
Furorque summus, ultima & dementia est,
Putare reges esse, queis regi grave est.

Non

CIX.

Non imperare servientium ut gregi,
Servire vere regnum est parentibus.
Regnare nil est servitus quam splendida.

CX.

Donare multos multa cur Ollus stupet?
Donare multa, multa nunc est poscere.
Offertur & nunc obsequi plus nemini,
Quam plura quisquis donat obsequentibus.
Sed imperare haud illud est, est obsequi.

CXI.

Fas omne nunc offertur, imus: omne quod
Jus dicitur jam, nil nisi est injuria.

CXII.

Præposterum quis esse nos hoc sæculum
Pronunciet? Qui sunt regendi, jam regunt,
Regique qui ipsi non volunt, soli regunt.

CXIII.

Carere rege, haud est carere regibus:
Regem haud volenti mille reges se offerunt.

CXIV.

Plebi, pares tantum æstimare quæ solet,
Placere regem haud posse, quis mirabitur?

CXV.

Regnare si sit crimen, hoc atrox mihi
Crimen videtur esse, rex plebecula;
Quæ sceptra ferro, vique quæ regnum tenet.

CXVI.

Vita alteri est prodesse. Noli vivere
Perinde natus ac fores tantum tibi.

CXVII.

Nullum timenti principi timendus est
Quem terra tota, & omne quem cœlum timet.

CXVIII.

Quicunque campos fertiles amnis rigat,
Perire, dum prodest, nihil putat sibi.

CXIX.

Humanitati quilibet cedit furor.

CXX.

Molesta quæ non regna, non manent diu.

CXXI.

Quo quis vocatur gloriæ, incedat pavens.

CXXII.

Prodesse nemini potest superbia;
Potest nocere; noxiam tantum fuge.

CXXIII.

Deus timendus est: Deus namque efficit,
Quæ nemo posse credidisset effici.
Videre nullum quod putas, Deus videt.

CXXIV.

Subesse quod par regibus, par obsequi est.
Regnare vulgus cum cupit, nullus regit.

CXXV.

Summa est supremi numinis potentia:
Eâque certum est esse nil potentius.

CXXVI.

Regem esse solum judica, qui se regit.
Nam quem reget, qui ipsi sibi est inutilis?

CXXVII.

Rex fallitur: nam atrox fere est periculum,
Stitisse nudam veritatem regibus.

CXXVIII.

Irata plebs cum est, Principi modestia
Placere debet; ira namque iras alit.

CXXIX.

Vis nulla, majestasve vulgo est imperii:
Tantumque turbo principatus plebis est.

CXXX.

Nihil quietum est quidlibet moventibus:
Namque in moventes quidlibet mox se movet.

CXXXI.

Movere quæ quieta tu nunquam velis.
Quieta quæ sunt, ipsa se satis movent.

CXXXII.

Potentius plerumque nil est tempore.
Domare nemo quod potest, tempus domat.

CXXXIII.

Nunquam timento te tui, timeant tibi.

CXXXIV.

Quidvis egestas dura mortales docet.

Pri-

CXXXV.

Princeps tyrannus & tyrannus est sibi.

CXXXVI.

Vix est potentiâ haud qui abutitur suâ.

CXXXVII.

Piscator idem quod facit, facit quoque
Turbare quisquis publicam pacem cupit.
Plerumque cum quieta stagna, nil capit.
Commota sed sunt cùm illa, cum turbata sunt,
Captura multa est. Mens ea est turbantium.

CXXXVIII.

Pax alma, suave cunctis nomen gentibus,
Inter Deus pulcherrima est pulcherrimas.
Privata pax, pax publica, est quodvis bonum.

CXXXIX.

Boni morantis tristis exspectatio est.

CXL.

Rex plebsque cum committitur, videre te puta
Commota ventorum duellis æquora.

CXLI.

Injurias primas ferens, plures feret.

CXLII.

Obstare multitudini, obstare est sibi.
Nil majus est, nil altius modestiâ
Solâ perennant sceptra nam modestiâ.
Est cujus hæc, huic tuta majestas manet.

CXLIII.

Tolerare multa est obsequentis subditi:
Majus malum est, cum quod malum est non vis pati.

CXLIV.

Per factiones forte Rex cum pulsus est,
Carere rege qui putat se, non caret.

CXLV.

A Rege cur jam diffidet qui subditus?
Subjectus & rex vinculo uno junctus est:
Et hic, & iste vinculo hoc rupto perit.
Pereat sed ut rex, vult perire subditus,
Perdendo qui perire vult, fœde is perit.

CXLVI.

Datum quod est tibi, haud datum semper putes:

Avara

Avara namque sæpe dantis est manus.

CXLVII.

Excelsa quæ sunt, sæpe ad ima sunt via.

CXLVIII.

Injuriam qui reddit, hic cavet novam.

CXLIX.

Moderata semper pœna sit peccantium.
Quæ est ira sæviens nimis, tantum est furor.

CL.

Vi qualibet est major illa, quæ est vis ingenI.

CLI.

Quod vis potest haud, hoc modestia obtinet.

CLII.

Laudare virtutem, haud amare, est improbi.

CLIII.

Non sperne parva; sæpe vis parvis subest.

CLIV.

Adversa nunc virtutibus sunt tempora;
Virtutis omne præmium scelus tenet.

CLV.

Ignota cum causa est mali, idem majus est.

CLVI.

Quisquis futuri haud gnarus, haud præsentium est.
Futura quæ sint admonent præsentia.

CLVII.

Humana sunt subjecta sortis casibus:
Adversa nunc, secunda nunc est cuilibet.
Se quidlibet mutât; nihil fixum manet.

CLVIII.

Suum haud tuetur quisquis, is suum haud habet.

CLIX.

Plerisque culpa, nil nisi ignorantia est.
Quid quippe agendum, nesciunt jam plurimi.

CLX.

Non exulat quicunque non exul sibi est.

CLXI.

Regentibus vis multa, cum ipsi se regunt;
Parentibus sed major est, cum se haud regunt.

CLXII.

Huic, cui timendum nil, timendum vulgus est.

CLXIII.

Est vulgus, instar esse quod vult principis.

CLXIV.

Fecisse quod non vis videri, cur facis?
Fecisse quodque vis videri, haud cur facis?

CLXV.

Immota regna principi haud manent diu;
Fax multa semper, multa vis moventium est.

CLXVI.

Sol ortus est cuicunque, eidem & occidit,
Sua est diei cuilibet nam vespera.

CLXVII.

Corona regem sæpe non ornat, premit.

CLXVIII.

Iniquius se offert nihil superbiâ:
Nam quidlibet contemnitur superbiâ.

CLXIX.

Sors dura & aspera omnium est regentium.
De rege regnandi imperiti judicant.
Videtur & jam servitus, regi obsequi,
Et liber hic, cui est omnium licentia.

CLXX.

Non multa fortiora quæ pœnis mala:
Quo puniuntur hæc magis, gliscunt magis.

CLXXI.

Præsentia inter de futuris cogita.
Quæ haud sunt, erunt; & illa quæ sunt, non erunt.
Suprema lex hæc omnis est prudentiæ.

CLXXII.

Summa in cavendum est Principi potentia,
Obesse nemo cum potest, ne obsit sibi.

CLXXIII.

Videnda nunquam, aut visa, tandem ætas videt:
Nox nulla vidit quod, videt palam dies,
Videtque nunc primum, videri quod stupet,
Videtque dum, videre se haud credit sibi.
Captisque percussisque rerum regibus
Edit libido subditi spectaculum,
Spectare quod eos, saxa nulla sustinent;
Nec ferre possit æris aut ferri rigor.

Quis

Quis ferreum esse seculum hoc nostrum neget?

CLXXIV.

Regumque vita Principumque nil nisi
Plerumque sicci haud finis exspectatio est.
Plures amant quem & unius fit victima.

CLXXV.

Silere linguam, non loqui tantum, decet:
Interpres haud sit quod tegendum pectoris.

CLXXVI.

Securus ut sit qui regit, primum hoc agat,
Securus ut sit subditus. Nam principis
In subditi securitas sita est manu.

CLXXVII.

Victos superbus victor ignavos vocat,
Modestus infelicior eo judicat.
Et sæpe tantum est victus infelicior.
Subjectus huic & victor est discrimini.

CLXXVIII.

Sunt dispares fere exitus inter pares.
Par finis omni est principi, haud par exitus.

CLXXIX.

Inefficax non est scelus. Nam principis
Sceptrum poposcit carnifex, scelus dedit.

CLXXX.

Quæ plebis est in principem rebellio,
Nubis ruentis instar est: tandem perit.

CLXXXI.

Antiqua quisquis commovet rebus novis,
Movetur ipse, & motus haud perstat diu.

CLXXXII.

Plebem inter, & plebis duces modestiam,
Est semen ignis inter undas quærere.

CLXXXIII.

A plebe motus qui excitatus est semel,
Lerna est; novis semper reversura artubus.

CLXXXIV.

Plebs cum ex cloaca & fæce surgens incipit
Regnare, nescit vigiletne, an somniet.
Nova ac inusitata quævis perpetrat:
Mox perpetrata perpetrasse se stupet,

Laudatque se, damnatque non potens sui,
Inexplicabili furens vertigine.
Miratur hærens sit quod ostenti hoc genus;
Tumetque nunc superbiâ, nunc & timet.

CLXXXXV.

Et crede regibus, simulque subditis,
Offerre regum multa parcimoniam.

CLXXXXVI.

Et cive quovis vilior rex civis est,
Et rege quovis durior rex civis est.

CLXXXXVII.

Mutata quæ sunt regna, sunt mapalia
Afri; nam eodem non manent loco diu.

CLXXXXVIII.

Incerta rerum est omnium possessio.
Nec ambigas. Videsne plebis omnia
Vi maximorum possideri Principum?

CLXXXIX.

Domo unde, quaque stirpe, quîs majoribus,
Ignotus, ipse ignotus & simul sibi,
Et sceptra prædo jam & coronas occupat,
Pulsisque regem ferre se audet regibus.
Fortuna magnos sæculo hoc jocos facit.

CXC.

Occœpit insanire qui semel, furens
Magis magisque fertur in vesaniam.

CXCI.

Virum qui adortus omnis ignarum doli est,
Vir ille non est, ne quidem ille est semivir.

CXCII.

Quicunque regis innoceneis sanguinem
Exhausit, idem plurium semper sitit.
Qui sanguine auctus est, alit se & sanguine.

CXCIII.

Victor scelestus sit licet, tandem tamen
Cedat necesse est victus, & jam desinat.
Sors ista, fatum hoc impia audentem manet.

CXCIV.

Civile bellum cui est, & externum placet,
Juratus hostis omnium est, qui hostis sibi est.

Foris

Foris domique consili his idem sedet;
Domi id sed est forisque sese perdere.

CXCV.

Mens casta quæ obsequentium, errantes licet,
Pulsat trahitque haud, proteritve principes.

CXCVI.

Sibi principem superba vult ignoscere
Plebes, & hæc ignoscere haud vult principi.
Sibi id quod optat, principi illud cur negat?

CXCVII.

Scrobis latentis instar est plebs principi.
Namque ante quam cavere possit, incidit.

CXCVIII.

In rege dulce est subditis, & unicum,
Monstrum impotentis pectoris si vicerit;
Ni vicerit, se subditus victum dolet,
Victusque sic nil præter iras induit.
Nocens potenti mentis impotentia est.

CXCIX.

Bona imperanti haud sufficit vis imperI;
Bene imperantis est & exemplum dare.
Pro lege quavis regis exemplum valet.

CC.

Qui rex avarus monte prædarum est gravis.
Gravisque civi, præda tandem civis est.
Avarus est qui, id quod cupit, negat sibi;
Idemque habet quod, sic simul negat sibi.

CCI.

Regere obsequentes arduum est, sed se magis;
Rex rege quisquis se caret, non diu regit.

CCII.

Quod factio edit haud diu est durabile,
Informe monstrum factio & tetrum nimis.
Adversa quippe exuta cum jam factio
Videtur, haud est: semen adversa manet.
Cur ergo tot sunt factionum principes,
Facesque tot tubæque, cur tot assecla,
Tranquillitatis publicæ hostes & suæ?
Victoriæ usus solus his tantum est metus,
Metuenda non vult cauta quæ securitas,

Nec

CCIII.

Nec vasta regna, regna nec ferro petat
Rex quisquis est. Nam capta cum sunt plurima,
Captis tenetur impeditus gentibus.

CCIV.

Partis tumere insania est victoriis,
Lux una parta sæpe quæ sunt dissipat.

CCV.

Noli imperare semper id quod tu velis:
Hæc imperanti fixa stet sententia.

CCVI.

Regnare tantum gloriosa est servitus;
Regnare nemo nam potest, ni serviat.
Servire regi & munus est parentium,
Honesta si sit, non pudenda servitus.

CCVII.

Est finis odium omnis invidentiæ.

CCVIII.

Fucatus est qui, pejor odio est amor:

CCIX.

Multis amicis principis sors indiget:
Idemque amicis non caret, cum amicus est.
Exactus omnis exigit vices amor.
Princeps amari, amor nisi ipse, non potest.

CCX.

Curanda qui permittit alteri sua,
Justam imperi curam imperator haud habet;
Ipsumque sese cum suisque negligit
Perditque. Pestis regis est incuria.

CCXI.

Tantum imperando haud impetrari amor potest:
Bene imperando ergo impetrandus est amor.

CCXII.

Sæpe odio rex est, licet non oderit.
Fortuna regis plurimis est odio.

CCXIII.

Quidvis jubere in civitate & poscere
Nolint regentes: nam impetrare hoc est nihil.
Haud velle debent subditis ringentibus
Nolentibusque noluisse quod volent.

Ama-

CCXIV.

Amare non minus, quam amari, est Principis,
Amante, amato hoc, est nihil potentius.

CCXV.

Diversa possunt velle sæpe nolleque
Princeps amicus ac amicus Principis.

CCXVI.

Ex ingerentibus legendus principi haud
Minister; est ex se ille subtrahentibus.

CCXVII.

Nulli esse genti liberæ debet gravis
Vis principis. Servire libera haud potest.

CCXVIII.

Ne coge. Cogit quisquis, invito imperat.
Civilis est hoc principis, nil cogere.

CCXIX.

Tacentis ira semper iræ plus parit;
Iram & tegentis ira plus semper nocet.

CCXX.

Vim injuriamque inferre multitudini,
Offerre ferrum, armare plebis est manus.

CCXXI.

Tu non beatos, ter beatos dixeris,
Tot perduelles, totque scurrarum gregem,
Scelera inter & tot criminum frequentiam
Multo fruentes Syrtium silentio.

CCXXII.

Adversa quos adorta sors est principes,
Monstrant sequendam calle recto lineam.

CCXXIII.

Gens quæ superbâ præpotens potentiâ
Tantum suâ est, non est potens superbiâ.
Superbus hoc potest, potest se perdere

CCXXIV.

In principes, gens una cum exemplo nocet,
Non una bruto contumax fastidio est.

CCXXV.

Quicunque honorem debitum Regi negat,
Idem & supremo Numini cultum negat.

Non

CCXXVI.

Non blandienti vernulæ rex det fidem.
Infida blandientis est oratio.

CCXXVII.

Lis prima reges subditosque inter, fere est
Mutationis imminentis nuncia,
Nam contumax est partium superbia;
Ceditque qui alteri, minorem se putat.
Hic fons, origo hæc publicorum est motuum,
Excisa per quos gentium pax nunc jacet.

CCXXVIII.

Pars major est quæ desipit mortalium.

CCXXIX.

Quæ causa quærunt sit mali præpostere,
Evenit id cum, plurimi, ac tolli haud potest.

CCXXX.

Somno meroque qui sepultus vitam agit
Quæ vita jam plerisque in aulis vivitur,
Alvi voracis vivus hauritur specu.

CCXXXI.

Offensa plebes principum superbiâ,
Tandem haud premendis excitatur motibus.

CCXXXII.

Qui principes, qui liberi audiunt, gravi
Capti tenentur sub voluptatum jugo.

CCXXXIII.

Rex ille, princeps ille solus, victor est
Regnantis in plerisque qui libidinis.

CCXXXIV.

Bono probandum est, livor id quod improbat.
Virtus probat quod, livor omnis improbat.

CCXXXV.

Cum jam excitata civium rebellio est,
Non amne toto flamma tanta extinguitur.

CCXXXVI.

In principum virtutibus primam puta,
Opem benignam ferre supplicantibus.
Ex supplice hostem nam facit, qui non tulit.

CCXXXVII.

Stet ista regi cuilibet sententia,

Unam paremque sortis humanæ vicem
Inter regentes esse & inter subditos.

CCXXXVIII.

Laudis rapacem principem, haud pecuniæ,
Qui vult amari, semper esse convenit.
Tabes avarus omnis obsequentium est.

CCCXXXIX.

Supremi agunt quodcunque rerum principes,
Conducit illud, aut necesse est, aut placet.

CCXL.

Periculum in quicunque non unquam incidit,
Incautus, imprudens, periculo haud caret.

CCXLI.

Cavenda quæ sint, semper incautus docet.
Qui incautus est, magister & prudentis est.

CCXLII.

Quicunque multitudini ingratum, facit
Periculosæ plenum opus quod aleæ est.
Obstat sibi is, quicunque multitudini.

CCXLIII.

Multi timent, causam & timoris nesciunt.
Multi haud timent timenda jam cũ se offerunt,
Sperare quam, timere præstat quemlibet.
Speranda multa, plura sed timenda sunt.

CCXLIV.

Ignarus obsequi, imperare non potest,
Ignara quæ sceptri est manus, sceptrum haud tenet.

CCXLV.

In principatu constitutus se ut regat,
Plane est necesse: ni regat, vulgus regit.

CCXLVI.

Contrariis qui se implicat negotiis,
Contrariusque hostisque semper est sibi.

CCXLVII.

Quicunque rebus in laborat perditis,
Frustra laborat: qui fuit labor, manet.

CCXLVIII.

Perit quod ingrâto exhibetur officI.

CCXLIX.

Facto malo factum est boni quidquid perit.

Mul-

CCL.

Multis venenum est, blanda quæ est oratio.

CCLI.

De inanibus certare multi sic solent,
Majora sic ut vilipendant interim.

CCLII.

Nil aula quam molestiarum mater est.
Cura omnis hic curæ modo est mutatio.

CCLIII.

Mutantur haud, mutare quæ se tempora
Stulti putatis: omnis est mutatio
Mores priorum ab integros mutantibus.

CCLIV.

Infame quamvis perditumque sæculum
Sit istud, haud sit tædio; pejus venit.
Iniquiora posterorum exempla sunt.

CCLV.

Probata quæ majoribus, sese haud probant
Nobis: probabunt nostra nec se posteris.
Haud semper idem displicet, semper placet.

CCLVI.

Qui plura, quam par, appetit, perdit quæ habet.

CCLVII.

Piscator ictus cum sapit, sero sapit.

CCLVII.

Spes aureas sunt qui offerunt semper sibi,
Verum quæ inanes mox in auras exeunt.

CCLIX.

Insanus est, majora qui semper bona
Sperare malit, quam bonis, quæ habet, frui.

CCLX.

Sunt bella semper queis placent civilia:
Nam bella prosunt sunt quibus civilia.

CCLXI.

Multi sua ægre ferre non solent mala,
Affligi iisdem cum suos hostes vident.

CCLXII.

Adversa amicum sola sors verum probat.

CCLXIII.

Nil est avaro aut invido infelicius.

CCLXIV.

Bis saxum in idem impingit haud, quisquis sapit.

CCLXV.

Magnum appetendo, sæpe perdimus minus.

CCLXVI.

Sperare posse nil, carere est omnibus.

CCLXVII.

Quæ profutura credis, haud raro nocent.

CCLXVIII.

Id quod placet, jus est tyranno cuilibet.

CCLXIX.

Discriminis res plena in aula est veritas.

CCLXX.

Paucissimis recte datum est dignoscere,
Quid sit mali, quid & boni in re qualibet.

CCLXXI.

Dolus scelusque semper auctori redit.

CCLXXII.

Obesse qui vult, sæpe prodest alteri.

CCLXXIII.

Regno impares si, qui regunt, viles quoque
Sibi arrogare principatum gestiunt.

CCLXXIV.

Placuisse regi magna laus cum dicitur,
Sæpe haud minorem displicentis judica.
Semper placet qui, huic est nihil quod displicet.
Bonis probisque multa semper displicent.

CCLXXV.

Mons parturit cum, sæpius murem parit.

CCLXXVI.

Expende: rerum est omnium usus discolor.

CCLXXVII.

Erroris obstat multa nubes omnibus:
Videre acutum qui putat se, nil videt,

CCLXXVIII.

Metuque speque qualibet permixta sunt.

CCLXXIX.

Recte sapis si, à te cave primum tibi.
Plerumque nullus hostis est, quam tu tibi.

CCLXXX.

Iungenda non est dextra cum repellitur: Jun-

Junxisse, pacem est invidentis gentibus.

CCLXXXI.

Parcendo princeps subditis, parcit sibi.

CCLXXXII.

Bellumve paxve sint petenda an, ambigas.
Offertur anceps Martis in campo alea.
Intuta pacis gentibus sunt tempora.
Secura nam quæ tempora, hæc intuta sunt.

CCLXXXIII.

Cæde absque, sanguine absque, vitam finiit
Regentium ullus vix, jocus cui fuit
Ludusque, sanguinem suorum fundere.
Pereunte cum innocente rex nocens perit.

CCLXXXIV.

Non cuilibet se fœderi rex illiget:
Nil fœdius quam quod cum iniquo fœdus est.

CCLXXXV.

Ne crede fœderi nimis: nam in fœdera
Coeunte dextrâ, sæpe non coit fides.

CCLXXXVI.

Jus illud omne, quod vocatur gentium,
Res gentiumque publica, est humanitas.

CCLXXXVII.

Intutior quo major est securitas.

CCLXXXVIII.

Odere multi quos amare se putant.

CCLXXXIX.

Redire si contingeret prioribus,
Et nostra nosque visere, & versa omnia
Hic intueri, Orbis his Novus foret;
Habitatus haud olim orbis, ignotus sibi.
Tam magna rerum facta nunc conversio est.

CCXC.

Præsume non tu magna de mutantibus.
Mutantibus quippe imminet mutatio.

CCXCI.

Quieta cum sunt tempora, haud quiescere est
Illos putandum, invisa queis tua est quies.
Subinde nec dormit, putas quem stertere.

CCXCII.

Profunda multis est nimis securitas.
Nullum timentis est, timere quemlibet.

CCXCIII.

Est eminentis se putare unum ex suis.
Impos sui est, quicunque se haud unum putat.

CCXCIV.

Sperata quæ non qui accipit, superbus est,
Audetque & id, sperare quod non ausus est.
Vilis fuit qui, asper fere idem est omnibus.
Vilis fuit qui, asper fere idem est omnibus.

CCXCV.

Dominū esse se princeps suorum cum autumat,
Ex subditis servos, simulque hostes facit.

CCXCVI.

Ne sperne parvum: ex surculo arbor nascitur.

CCXCVII.

Sibi hostis est plerumque, qui hostem non habet.

CCXCVIII.

Moderata durant: noxia immodestia est.

CCXCIX.

Avarus est quisquis, nihil satis putat.

CCC.

Concessa non est præter optandum amplius.

CCCI.

Opinione nullus est dives suâ.

CCCII.

Quæ vera virtus est, sibi haud unquam timet.

CCCIII.

Ignota sunt plerisque quæ prosunt bona;
Ignota sunt plerisque quæ nocent mala.

CCCIV.

Fidem atque spem is qui in se locat, non fallitur.
Plerumque amicus nil quam inane nomen est.

CCCV.

Oculata debent esse sceptra principum,
Aurita &, esse tuta si quidem velint.

CCCVI.

Quo pressa virtus est magis, surgit magis.

CCCVII.

Sibi hostis est, adversus est qui nemini.

In

CCCVIII.

In principatu blanda vis multum potest.

CCCIX.

Fortuna blanda cui nimis, nunquam favet.

CCCX.

Quovis potente numen est quod plus potest.

CCCXI.

Infida sors est: cum placet, struit dolos.

CCCXII.

Quicunque major sit, minorem se putet.

CCCXIII.

Vi consilI carens nihil potest manus.

CCCXIV.

Fortuna quæ favet diu, fallit diu.

CCCXV.

Cui excubat suorum amor, sat tutus est.

CCCXVI.

Amare, amari, solæ opes mortalibus.

CCCXVII.

Terrere multos, est timere plurimos.

CCCXVIII.

Omnes timendi huic sunt, timet qui neminem.

CCCXIX.

Placere quæ solent, nunquam placent diu;
Quæ displicere, displicent semper diu.

CCCXX.

Pati potest qui multa, multum idem potest.

CCCXXI.

Ortu quod est tardum, diu semper manet.

CCCXXII.

Multis nocet plus civium ensis, quam hostium;
Quo haud victa tantū, sed manus victrix perit.

CCCXXIII.

Tardum est furentibus, nocentem quærere.
Ergo & furenti est quisquis offertur nocens.

CCCXXIV.

Vi sæpe major, viribus perit suis.

CCCXXV.

Quisquis faventis usus est sortis bonis,
Malisque non faventis, is solus sapit.

Huic nota rerum est omnium inconstantia.

CCCXXVI.

Dum putre quod membrum est reciditur nimis,
Medicina justum publica excedit modum.

CCCXXVII.

Superesse soli cum nocentes principi
Possunt, iniquum haud parcere est nocentibus.

CCCXXVIII.

Pugnare, cæcâ mittere est telum manu.

CCCXXIX.

Multum potest quicunque habet vires dolor.

CCCXXX.

Momenta sunt quæ parva, dant & maxima.

CCCXXXI.

Oculusq; mensq; humana non prendunt modum:
Sic summa passim regnat immodestia.

CCCXXXII.

Alterna regum plebis & sunt jurgia.

CCCXXXIII.

Rapit minoris major omnis gloriam:
Pruina nunquam sole conspecto manet.

CCCXXXIV.

Est tecta in aulâ qualibet quævis via.

CCCXXXV.

Turbare, quævis tollere est discrimina.

CCCXXXVI.

Timere debet is, timendum qui facit.

CCCXXXVII.

Sceleris latebræ cum patent, scelus perit.

CCCXXXVIII.

Magnum omne vile est, vilis est cui fides.

CCCXXXIX.

Quod gignit, idem & omne consumit dies.

CCCXL.

Favit scelus quod, hoc reducit & scelus:
Scelere est favente nam nihil nocentius.

CCCXLI.

Primum scelus post itur in quodvis nefas;
Scelere addito semper tuetur se scelus.

CCCXLII.

Dissuasor æqui semper armati ensis est: Vis

Vis nulla & aquo est, sola vis quod impetit.

CCCXLIII.

Civile bellum nil suorum quam odium est
Suique; nemo odisse se aut suos velit.

CCCXLIV.

Time timentes; ira fit tandem timor.

CCCXLV.

Civilis omnis monstrifer motus venit.

CCCXLVI.

Vulgi excitatus lassus est brevi furor.

CCCXLVII.

Sine hoste bellum est quodlibet, quod civium est.

CCCXLVIII.

Amissa rerum vera sunt vocabula:
Sceleri nefando quippe virtus nomen est.

CCCXLIX.

Armata legum est omnium mutatio.
Ferri potestas jus supra & leges valet.

CCCL.

In re gerenda, quæ iniqua & noxia
Ipsi est gerenti, errasse, felix error est.

CCCLI.

Pavore quod fingunt malum, multi timent;
Haud quod futurum est, haud quod est, sibi offerunt.

CCCLII.

Ignota cœlo cum videntur sidera.
Horret pavetque quilibet: securior
Cur aspicit portenta tot passim nova,
Et visa nunquam, quæ indies tellus parit?

CCCLIII.

Veniunt minora, sæpe majora & metu.

CCCLIV.

Timere semper convenit sperantibus:
Sperare semper convenit timentibus:

CCCLV.

Nimio sub omni pondere est lapsus gravis.

CCCLVI.

Se haud fert, nimis secunda quem sors extulit.

CCCLVII.

Quæ sancta discors plebs rescindit fœdera,

 Odisse

CCCLVIII.

Odisse sceptrum, poscere est sceptrum sibi.

CCCLIX.

Ambire noli magna; magna in se ruunt.

CCCLX.

Positus petendi est cuilibet certus modus.
Plus qui petunt, id quod petunt, negant sibi.

CCCLXI.

Discordia quæ est fax, mala est concordia.

CCCLXII.

Fortuna larga quæ nimis, cæcos facit.

CCCLXIII.

Patiens potestas nulla consortis fuit.

CCCLXIV.

Usu laborum fit minor quivis labor.
Usus laborum est, qui laborantem erigit.

CCCLXV.

Fortuna primum proxima affectat locum.

CCCLXVI.

Non causa victrix semper est hæc quæ placet,
Sed victa sæpe est, quæ placet prudentibus.

CCCLXVII.

Cui causa justa, haud victus est, cum vincitur.

CCCLXVIII.

Pax sæpe perdit longa rerum principes:
Longâ fruentes pace dediscunt ducem.

CCCLXIX.

Nescit timendas ille fortunæ vices,
Cui prona tantum prima suadet quidlibet.

CCCLXX.

Casura quæ sint regna, reges indicant
Ignavi, inertes, quique sunt regno impares.

CCCLXXI.

Excelsa eodem nulla stat virtus loco;
Majora semper addit & prioribus;
Multumque, ni addat, detrahi credit sibi.

CCCLXXII.

Spes quo, ira quo vocant, cave statim aggredi.
Nocitura spes & ira multis suggerunt.

CCCLXXIII.

Summa ad ruinâ qui viam facit sibi, Ruit

Ruit caditque, nec manet qualis fuit.

CCCLXXIV.

Cum dira, ruptâ pace cum jam civium
Arsere bella, quisque quod potest, licet.

CCC LXX V.

Nil jus potest, cum castra miscentur foro.

CCC LXXVI.

Dat cuncta civi, justa qui civi negat.

CCC LXXVII.

Quamvis labanti, aut sorte iniquâ perdita,
Servanda causæ semper est bona fides.

CCC LXXVIII.

Est vita turpis, quâ datâ corrumpimur,

CCC L XXIX.

Sibi est malum quod, velle nullus cogitur.

CCCL XX.

Vitare nemo est qui potest instantia.

CCC LXXXI.

Semper malum mali omnis est vicinia.

CCC LXXXII.

Morti mora est, quæ longa vita dicitur.

CCC LXXXIII.

Malum rependit qui malo, haud ingratus est.

CCC L XXX IV.

Spelunca nil nisi omnis est aulæ domus:
Obscura in illâ, tecta sunt & omnia.

CCC L XXXV.

Parcente multum sæpe quis potest manu.

CCC L XXXVI.

Plus quisque sæpe viribus potest suis.

CCCLXXXVII.

Primus timor semper manet timentibus.

CCCLXXXVIII.

Renatus anguis semper est rebellio.

CCC LXXXIX.

Quæ civium arma infecta sunt semper dolis.

CCCXC.

Tegitur latetque magnus audendo timor.

CCCXCI.

Omnis futuris blanda sors fallit malis,

CCCXCII.

Qui pacis hostis publicæ est, furtim incipit.

CCCXCIII.

Timeri ab hoste, plena res timoris est.
Nam vincitur tunc promptius, cum non timet.

CCCXCIV.

Incerta bellum ad umbra multos provocat.

CCCXCV.

Fortuna cæca sæpe servit fraudibus.

CCCXCVI.

Occultus est latensque qui hostis, major est;
Ars hujus omnis est inevitabilis.

CCCXCVII.

Caute imperantis, seque amantis principis
Subinde vulgi est obsequi calcaribus,

CCCXCVIII.

Coacta virtus omnis est & fortior.

CCCXCIX.

Corrumpi & auro, nec minus corrumpere.
Emere illud est rem publicam & vendere.

CCCC.

Diuturna durant bella semper gentibus,
Quas esse vi fortuna diu pares sinit.

CCCCI.

Ut albicantes bruma cum sparsit nives
Texitque terras, ver tepens statim redit,
Secunda sic sors semper adversam excipit

CCCCII.

Fortuna quem auget, sæpe Fortunæ est pudor.

CCCCIII.

Superbus omnis, ventus est tantum loquax.

CCCCIV.

Timere multa, optare multa sors jubet.
Timere quæ futura, vis præsentium est.

CCCCV.

Stimulo furoris fluctibusque cum semel
Commota plebes, quidquid est fixum movet.

CCCCVI.

Quicunque supplici haud favet, nihil nisi
Et triste truxque rupis est silentium.

Mala

CCCCVII.

Malo haud feracius quid, aut fœcundius.
Causa est mali, quod finis esse creditur.

CCCCVIII.

Fortuna vertit quidlibet: nil hanc pudet.

CCCCIX.

Post terga quæ sunt, nulla sit rebus fides.

CCCCX.

Longi mali est fastidium, & longi boni:
Et bella longa, longa bellorum & quies,
Plerisque sunt invisa passim gentibus.

CCCCXI.

Sunt mille pacis, mille bellorum vices.

CCCCXII.

Quicunque bello victor est domestico,
Victoriam haud, sed esse stragem judices.
Merces ea omnis una motus civici est.

CCCCXIII.

Post acta sunt cum agenda, nil actum puta.

CCCCXIV.

Fugiens modo haud magna hostis est victoria.

CCCCXV.

Lassata cum fortuna quæ blanda est, nocet.

CCCCXVI.

Armatus est inermis, armorum rudis.

CCCCXVII

Virtutis os vultumque multi, ipsam haud habent.
Videre multi quod putant se, non vident.

CCCCXVIII.

Mavult timeri qui, quam amari, se haud amat,
Odisse quempiam aut timere haud differunt.

CCCCXIX.

Hoc velle quivis creditur, quicquid potest.

CCCCXX.

Inane sceptrum est omne, cum regi placet
Jubere plura quam potest civis pati.

CCCCXXI.

Vis sola princeps, lexque jusque cum haud valent.

CCCCXXII.

Qui longus est & ima permiscet dies
Summis, & æquat ima quæ sunt maximis. Non

CCCCXXIII.

Non dignus irâ quilibet sit principis:
Robur potentis , multa posse spernere est.

CCCCXXIV

Jubeare qnicquid velle , vera est servitus.

CCCC XX V.

Miser neganda est cui negare non licet;
Et cui roganda jam rogare non licet.

CCCCXXVI.

Et hoc & illud molienti cuilibet
Perdenda multa obstacula inter est dies.

CCCCXXVII.

Sublime rerum & imperI ad fastigium,
Errat, per arma qui viam sternit sibi.

CCCCXXVIII.

Futura nemo fingat ex præsentibus:
Ignota quippe semper est lux crastina;
Mortaliumque est omnium ignorantia,
Nèscire serus vesper id quod advehet.

CCCCXXIX.

Libenter haud ferentibus tantum est onus.

CCCCLXXX.

Accepta perdit, plura qui non accipit.

CCCCXXXI.

Cognata sunt quæ, infesta nunc sunt nomina,
Ætate nostrâ principum subvertere
Est principes. Sibi qoc sed exemplo nocent.

CCCCXXXII.

Securior quam aula est taberna pauperis,

CCCCXXXIII.

Excelsa turris lapsui omnis proxima est.

CCCCXXXIV.

Sol ortum , idem ille & occasum videt.

CCCCXXXV.

Quodcunque, lætum , triste, finis excipit:
Mansura nulla, cuncta finienda sunt.

CCCCXXXVI

Mors una cum sit, mille nos rapit modis.

CCCCXXXVII.

Exordium quisquis mali, haud finem videt.

An-

CCCCXXXVIII.

Annosa multis silva perstat seculis,
Nobis sed est, eritque semper, lux brevis.
Qui vixit, is vixisse vix dicendus est.
Non possidentis vita vitam est hospitis:
Nobis perit, nos & perimus tempori.

CCCCXXXIX.

Sua haud, petisse haud; & sua indigentibus
Dedisse semper, solæ opes sunt diviti.

CCCCXL.

Nec sperni oportet quempiam, nec spernere.

CCCCXLI.

Est multa regis imperare & poscere:
Multa imperanti & subditi debet fides.

CCCCXLII.

Pœna hic videtur longa quæ, est tantum brevis;
Si quis futuram haud finiendam cogitet.

CCCCXLIII.

Timendus ille maxime est, qui non timet;
Ex fæce quamvis infimâ timendus est.

CCCCXLIV.

In carcere est cum qui innocens, & liber est.

CCCCXLV.

Magnum exilI timere vim haud decet virum;
Una est domus nam totus orbis omnibus.

CCCCXLVI.

Uti necesse est te tuis, tanquam haud tuis.

CCCCXLVII.

Adversa eâdem, quâ secunda, mente fer.

CCCCXLVIII.

Malum imperanti est obsequi tantum mali,
Dura imperanti at obsequi, est civis boni.

CCCCXLIX.

Commota plebes cum semel fuit, redit
Plebi inquietæ qui fuit nuper furor.

CCCCL.

Plerisque quæ curanda non curantibus,
Videtur esse cura quæ est incuria.
Ætate neglectum quod est primâ, seni
Sperare, spes sperantis est præpostere.

Man-

CCCCLI.

Mansura non est principi vis, qui premit
Famulisque servos subditos facit suis.

CCCCLII.

Velum ferentes inter auras contrahe:
Repente quod diu profuit velum nocet.

CCCCLIII.

Mare ante & undas nauta portum deligit,
Fidus trementem forte qui servet ratem.

CCCCLIV.

Nil impetu fac: sera pœnitentia est,
Proferre cum, referre cum pedem haud licet.

CCCCLV.

Prodesse multis, haud nocere illud sibi est.

CCCCLVI.

Adversa en sors, seu secunda sit tibi,
Et hæc & illa falsa fallit quemlibet.

CCCCLVII.

Adversa quævis sunt nihil sperantibus:
Adversa quævis sunt nihil timentibus.

CCCCLVIII.

Mavult probandâ semper ignorantiâ
Nescire prudens, scire quæ non expedit.

CCCCLIX.

Nescire quæ juvat, libet non credere,

CCCCLX.

Incerta certe, incerta sors est principum:
Fortuna sceptris subdidit reges suis.

CCCCLXI.

Deum, quem adorant, non amare plur mos
Puta. Nam amant tantum illud ipsum quod petunt.

CCCCLXII.

Civilium quod finis esse motuum
Plerisque creditur, fere est exordium.
Cineri doloso nam ignis est semper suus.

CCCCLXIII.

In abdito plerumque fraus, dolus latent:
Quod esse plebis, haud silentium est.

CCCCLXIV.

Motum quod est movensque, semper se movet,

Feli-

CCCCLXV.

Felicitas cum est improbo, infelix mihi
Videtur esse semper hæc felicitas.

CCCCLXVI.

Plerumque stare cum putat quis se, cadit.

CCCCLXVII.

Vitium comes virtutis est. Nam gloria,
Virtute quæ parata, fit superbia.

CCCCLXVIII.

Ipsum nocenti pœna semper crimen est;
Quo quisque gaudet crimine, hoc ipso perit.

CCCCLXIX.

Quæ blanda magnum, quæ aspera haud frangunt virum.
Oblata sors quæcunque nunquam displicet,
Cur displiceret, offerenti quæ placet?

CCCCLXX.

Cum vita finienda sit mortalibus,
Placitis carere sit perinde, quam frui.

CCCCLXXI.

Vitiis regentis sceptra servire haud decet.
Servitque qui regitque, ne quidem regit.

CCCCLXXII.

Non una, multa cura fallacem premit.
Pax nulla nam, nulla est quies menti malæ,

CCCCLXXIII.

Nox est, dolusque, quando quis mendax sibi est;
Sibi & tamen nunc mentiuntur plurimi.

CCCCLXXIV.

Amor satelles principi est fidissimus.
Omnes amare, sese amare est maxime,
Omnes amat rex qui, idem & omnium est amor.

CCCCLXXV.

Cum mille rebus omnibus pericula.
Infesta sint, prudenter utere omnibus.

CCCCLXXVI.

Dat is petenti, noxium quod qui negat:
Et supplici repulsa nonnunquam favet.

CCCCLXXVII.

Ignota nobis cum bona & sint & mala,
Humana subdat se Deo ignorantia.

Num-

Nunquam haud bonum esse, quod facit Deus, potest.

CCCCLXXVIII.

Hic vivitur quæ vita, paucorum indiga est.
Plus velle quam est necesse, id indigentia est.

CCCC LXXIX.

Quod est id esse semper, hoc tantum est Dei.
Nulli id tributum est principi, nullus dabit.

CCCC LXXX.

Curæ officina est aula, & anxiæ; platet,
Aulamque & ante, vilis est quies casa.

CCCC LXXXI.

Virtus timet nil; non arenas Africæ,
Ursamve vasto semper armatam gela.
Magnis via omnis pervia est virtutibus.

CCCC LXXXII.

Summa est potestas cum tributa regibus,
Hæc sit potestas, velle quam possint minus.

CCCC LXXXIII.

Regnum mereri, quam esse regem, majus est.

CCCC LXXXIV.

Magni hostis ipsa magnitudo est imperI.
Ex Orbe toto unam, suam & dum urbem facit,
Suâ superba Roma mole concidit.

CCCC LXXXV.

Terrorque amorque robur est victoriæ,
Amare victos & timere convenit.

CCCCLXXXVI.

Qui magna de se sentit, impostor sibi est:
Cui fallere autem, immanis est dementia.

.CCCC L XXXVII.

Incerta certis posthabenda sunt. Patet
Cui terrâ itiner, vitet incertum maris.

CCCC L XXX VIII.

Optare multa mos fere est mortalium:
Plerosque voti sed peracti pœnitet.
Optanda quæ plerique non intelligunt.

CCCC LXXXIX.

Incerta sors, iniqua, succedentibus
Improsperis mox, prosperi quidquid dedit
Tollit rapitque. Bulla res mortalium est.

Re-

CCCC XC.

Refectio laboris est mutatio.

CCCC XCI.

Se nemo, qui sapit, superbus efferat.
Una est origo, sanguis unus omnibus,
Vanumque quod fortuna discrimen facit.

CCCXCII.

Est tarda nunquam quæ mora est prudentibus:
Non providenti sed mora est obstaculum.

CCCCXCIII.

Ventura quæ est, est nemo sortis conscius:
Metumque spemque quæ futura deferunt.

CCCCXCIV.

Fortuna dicitur quæ & audaces juvat;
Audacibusque adversa nonnunquam nocet.

CCCC XCV.

Vis omnis est, & grata vis est principum,
Premere & superbos, subditisque parcere.

CCCC XC VI.

Quicunque rex est, semper & lex sit sibi.
Effrænis omnibus nocet superbia.

CCCC XCVII.

Plerumque paupet quisquis est, spe dives est;
Magnusque & ausus pauperis sperantis est.

CCCC XCVIII.

Vicisse quisquis se potest, magnum refert
Dulcemque fructum nobilis victoriæ.

CCCCXCIX.

Edoctus exemplo haud cavet quisquis sibi;
Fastis is inserendus imprudentium est.

D.

Non offerenda est ulla lex nolentibus:
Nam lege mentis nulla lex est fortior.

DI.

Benigna quæ est, est fortior semper manus,
Hostesque permiscere seque cladibus
Videntur hi, civile qui bellum gerunt.
Namque obrutus quando hostis est, victor cadit.

DII.

Plebem impetenttm mille serpentem dolis
Abesse nunquam principes rerum putent.

Est

DIII.

Est liber is, virtutis hic qui servus est.

DIV.

Dicendus est rex solus ille, vana qui
Casto superbus despicit fastidio,
Laudanda semper omnis hæc superbia est.

DV.

Labor fere est regi laboris præmium;
Haud regibus laboris unquam finis est:
Rex esse qui videtur, idem & servus est.

DVI.

Quisquis bonus vere est, sibi haud, cuiquã haud no??t.

DVII.

Cuivis regenti serviendum est tempori.
Subjecta cuncta legibus sunt temporum.

DVIII.

Turbis obortis jam, novis se opponere,
Tantum mederi vulnere illud vulneri est.

DIX.

Moventium se angentiumque fluctuum
Est qualis unda, talis est vulgi furor:
Nam se magis magisque, cum movit, movet.

DX.

In re gerenda semper est quod deficit:
Vel hoc vel illud haud adest agentibus.
Fluctu secundo ventus haud secundus est,
Vento & secundo non secundus fluctus est.

DXI.

Curanda rex cui publica summa est rei,
Dubium & procellosum fere æquor navigat.

DXII.

In rebus arduis jubendo plus potest,
Non qui ire dux, sed qui sequi suos jubet.

DXIII.

Quæ magna parvis aggredi, cymba levi
Sulcare fluctus est verendis classibus.

DXIV.

Timenda quæ sperare, mos est plurimis:
Sperare noli, quæ timere convenit.

DXV.

Nullo potestas rapta fulta robore, Can-

Cannâ palustri non nisi intexta est domus,
Cujuslibet tripudium est quæ turbinis.

DXVI.

Sterilis levisque juncus est vulgi favor:
Innititur qui huic, prospicit parum sibi;
Ruitque præceps ille mox qui innititur.

DXVII.

Turbata pax cum publica & domi hostis est,
Post est recluso hosti viam externo dare.

DXVIII.

Minora votis immodestis omnia,
Majora votis se modestis offerunt.

DXIX.

Dubium aggredi & quod cognitum non est satis
Nocturno id est rem spemque ponto credere.

DXX.

Pluvium ut Jovem sol ore monstrat lurido,
Sicutque signis luna ventorum rubet,
Motum movendæ multa plebis indicant,
Notare quæ vulgaris haud prudentiæ est.
Aliena, principumque quæ, plebs cum petit,
Turbo instat; ut plerumque tempestatis est
Et mergus index, præ mari cum siccum amat;
Et ardea undis cum æquoris spargit caput.

DXXI.

Ingressus invia, is viam haud speret sibi;
Vetitosque cursus vertere, hoc iter putet.

DXXII.

Cessura demens quælibet pericula
Sibi arbitratur: plurimosque perdidit,
Pluresque perdit principum hæc insania:
Insania ipsa hæc nil nisi est periculum.

DXXIII.

Nil, quidlibet præbere multitudini,
Quam tradere est ventis furentibus sinum.

DXXIV.

Fortuna rara est ante vota quæ favet;
Post multa multis vota sæpe non favet.

DXXV.

Fortuna quantum, quidve jam velit tibi,
Ferro experiri velle, non prudentis est. Ex-

DXXVI.

Civile bellum quodlibet, nihil nisi
Signa ad vocatum classico est periculum.

DXXVII.

Nil quam mare est plebs, littus haud vult quod pati.

DXXVIII.

Miser nimis ille est, qui timere nil potest.
Miserque & ille optare qui potest nihil.

DXXIX.

Curis vacanti nulla res, aut perdita est.

DXXX.

Veri timor sunt spesque semper nescia.

DXXXI.

Plerisque trita est via, est & devia.

DXXXII.

Majus malum cavere, primo obsistere est.

DXXXIII.

Plus scire oportet providum, quam prodere.

DXXXIV.

Populo furenti vix suus prodest furor,
Tantum favet plerumque pauciori bus,
Queis ex furente sola spes vulgo manet.

DXXXV.

Nulla est scelesto, esse aut potest est securitas;
Scelerisque pœnaque omnis est vicinia.

DXXXVI.

Cur quem timet quivis, sibi haud princeps timet?
Tremulum imperantis namque semper culmen est.

DXXXVII.

Vix finis armis quæritur civilibus,
Nec impetrabilis fere est, cum quæritur.
Odium cui haud non finiendi sit mali?
Cur ergo passim tantus & tam contumax
Vix finiendi plurimis amor mali est?

DXXXVIII.

Cui suum non est satis, nil est satis.

DXXXIX.

Geritur male illud, quamlibet feliciter,
Geritur quod omne summa per pericula.

DXL.

Externa multis bella, cur civilia, Pla-

Placent, suâ ipsi bella quæ damnant manu?
Velle est furor, sublata quæ ferro velis.

DXLI.

Jus omne quod ferri est, iniquum est & grave.

DXLII.

Vacare rebus fata nullus ambigat
Mortalium; vocare cum haud putas, vacant.

DXLIII.

Mendacium tantum omnis assentatio est.

DXLIV.

Civilium excitare bellorum faces,
Nefasque fasque semper est confundere.

DXLV.

Infausta faustis juncta qui non judicat,
Babone lætas is sinistro aves putat.

DXLVI.

Dux factionis, mota cum Respublica est,
Non bella partibus gerit, gerit sibi.

DXLVII.

Prodit repente veris inconstantia,
Ver esse cum & formosus annus creditur.

DXLVIII.

Non invenit bellum inquietus, sed rapit.

DXLIX.

Qui plebs auras, non manentes colligit.

DL.

Mare omne caute navigandum est: quodlibet
Nam cuilibet non pervium velo æquor est:
Marisque ad instar omnis est Respublica.

DLI.

Plebem haud move: nam plena res periculi
Ventum facemque est esse plebes: & ratem
Quæ vexit aura, sæpe non potest sequi.

DLII.

Levis diu haud vulgi manet silentium:
Diuturnus alti languor haud unquam est maris.

DLIII.

Novo timori vota sunt semper nova.

DLIV.

Secunda post adversa grata sunt magis:
Ut gratior lux nube post læsum diem est.

DLV.

Ne coge subditosque liberosque: nam id
Nolentis idem est & volentis principis.

DLVI.

O saeculum, moresque saeculi! Suam
Rem nunc amare amantis est rem publicam.

DLVII.

Mota ut videmus ima montes aequora
Pulsare, sic & mota plebs opponere
Se principi audet, ambiens fastigium.

DLVIII.

Timenda multa tecta sunt prudentibus.
Arena vasto abstrusa passim est aequori.

DLIX.

Aetas fuit nostrâ ulla vix insanior.
Discordiae manent; mora haud concordiae est.
Hostem ex amico qualibet facit dies:
Hinc nulla certa, nulla pax est gentibus.

DLX.

Pax saepe bello est quolibet nocentior:
Portu maligno tutius quodvis mare est.

DLXI.

Intuta sunt, locata quae in tuto putas.
Excepta portu haud salva dicenda est ratis;
Scruposa saepe nam sunt saxa portui.

DLXII.

Sortis subjectu stare, non prudentis est.

DLXIII.

Est eminente tutior, quisquis latet.

DLXIV.

Stultum haud movendis nolle servire est malis.

DLXV.

Cum clausa foedo servitutis carcere
Gens libera est, servire dum videtur, haud
Servit, sed unum hoc, libera ut sit, cogitat,
Exire latis & ruinis destinat.

DLXVI.

Qua prodimur, saepe umbra, saepe est res levis:
Propinquus hostis pulvere hosti noscitur.
Ausurus ergo tecta quae esse convenit,
Cum quodlibet non, caetera incassum tegit. Lau-

DLXVII.

Laude absque bella civium sunt. Crimen est
Spectata virtus omnis in civilibus.

DLXVIII.

Bella haud relegant bella sed tantum se alunt.

DLXIX.

Metusque spesque sunt ferenda ad omnia,
Subjecta qua sunt casuum periculis.

DLXX.

In mente principum quod abditum latet,
Dilata longâ nocte & harens est dies,
Dieque tandem se palam prodit suo.
Non facta nolunt, sed futura intelligi.

DLXXI.

Arcana cauti principis, soli huic patent;
Arcana non sunt, cum illa soli non patent.

DLXXII.

Externa cum haud sunt, excitant civilia,
Externa tollunt bella qua civilia.
Qui finis est belli, novi est exordium.

DLXXIII.

Non velle multa, multa sed nolle expedit.

DLXXIV.

Sunt militum vi parta regna sceptraque,
Et occupata, in militum tantum manu,
Quam castra fundant tuta non Respublica est,
Incerta nam est castrensium semper fides.

DLXXV.

Mutatio ex mutatione gignitur:
Mutatio omnis semper exemplo nocet.

DLXXVI

Numen favere cum videtur, haud favet
Semper, nocere cum videtur, haud nocet.

DLXXVII.

Humana mens est vasta, vasta concupit;
Nullus superba finis, & nullus modus,
Limesque nullus ponitur libidini:
Hinc motuum tot, totque bellorum faces.
Mutanda bello at pacis haud sunt tempora,
Turbata cum pax gentium est, tarde redit.

CCCCLI.

Mansura non est principi vis, qui premit
Famulisque servos subditos facit suis.

CCCCLII.

Velum ferentes inter auras contrahe:
Repente quod diu profuit velum nocet.

CCCCLIII.

Mare ante & undas nauta portum deligit,
Fidus trementem forte qui servet ratem.

CCCCLIV.

Nil impetu fac: sera pœnitentia est,
Proferre cum, referre cum pedem haud licet.

CCCCLV.

Prodesse multis, haud nocere illud sibi est.

CCCCLVI.

Adversa en sors, seu secunda sit tibi,
Et hæc & illa falsa fallit quemlibet.

CCCCLVII.

Adversa quævis sunt nihil sperantibus:
Adversa quævis sunt nihil timentibus.

CCCCLVIII.

Mavult probandâ semper ignorantiâ
Nescire prudens, scire quæ non expedit.

CCCCLIX.

Nescire quæ juvat, libet non credere,

CCCCLX.

Incerta certe, incerta sors est principum:
Fortuna sceptris subdidit reges suis.

CCCCLXI.

Deum, quem adorant, non amare plur mos
Puta. Nam amant tantum illud ipsum quod petunt.

CCCCLXII.

Civilium quod finis esse motuum
Plerisque creditur, fere est exordium.
Cineri doloso nam ignis est semper suus.

CCCCLXIII.

In abdito plerumque fraus, dolus latent:
Quod esse plebis, haud silentium est.

CCCCLXIV.

Motum quod est movensque, semper se movet,

Felix

CCCCLXV.

Felicitas cum est improbo, infelix mihi
Videtur esse semper hæc felicitas.

CCCCLXVI.

Plerumque stare cum putat quis se, cadit.

CCCCLXVII.

Vitium comes virtutis est. Nam gloria,
Virtute quæ parata, fit superbia.

CCCCLXVIII.

Ipsum nocenti pœna semper crimen est;
Quo quisque gaudet crimine, hoc ipso perit.

CCCCLXIX.

Quæ blanda magnum, quæ aspera haud frangunt virum,
Oblata sors quæcunque nunquam displicet,
Cur displiceret, offerenti quæ placet?

CCCCLXX.

Cum vita finienda sit mortalibus,
Placitis carere sit perinde, quam frui.

CCCCLXXI.

Vitiis regentis sceptra servire haud decet.
Servitque qui regitque, ne quidem regit.

CCCCLXXII.

Non una, multa cura fallacem premit.
Pax nulla nam, nulla est quies menti malæ.

CCCCLXXIII.

Nox est, dolusque, quando quis mendax sibi est;
Sibi & tamen nunc mentiuntur plurimi.

CCCCLXXIV.

Amor satelles principi est fidissimus.
Omnes amare, sese amare est maxime,
Omnes amat rex qui, idem & omnium est amor.

CCCCLXXV.

Cum mille rebus omnibus pericula.
Infesta sint, prudenter utere omnibus.

CCCCLXXVI.

Dat is petenti, noxium quod qui negat:
Et supplici repulsa nonnunquam favet.

CCCCLXXVII.

Ignota nobis cum bona & sint & mala,
Humana subdat se Deo ignorantia.

Num-

Nnnquam haud bonum esse, quod facit Deus, potest.

CCCCLXXVIII.

Hic vivitur qua vita, paucorum indiga est.
Plus velle quam est necesse, id indigentia est.

CCCC LXXIX.

Quod est id esse semper, hoc tantum est Dei.
Nulli id tributum est principi, nullus dabit.

CCCC LXXX.

Curæ officina est aula, & anxiæ; platet,
Aulamque & ante, vilis est quies casa.

CCCC LXXXI.

Virtus timet nil; non arenas Africæ,
Ursamve vasto semper armatam gela.
Magnis via omnis pervia est virtutibus.

CCCC LXXXII.

Summa est potestas cum tributa regibus,
Hæc sit potestas, velle quam possint minus.

CCCC LXXXIII.

Regnum mereri, quam esse regem, majus est.

CCCC LXXXIV.

Magni hostis ipsa magnitudo est imperI.
Ex Orbe toto unam, suam & dum urbem facit,
Suâ superba Roma mole concidit.

CCCC LXXXV.

Terrorque amorque robur est victoriæ,
Amare victos & timere convenit.

CCCCLXXXVI.

Qui magna de se sentit, impostor sibi est:
Cui fallere autem, immanis est dementia.

CCCC LXXXVII.

Incerta certis posthabenda sunt. Patet
Cui terrâ itiner, vitet incertum maris.

CCCC LXXXVIII.

Optare multa mos fere est mortalium:
Plerosque voti sed peracti pœnitet.
Optanda quæ plerique non intelligunt.

CCCC LXXXIX.

Incerta sors, iniqua, succedentibus
Improsperis mox, prosperi quidquid dedit
Tollit rapitque. Bulla res mortalium est.

Re-

CCCC XC.

Refectio laboris est mutatio.

CCCC XCI.

Se nemo, qui sapit, superbus efferat.
Una est origo, sanguis unus omnibus,
Vanumque quod fortuna discrimen facit.

CCCXCII.

Est tarda nunquam quæ mora est prudentibus
Non providenti sed mora est obstaculum.

CCCCXCIII.

Ventura quæ est, est nemo sortis conscius:
Metumque spemque quæ futura deserunt.

CCCCXCIV.

Fortuna dicitur quæ & audaces juvat;
Audacibusque adversa nonnunquam nocet.

CCCCXCV.

Vis omnis est, & grata vis est principum,
Premere & superbos, subditisque parcere.

CCCC XC VI.

Quicunque rex est, semper & lex sit sibi.
Effrænis omnibus nocet superbia.

CCCCXCVII.

Plerumque paupet quisquis est, spe dives est;
Magnusque & ausus pauperis sperantis est.

CCCC XCVIII.

Vicisse quisquis se potest, magnum refert
Dulcemque fructum nobilis victoriæ.

CCCCXCIX.

Edoctus exemplo haud cavet quisquis sibi;
Fastis is inserendus imprudentium est.

D.

Non offerenda est ulla lex nolentibus:
Nam lege mentis nulla lex est fortior.

DI.

Benigna quæ est, est fortior semper manus,
Hostesque permiscere seque cladibus
Videntur hi, civile qui bellum gerunt.
Namque obrutus quando hostis est, victor cadit.

DII.

Plebem impetentem mille serpentem dolis
Abesse nunquam principes rerum putent.

Est

DIII.

Est liber is, virtutis hic qui servus est.

DIV.

Dicendus est rex solus ille, vana qui
Casto superbus despicit fastidio,
Laudanda semper omnis hæc superbia est.

DV.

Labor fere est regi laboris præmium;
Haud regibus laboris unquam finis est:
Rex esse qui videtur, idem & servus est.

DVI.

Quisquis bonus vere est, sibi haud, cuiquã haud nocet.

DVII.

Cuivis regenti serviendum est tempori.
Subjecta cuncta legibus sunt temporum.

DVIII.

Turbis obortis jam, novis se opponere,
Tantum mederi vulnere illud vulneri est.

DIX.

Moventium se augentiumque fluctuum
Est qualis unda, talis est vulgi furor:
Nam se magis magisque, cum movit, movet.

DX.

In re gerenda semper est quod deficit:
Vel hoc vel illud haud adest agentibus.
Fluctu secundo ventus haud secundus est,
Vento & secundo non secundus fluctus est.

DXI.

Curanda rex cui publica summa est rei,
Dubium & procellosum fere æquor navigat.

DXII.

In rebus arduis jubendo plus potest,
Non qui ire dux, sed qui sequi suos jubet.

DXIII.

Quæ magna parvis aggredi, cymba levi
Sulcare fluctus est verendis classibus.

DXIV.

Timenda quæ sperare, mos est plurimis:
Sperare noli, quæ timere convenit.

DXV.

Nullo potestas rapta fulta robore, Can-

Cannâ palustri non nisi intexta est domus,
Cujuslibet tripudium est quæ turbinis.

DXVI.

Sterilis levisque juncus est vulgi favor:
Innititur qui huic, prospicit parum sibi;
Ruitque præceps ille mox qui innititur.

DXVII.

Turbata pax cum publica & domi hostis est,
Post est recluso hosti viam externo dare.

DXVIII.

Minora votis immodestis omnia,
Majora votis se modestis offerunt.

DXIX.

Dubium aggredi & quod cognitum non est satis
Nocturno id est rem spemque ponto credere.

DXX.

Pluvium ut Jovem sol ore monstrat lurido,
Sicutque signis luna ventorum rubet,
Motum movendæ multa plebis indicant,
Notare quæ vulgaris haud prudentiæ est.
Aliena, principumque quæ, plebs cum petit,
Turbo instat; ut plerumque tempestatis est
Et mergus index, præ mari cum siccum amat;
Et ardea undis cum æquoris spargit caput.

DXXI.

Ingressus invia, is viam haud speret sibi;
Vetitosque cursus vertere, hoc iter putet.

DXXII.

Cessura demens qualibet pericula
Sibi arbitratur: plurimosque perdidit,
Pluresque perdit principum hæc insania:
Insania ipsa hæc nil nisi est periculum.

DXXIII.

Nil, quidlibet præbere multitudini,
Quam tradere est ventis furentibus sinum.

DXXIV.

Fortuna rara est ante vota quæ favet;
Post multa multis vota sæpe non favet.

DXXV.

Fortuna quantum, quidve jam velit tibi,
Ferro experiri velle, non prudentis est. Ci-

DXXVI.

Civile bellum quodlibet, nihil nisi
Signa ad vocatum classico est periculum.

DXXVII.

Nil quam mare est plebs, littus haud vult quod pati.

DXXVIII.

Miser nimis ille est, qui timere nil potest,
Miserque & ille optare qui potest nihil.

DXXIX.

Curis vacanti nulla res, aut perdita est.

DXXX.

Veri timor sunt spesque semper nescia.

DXXXI.

Plerisque trita est via, est & devia.

DXXXII.

Majus malum cavere, primo obsistere est.

DXXXIII.

Plus scire oportet providum, quam prodere.

DXXXIV.

Populo furenti vix suus prodest furor,
Tantum favet plerumque paucioribus,
Queis ex furente sola spes vulgo manet.

DXXXV.

Nulla est scelesto, esse aut potest est securitas;
Scelerisque pœnaque omnis est vicinia.

DXXXVI.

Cur quem timet quivis, sibi haud princeps timet?
Tremulum imperantis namque semper culmen est.

DXXXVII.

Vix finis armis quæritur civilibus,
Nec impetrabilis fere est, cum quæritur.
Odium cui haud non finiendi sit mali?
Cur ergo passim tantus & tam contumax
Vix finiendi plurimis amor mali est?

DXXXVIII.

Cui suum non est satis, nil est satis.

DXXXIX.

Geritur male illud, quamlibet feliciter,
Geritur quod omne summa per pericula.

DXL.

Externa multis bella, cur civilia, *Pla-*

Placent, suâ ipsi bella quæ damnant manu?
Velle est furor, sublata quæ ferro velis.

DXLI.

Jus omne quod ferri est, iniquum est & grave.

DXLII.

Vacare rebus fata nullus ambigat
Mortalium; vocare cum haud putas, vacant.

DXLIII.

Mendacium tantum omnis assentatio est.

DXLIV.

Civilium excitare bellorum faces,
Nefasque fasque semper est confundere.

DXLV.

Infausta faustis juncta qui non judicat,
Babone lætas is sinistro aves putat.

DXLVI.

Dux factionis, mota cum Respublica est,
Non bella partibus gerit, gerit sibi.

DXLVII.

Prodit repente veris inconstantia,
Ver esse cum & formosus annus creditur.

DXLVIII.

Non invenit bellum inquietus, sed rapit.

DXLIX.

Qui plebs auras, non manentes colligit.

DL.

Mare omne caute navigandum est: quodlibet
Nam cuilibet non pervium velo æquor est:
Marisque ad instar omnis est Respublica.

DLI.

Plebem haud move: nam plena res periculi
Ventum facemque est esse plebes: & ratem
Quæ vexit aura, sæpe non potest sequi.

DLII.

Levis diu haud vulgi manet silentium:
Diuturnus alti languor haud unquam est maris.

DLIII.

Novo timori vota sunt semper nova.

DLIV.

Secunda post adversa grata sunt magis:
Ut gratior lux nube post læsum diem est.

DLXVII.

Laude absque bella civium sunt. Crimen est
Spectata virtus omnis in civilibus.

DLXVIII.

Bella haud relegant bella sed tantum se alunt.

DLXIX.

Metusque spesque sunt ferenda ad omnia,
Subjecta quæ sunt casuum periculis.

DLXX.

In mente principum quod abditum latet,
Dilata longâ nocte & hærens est dies,
Dieque tandem se palam prodit suo.
Non facta nolunt, sed futura intelligi.

DLXXI.

Arcana cauti principis, soli huic patent;
Arcana non sunt, cum illa soli non patent.

DLXXII.

Externa cum haud sunt, excitant civilia,
Externa tollunt bella quæ civilia.
Qui finis est belli, novi est exordium.

DLXXIII.

Non velle multa, multa sed nolle expedit.

DLXXIV.

Sunt militum vi parta regna sceptraque,
Et occupata, in militum tantum manu,
Quam castra fundant tuta non Respublica est,
Incerta nam est castrensium semper fides.

DLXXV.

Mutatio ex mutatione gignitur:
Mutatio omnis semper exemplo nocet.

DLXXVI

Numen favere cum videtur, haud favet
Semper, nocere cum videtur, haud nocet.

DLXXVII.

Humana mens est vasta, vasta concupit;
Nullus superbæ finis, & nullus modus,
Limesque nullus ponitur libidini:
Hinc motuum tot, totque bellorum faces.
Mutanda bello at pacis haud sunt tempora.
Turbata cum pax gentium est, tarde redit.

DLXXVIII.

Aliena poscunt possidentque plurimi;
Sed damna sunt quæ possident, non sunt opes.

DLXXIX.

Damnosa belli semper omnis alea est.
Quæ pacis ergo perdis, hæc prosunt magis,
Armata quam quæ porrigit manus tibi.
Nam porrigit plerumque. quod mox redditur,
Belloque parta possidenti infida sunt.

DLXXX.

Qui cogitur nil, ille qui cogit, facit.

DLXXXI.

Quicunque regnat, in mari incerto natat,
In undique infesto ac precelloso mari.
Obstare vento & undæ, iter pereuntis est.

DLXXXII.

Ventosa plebs ventusque sunt ortu pares,
Sunt exituque. Non diu constant sibi.

DLXXXIII.

Origo nunc est motuum, ararum furor,
Fax prima templum est: & tamen templum decet
Arasque sedes pacis esse principes.

DLXXXIV.

Irata plebs cum est, ira non illa, est furor,
Furorque & ipsis qui est timendus regibus.

DLXXXV.

Qui publicam rem mutat antiquam novâ,
Tironis instar peccat in statu novo.

DLXXXVI.

Si Forte reges, Fors gubernat omnia:
Si Forte non sint, Numen est quod eligit;
Et esse constat obsequendum Numini.
Est Numini ille adversus, est qui regibus.

DLXXXVII.

Est quidquid vertitur vertentibus.
Avus quod olim vidit, haud videt nepos.
Vix sæculi est res, omnium conversio.

DLXXXVIII.

Ventura cursu nemo devertit suo.
Ventura cauti sed tamen prænoscere est.

Rex

DLXXXIX.

Rex; plebsque cum committitur, nil quam rei
Pallor rigorque publicæ morientis est,

DXC.

Ventura non est hora, mixtura omnia;
Jam venit hæc: confusa nunc sunt omnia.

DXCI.

Qui cuncta sorti credit, ille non nisi est
Vento regendum nauta qui præbet ratem.

DXCII.

Infert geritque bella nunc, qui haud hostis est.
Die sub omni, quolibet sub sidere,
Armata civem in civis est ferro manus.
Suis sibique quilibet nunc hostis est.

DXCIII.

Patruosque avosque tempore haud nostro sapit
Populus nepotum; & inde non nobis manent
Patruisque quæ risere avisque tempora.

DXCIV.

Nescit vovendum quilibet: nam mille quod
Votis petitum est, mille mox idem improbat.

DXCV.

Nescire sortis improbæ vices, sibi
Casus secundos semper est promittere:
Adversa multis ex secundâ nascitur.

DXCVI.

Fuere reges, regna, turba gentium.
Fuit quod olim, vix fuisse jam putes;
Quodque est, fuisse vix putabunt posteri.

DXCVII.

Hæc quæ esse nobis creditur prudentia,
Caligo tantum, noxque tantum illunis est.

DXCVIII.

Non providet sat, quisquis & non respicit.
Quæ deseris videnda sunt, & quæ incipis.

DXCIX.

Haud testis innocentis est victoria;
Victique strages hunc nocentem non probat.
Petiturque ferro quidquid armatâ manu,
Petiturque flammis quod, petendo perditur.

DC.

Civile ferrum nil reponit gentibus
Perfossa prater civitatis viscera,
Fluvios cruoris prater, ostra principum
Calcata prater, omne prater perditum
Decus Senatus, prater & cade in suâ
Populum natantem, jusque prater omnium,
Profana prater, sacra prater omnia,
Contempta plebi. Ama id, perite qui cupis,
Tecumque tu perire qui vis omnia.
Et pax, fidesque, & obsequI modestia,
Sunt Barbarorum, nostra jam non sunt bona.

DCI.

Quicunque motus civium est perdit modum.
Sive ille cives impetat, seu principes.
Funesta quanquam, bella quis non praferat
Externa qua civilibus? Mors quodlibet
Civile bellum haud militis, sed gentis est:
Manetque vulnus posteris, Prasentium hoc
Plus vita quam salusque genti est quod perit.

DCII.

Lapsurus est quisquis, superbus incipit.

DCIII.

Adversa frangunt cum, secunda non juvant:
Secunda nec juvant, nimis cum te efferunt.

DCVI.

Misero nocere nulla sors unquam potest.
Nocere tantum sors potest felicibus.

DCV.

Qua fata dant, cape illa; sperne, qua negant.

DCVI.

Diu favendo plurimos sors decipit;
Longo favori credere, imprudentis est.
Nam multa donat, una quod rapit dies.

DCVII.

Se sit minor sibique, major omnibus:
Ipsam id tueri posse magnitudinem est.

CAR-

CARMINUM ADOPTIVORUM LIBER.

CONSTANTINI HUGENII IN M. Z. BOXHORNII, Historiam Bredæ expugnatæ.

HActenus edomitæ muti miracula Bredæ
Scribimus, & captam vix capit ulla fides:
Hactenus attoniti, stupor, admiratio Belgæ est,
Quæque palam vidit, pœne tacendo negat.
Boxhorni princeps ingrata silentia solvit
Par operi, priscis æquiparanda manus,
Quoque sat Auriaci pateat vaga Laurea Martis,
Victoris populi Martia verba movet:
Cæptaque terribili memorat confecta trimestri,
Qualibus Eugeniæ res brevis annus erat,
Hic ubi surgentis frustra spectator arenæ
Horruit ad primæ mœnia molis Iber,
En quid agis, Lector? Scriptæ moliris an acta
Prodere, an utrivis congrua verba rei?
Tolle manum. Scripta laus est non unius ævi,
Totius acta labor posteritatis erit.

CONSTANTER.

DANIELIS HEINSII

In Urbes Bataviæ

MARCI ZUERII BOXHORNII

LAus eruditæ gentis & decus rarum,
Cui vix juventa vesticeps genas ambit,
Vix ora signat, erudite Boxhorni,
Et jam procatur fama, jam sibi jungit
Laboriosis indomabilem curis,
Quas ante fulget, ut domesticos cœli
Nocturnus ignes, quæ reponit in luce
Nomen Batavum, consecratque venturis;
Debere jam se sentit ipsa Libertas,
Nexum nec unquam diffitebitur tantum:
Quod cum superbis molibus, foris, templis,
Beata, dives, culta, non triumphata,
Cum civibus, cum civitatibus cunctis,
Spectanda terras nunc perambulat quasvis,
Vita & Quirini civitate donata.

EJUSDEM

IN

Historiam, sive Chronicon Universale

M. Z. BOXHORNII.

ANtiquitatem pervagatus intimam
Rerumque vindex omnium Boxhornius
Quæcunque prisca subministrant secula,
Famæ perennis inclytique nominis
Labore tanto candidatus impiger,
Videte gentes & favete posteræ;
Æternus ipse sic futurus, omnia
Æternitati consecravit tempora.

EJUS-

EJUSDEM ad EUNDEM,

Cum

DOMINICO MOLINO

parentasset.

QUid est diserte nec tacende Boxhorni
Post hac disertis æmulisque summorum,
A cujus ore feriata Lugdunum
Nuper pependit, sanciata, percussa
Oratione flebili nec ignava,
Sed expedita masculaque, sed gnara
Vim quæstibus miscere, lachrymis pondus;
Quid est, quod Heynsî, præco funeris magni,
Ciere lessum lachrymasque vis Musam,
Et præficarum munus exsequi luctum,
Quem fama terris posterisque venturis,
Pado Batavus Adriæque tramittat?
Amice nescis; inclytus licet fandi
Et luctuosus prædicator crepti;
In morte tanta quod miserrimum nescis,
Et pene tanta luctuosius morte,
Nec expiandum febrnis luctuque:
Fuere Musæ. Vixit Heinsius vester,
Amice, vixit. Ille sedulus quondam
Lætusque cultor dulcium Camœnarum,
Idemque laudis impotens Molineæ
Et æstimator & superbus interpres
Ardoris ipse vix sui capax quondam,
Nunc derelictus omnibus miser Musis,
Perculsus oppressusque, mutus, elinguis,
Non verba voci sed silentium præstat
Inominato nec domabili letho.
Si quid relictum est ultimæ tamen voci,
Quod lingua victa tinniat, manus signet,
Qualis supremæ conditor voluntatis,
Urgente fato summa cum vergit dies,
Lex non amœna, quam tabellio firmat.

Snique testes & domesticum nomen
Hanc dictionem, ceu novissimam, tolle:
Sibi & Molino qui superstes extincto est,
Sibi & Camœnis heic parentat extinctis.

JOHANNIS ISAACII PONTANI
In Urbium Hollandiæ Theatrum
Edente
MARCO ZUERIO BOXHORNIO
Cognato suo.

PArve liber magnum mundi visure Theatrum,
Boxhorni Zuerii nomina fronte gerens,
Non ignavus ades, venis at visendus & ipse,
Ingenii hæ dotes sunt geniique tui.
Tu spectas orbem, spectandas tradis at urbes,
Urbes, queis toto pulchrius orbe nihil.
Sidera quod cœlo, Batavis hoc oppida terris
Lumen inest illis, moribus ista nitent.
Non munita satis, sed quæ morata decenter,
Oppida, plus illis roboris esse solet.
Hic bellum videas, pulsari finibus hostem;
Ista foris, constant omnia pace domi,
Hæc meus, hæc primo memorat nunc Zuerius ævo;
Quam veniet mox his floribus alma seges!

PETRI SCRIVERII
In Theatrum Urbium Hollandicarum
munerario atque editore
MARCO ZUERIO BOXHORNIO.

COgnita cum magnæ vix sint natalia Romæ,
Pluriaque Ausoniâ mœnia structa manu.
Cum tot & incertis Graias auctoribus urbes
Annoso videas deperiisse situ.

Obscu-

Obscuros nostris miremur in urbibus ortus!
Natalem sciri nec Thuridrechta tuum!
Haerlemum exploso simul ignorabile Lemo;
Et Delpham, quamvis Corbulo fossor erat,
Lugdunumque vetus, laudatur nomine Leithis,
Sumptum à Lethæis ut videatur aquis.
Cætera quid narrem penitus absconsa tenebris
Oppida: nunc oculis pœnè videnda tuis.
Nos omnem Historiam, nostrasque excussimus urbes,
Quæ partim è forulis jussimus ire foras,
Et partim premimus, crassam indignantia lucem,
Cum pretium Musis barbara turba neget.
Hic canat ergò sibi, qui publica munia vitans
Aönias proprio vindicat ære Deas;
Secretosque lares amat haud mercabilis ulli,
Civibus impendens otia tota suis,
Dum veterum culpas blanditaque somnia damnat,
Ardet & in laudes ire, Batave, tuas.
En meus, ingrato quantumvis, Zuerius, ævo,
Non cessat lasso ferre rogatus opem.
Et nunc ille bono communi publicat urbes,
Reddit & Hollandis pristina jura suis.
Tam benè, tam cultè, ut facilè huic cessura Theatro
Credam Romano sparsa Theatra croco.
Magna crepent operæ magnis mercedibus emptæ,
Libera veridicum dextera pangit opus.

Lare secreto. Legendo & scribendo.

EJUSDEM ad EUNDEM
De ineptiis sæculi perorantem.

SUnt tibi cum vitiis, Boxhorni, prælia nostri
Temporis; & genii dissidet urna tui.
Sic sit noster Eques, sic totus ineptiat orbis
Votaque Zueriaco sunt aliena Deo;
Ut recitaturum Pallas miretur alumnum
Sæpius, & Marci splendida dona sui,
Vix sapit admonitus morboque relictus eodem
Orbis ad ingenium (nunc ubi lingua?) redit.
Ecce aures hominum, patefactaque Janua famæ,
Et dubitas vires exseruisse tuas?

EJUSDEM ad EUNDEM

CUM

HISTORIAM UNIVERSALEM

in lucem daret.

Oppida Cattigenûm pulchro spectanda Theatro,
Cunctaque Romano pulpita sparsa croco,
Cui, nisi Marce tibi Boxhorni, Hollandia debet?
Quodque aliis opus est, hoc tibi præter opus.
Qualis & Auraicæ celebris victoria Bredæ,
Sertaque Nassavas quæ decuère comas,
Muneris hæc sine fraude tui, sine fraude Minervæ;
Nec notat oblatas janua scripta moras.
Haud minus in cathedra, tota admirante Lyceo,
Vellejum, aut Tacitum (nomina quanta!) legis.
Nec minus est audita tua facundia Suada,
Funereas vibrat dum pia lingua faces,
Illustresque animas Letheis subtrahis undis.
Sic ô! quam dulce est, ne moriare, mori!
Me si fata senem tali dignentur honore,
Optem hodie vitæ fila resecta meæ;
Sed prius edoctæ quid præstantissimus author
Zuerius omnigena dicat in historia:
Et meus Oudanus (quia lumine privor utroque,
Longaque nox oculis est metuenda meis)
Prælegat, & cupidas lector gravis impleat aures:
Index ille mihi Temporis omnis erit,
Æternique operis. Juvenis qui struxerat Urbes,
An vir cum plausu Regna minore dabit?

Anno ætat. 77.
Christi 1652.

JANI BODECHERI BANNINGII IN MARCI ZUERII BOXHORNII.

Theatrum Urbium Hollandiæ.

CUicunque probitas aurensque perplacet
Virtutis ardor, dum juventa est, optime is
Vivit, beatusque ac Deorum perpetim
Proles vocatur, & voluptas maxima:
At quisquis illum carpit ultro tramitem,
Ut eruditæ templa scandat Palladis,
Et multa tentat sedulus perdiscere,
Conviva mox gratissimus sit cœlitum.
Dein quisque pergit invidenda seculis
Tradens papyro, laureo circumdatur
Serto, madente per capillos nectare.
Te, docte Zueri, care Boxhorni nepos,
Senisque fulcrum cum tuo fratre unicum,
Quod mansit ipsi Breda postquam labitur.
Cujus regebat sic desertus incolas,
Ut pura pietas obsederat pectora.
Dum Maurus obsidet cupita mœniam
Præcox Juventas cuncta nosse factitat,
Quæ nosse quisquam ætate tali possiet.
Adoreamque debitam nanciseris,
Edendo quicquid vel Latinus occulit,
Vel Græcus, Hellas quem vetusta nutriit.
Sed fama summam buccinabit gloriam,
Quod pingis urbes artifex Batavicas,
Cruore sepiæ entheoque spiritu,
Et mittis omnibus videndas exteris,
Tam scite, ut omnes obstupescant exteri
Decus Bataviæ, & juventam Zuerii.

EJUSDEM
IN IDEM THEATRUM,
Ad
LECTOREM.

EN, Lector, tibi quas descripsit Zuerius urbes,
Et Batavo pulchrum quicquid in orbe nitet.
Fertilis ingenii vasto quod robore fretus
Vel quoque Cimmeriis eruit è tenebris.
Scilicet in multis quam sit delira vetustas,
Et Snoji, & Tragoræ putida charta docet.
Malebant monachi comitum quam gesta suorum
Scribere, deliciis solicitare cutem.
Pocula sive forent rorantia forte bibenda,
Seu pellenda sua virginitate soror.
Credulus est cuicunque placet quod credula plebes
Gannit, & incerta clamat in Historia.
Losduni valeat partus, Leidæque gigantes,
Et quod præterea frigida narrat anus;
Dum digitis aut vibrat acus, & gansapa pingit,
Aut expansa colo pendula fila tenet.
Credere fas, quod qui discernunt æra lupinis
Credendum perhibent, & ratione probant.

EJUSDEM
IN
MARCI ZUERII BOXHORNII
Quæstiones Romanas.

ALbanos obsessa timet dum Leida furores,
Baldæique minas, dum millia pabula præbet

Dira

Dira fames, qualem posset vix ferre Saguntus,
Pestiferæque lues Erebo; cum Pallade Phœbus
Advenit, & media templum sibi fabricat urbe.
Candida quo vigeat pietas; quo jura Quiritum
Det tabulis insculpta Solon; Epidaurius herbas
Quo trutinet, morbosque abigat; quo regula veri
In Sophiæ stet fixa manu; quo Græcia quicquid,
Quicquid Arabs, Solimæque tegunt sapientia doctet
Scilicet hoc pretium fidei pater esse Deorum,
Auriacusque volunt, Batavis à numine summo
Numen honorandum. Tutelam suscipit ædis
Dousa, togaque sagum commutat, & igneus ultra
Oceanum docti transfundit murmura cantus.
Nec finit ex illo retro sublapsa Lycei
Gloria: durat adhuc clarum per secula nomen,
Ostentatque viros, quorum mens inclyta famam,
Et laudis spolia ampla meret. Quos Heinsius inter
Eminet, ille suo Phœnix pulcherrimus ævo.
Priscaque cui Druidum nutat Salmasius arbor,
Germinibus librata suis. Suadæque medulla
Cunæus, Themidisque decus. Scriverius & cui
Pulchra palatina circum undique tempora lauru
Bilbilis incinxit, Musæ servator Iberæ.
Vernantes sed enim postquam solertia messes
Prævenit, & juvenis toti miracula mundo
Boxhorni mens dia facit, linguæque seniles
Grandiloquæ dulci promit moderamine curas;
Majorem solito sibi se natura tremiscit,
Et proprium veneratur opus, geniumque potentem
Suspicit, ac tantas labenti robore vires.
Quodque videt vidisse negat, nisi forsitan axem
Cynthius, atque citos valuit compescere currus,
Dum lucis remoratur iter; Clymenëia proles
Quam nimium subitis olim turbaverat horis.
Et Scytha festini passim legit ipse laboris
Pignora, nec vasti restat pars cultior orbis,
Quo non rumor abit, patrio sub sidere Belgam
Vivere, qui famam primævo flore juventæ
Solis ab occasu Solis metitur ad ortum.
Hæc vero monumenta decus, titulosque parare,

Si fuerant non ante, queunt; quibus abdita doctis
Hactenus Ausoniæ monstrantur rudera gentis,
Marmoribusque patent insculpti nomina ritus.
Hertam Tento colit, lucent delubraque silvis
Herculeas exstructa faces: Deus uritur aris,
Seu Magusanus, seu vult Tricosus haberi.
Hic Cybelen mors atra timet. Felicior illic
Fit puero fortuna Jovi. Marique patescunt
Ideæ simulacra Deûm. Lar mœnia servat
Publicus, & comites assumit curia Consos,
Ælia nec mulier, nec mas est Lælia Crispis,
Nec sexu (nihil & tamen omnia) gaudet utroque,
Et vitam sub morte premit. Medicamine nullo
Progeniti Phœbo nymphaque Coronide morbos
Dextra fugat. Larvam noctu spectare mariti
Uxor avet, fatoque suo lachrymabilis addi,
Sarcophagus num sit peregrinus quæritur Orcus.
Olibii presso latitat sub cespite flammans
Lychnis humi. Digitum defuncti dissecat orbus
Ante rogos summumque vale. Barbata Cythere
Dicitur, exsequiis succedunt gaudia sponsi:
Nuptaque lanatos vittis adjungit amictus,
Insuetum scansura torum. Nil cetera refert
Scribere, quæ grandi componit pagina libro:
Relliquiasque dapum mensis servasse vetustas
Fertur, & ardentes non exstinxisse lucernas.
Oedipus, implicite solvens ænigmata Sphingis,
Tot tricas soluisse nequit. Lua panditur uni,
Clausaque Boxhorni retinet mysteria pectus.

EJUSDEM

Ad

ADOLFUM VORSTIUM,

In

MARCI ZUERII BOXHORNII

Orationem de Majestate Eloquentiæ Romanæ.

E*ffigies rediviva patris, quo sospite Leithis*
Lethæa sprevit spicula torta manu:

Regali,

Regali vestita redit facundia peplo ;
Tempora nascuntur fascibus apta tuis.
Exsilium perpessa licet, non exsulis ore
Verba refert, vultum nec pudibunda tegit,
Majestas veneranda Deæ. Vestigia tantis
Nulla trahit retro languidiora malis.
Musa Tomitanis remeans Nasonis ab oris
Tristibus Augusto questibus una placet.
Præstitit ad gelidas genitus effundere rupes,
Præstitit æquoreis annumerare Getis.
Conspicuam solio gemmanti Zuerius aula
Romano divam syrmate flamen adit.
Jamque comas demulcet acu ; jam colla, genasque
Expolit, & pulchra pulchrior ipse nitet.
Quis nudam vidisse queat? Qui forte Dianam
Viderat, est canibus subdita præda suis.
Non oculi claros patiuntur numinis ignes,
Clausaque quæ vestis fulmina nube latent.
Ægeriam, Vorsti, nudam rex aspicit unus,
Hæc etiam regi sic tibi nuda patet.
Zuerius ascendet tecum Capitolia. Divis
Qui loquitur sero funere divus erit.

HERMANNI DE HUBERT

In

MARCI ZUERII BOXHORNII

Commentarios rerum Zelandicarum.

ET te, magne, novem lætissima cura Sororum
Boxhorni, ad tantum quid stimulavit opus?
Nymphula, Palladiis jam dudum debita tædis,
An dedit instinctus, ingeniumque tibi?
Hæc aliquid, sed gentis honos, majoraque rerum
Pondera, concinnas elicuere notas ;
Et mens illa sagax, quæ nunquam cespitat ipsis
In tenebris, & quâ, maxima Leida, sapis ;

Quodque Europæus, quà jam se porrigit, orbis
Differet, hos animos inclyta terra dedit,
Undique cincta mari, fatalis terra Tyranno
Hesperidum; terror, dire Philippe, tibi.
At tu, Gens invicta, tibi gratare: sepulta
Jam pene, in lucem conspicienda venis.
Totque annis, in tot majorum illustribus ausis
Nil nisi caligo, nil nisi fucus erat.
Omnia nunc lucent: & quæ vetus edidit ætas
Cum serâ præsens posteritate stupet.

ROCHI HOFFERI

In eosdem.

MAscula jam veras novit Zelandia cunas,
Primævosq; sibi jam bene discit avos;
Impiger abstrusos dum Zuerius excutit annos,
Eruit & tenebris sæcula cana suis.
Somniaque, & veteris mendacia diluit ævi,
Et quæ Trojanæ fabula gentis habet.
Pergit, & æquoreis exstructas civibus urbes
Vendicat, annosos restituitque Lares.
Et mores, & jura docet, quos prodidit ætas
Pristina, Zelandis quos hodierna suis.
Pugnacis narrat populi bella, horrida bella,
Et bene defensos, Marte favente, focos,
Sive cruentatis terra contenderit armis;
Seu bellatrices vexerit unda rates.
Deinde notat varias sua per miracula terras,
Quasque trahit dubias Thetys, & aura vices.
Hîc, ubi campus erat quondam, solidissima tellus,
Jam rate cæruleas navita tentat aquas.
Hîc mersæ latitant urbesq;, arcesque, domusq;,
Et reliqui vanum nil nisi nomen habent.
Illic è medio nova nascitur insula ponto,
Et seges, & domus est, quod fuit ante fretum.
Mutatur toties nobis fortuna locorum;
Oceanusque idem tollit, & auget agros.
Quosque hîc contorto campos quasi devorat æstu,

Hos

Hos illic alio dat, revomitque sinu.
Sed tamen & portus numerosis classibus aptos
Ille facit, nautis & vada tuta suis.
Atque hinc in nostras oneratis puppibus oras
Ille peregrini congerit orbis opes.
Hinc quoque vel Flander, vel vincere Cantaber hostis
Undique vallatos æquore nescit agros.
Hæc, & plura refert docti cultissima Zueri
Pagina, dum priscos itque, reditque dies.
At tu ter faveas Neptuni candida proles,
Quam patriæ rerum non pudet historiæ.
Hoc tibi fertur opus. Facundas suspice chartas:
His laudes spatii liberioris habes.
His pelago ringente licet, tibi perdita surgunt,
Et tibi quod periit, non periisse potest.
Emergitque Leo generosior, & caput altis
Celsius erecto vertice tollit aquis.

EJUSDEM

Ad

M. Z. BOXHORNIUM.

Mitto tibi leporem, Zueri doctissime, cursu
Qui socios inter gloria prima fuit;
Quique, fatigatis tot venatoribus antè,
Decidit in catulos præda benigna meos.
Sylvarum sic Diva potens, Latonia Virgo,
Ex nemore in patulos ipsa ferebat agros;
Non ignara tuæ deberi hæc munera mensæ,
Cultorem Phœbi te Dea fratris amat.
Et sibi quod gratetur habet lepus ipse, nec illi
Restabat fati nobilioris honos:
In tua tam docto dum viscera conditur ore,
Et lices in partem sanguinis ire tui.

ROD.

ROD. NYPOORTII

In

M. Z. BOXHORNII

Quæstiones Romanas.

Maxima jam nostro succrescit gloria Belgæ,
Quodque olim potuit vix petiisse, videt.
In Batavos tandem deduxit Leyda Quirites,
Belgaque nunc Romam restituisse potest.
Plaudit Eques, plaudunt jucunda voce Batavi,
Atque redisse sibi tempora docta putant:
Tempora quæ veteri componat Scaliger ævo,
Dum reducem Romam, maxime Marce, facis.
Desine grassari per mille pericla Juventus;
Leyda tibi Romam, qua capiare, dabit:
Sed priscam tibi Leyda dabit. quam suspicit ipsa,
Et pater agnoscit Romulus esse suam.

RICHARDI LUBBÆI

In honorem

M. Z. BOXHORNII,

Theatrum Urbium Hollandiæ edentis.

Theatra & amphitheatra, se quibus Roma
Jactavit olim, dente edace consumpsit.
Sensim vetustas: Nec videtur id mirum
Ipsam in animo rem cogitantibus verè.
Quæcunque enim mortalium manu facta
Sunt, vel manu tandem videmus everti
Mortalium, vel deficere resistendo
Violentiæque fluctuum marinorum.
At mens flagrans amore laudis æternæ,
Ad gloriam labor per ardua & nitens,
Et post-futura consulens probè genti,

Quid-

Quidquid sub oras luminis ferunt dias.
Favente summi Numinis sacro afflatu;
Id dens edax non deterit vetustatis,
Nec expavescit turbidas vices rerum,
Viresque fati, tristiumque Parcarum
Colos severas. Tale prorsus hic, ZuerI
Phœbi & sororum ter trium decus grande,
Mente ac labore, fortis Herculis ritu,
Condis Theatron urbibus Batavorum,
Spectandum in æde Memoriæ omnibus seclis.
Mente ac labore macte, Juvenis, hoc tali
Tantoque! Sic aditur arx-beatorum,
Sic nominis decus paratur æternum.

REINERI NEUHUSII

In Bredam

M. Z. BOXHORNII.

Quod vi Breda suâ invicta est: hoc efficit acer
BOXHORNI calamus, Nassoviique labor.
Ille ferum Martem pulchris glomerare sub armis,
Auriaci hic doctus scribere gesta Ducis.

HADRIANI vander WALL

Ad

Marcum Zuerium Boxhornium

EPODOS EUCHARISTICOS

In quo vitæ litterariæ & privatæ laus.

O qui Camenas vix Batavis cognitas,
Facunde Boxhorni, meas
Jam tum æstimabas, meque potuisti insuper
Amare non visum quoque;

Loqua-

Loquace, quamvis impares meritis, tibi
Chartâ rependam gratias.
Domino superstes illa ut ætatem ferat,
Annæ Perennæ supplico.
Nec esca blattis fiat indignis tuo
Quæ dedicata est nomini.
Hoc impetrabo si quid ingeniis volet
Favere Apollo Delphicis,
Et sic futurus sæculis seris nepos
Pimplëidum qui percitus
Amore quæret, sacra Musis pectora
Quot patria urbs produxerit.
Nam nos perire nescio inseret ordini
Placuisse quos noscet tibi,
Acer Zueri, literario nimis
Censende felix otio.
Tu per vetusta comitibus fidis libris
Retro profectus tempora,
Apudque cunctos omnis avi principes
Admissionis intimæ
Amicus artes inspicis regnantium,
Aulæque pellacis dolos,
Periculorum, multa quæ regnum creat,
Lætatus expers, rex tui.
A te Quirini consilia tuerier
Batava pubes audiit,
Et comprobavit. tu pios Numæ focos,
Ancique robur Martii,
Curasque Prisci, & Servii sortem, & nefas
Inexpiandum Tarquini
Vinci dolente prodis eloquentia:
Et te sorores à suo
Arcere ter tres nolle contubernio,
Quod fœdus his tecum est docet.
Cui contigerunt tanta, prô felix nimis
Dicende jam plus quam semel!
At ter beatus quisquis his dives bonis,
Et occupationibus
Haud impeditus urbicis liber potest
Deo sibique vivere,

Ut

Ut magna laudans rura, sic parvum colens.
Scriverius qualis tuus.
Non vilioris ille multitudinis
Contagio afflatus necat
Sublime pectus quæ recondit insita
Generosi honesti semina.
Non vulgus illi turbidis rumoribus
Animi quietem sauciat.
Non ille curat disparibus affectibus
Britannia quid mater tremat,
Quid Ibera ploret, quo felix durum modo
Hibernia excutiat jugum.
Sed aut choreas lætus astrorum videt
Cedente nocti Vespere,
Nil anxiisque quid ultimus Vesper vehat
Aurem cicadis commodat:
Aut depudicans manè virgines rosas
Prælibat apium basia:
Aut purpuratam attrectat anemones comā
Adonidis de sanguine;
Gemmisve onustos nocte natis roscidā
Miratur udos palmites,
Aut discolorem tulipam: aut tenacium
Hederarum ad amplexus stupet:
Ajacis alibi, seu tuum, Hyacinthe, horridum
In floribus fatum legit:
Positove tandem candida inter lilia,
De lacte Junonis fata,
Gravidum papaver liliis mixtum leves
Somnos studet reducere.
Aut si relictis hortulis etiam velit
Campis patentibus frui,
Cum siderum palantium Alcyones socer
Extrema cogit agmina,
Roseumque corpus Procridis pellex levat
Non sponte cæruleo thoro,
Quantum ille gaudii hoc capit spectaculo!
Et lumina ut pascit vaga?
Hic pectus album infecta sanguineis notis,
Fœdæ ultionis testibus,

Ityn

Ityn peremptum Daulias gemit ædium
Summo quiescens culmine.
Ibi inchoandis occupatæ nuptiis
Lasciviente murmure
Paphiæ volucres capita limant dulcia;
Ipsæmet auspicium sibi.
Hîc mugientis tenera matris pignora
Vitulantur alto in gramine.
Illic, amatæ fors sub aspectum bovis
Sic temerè aberrantis grege,
Et inde rivales & hinc contrariis
Tauri minantur frontibus,
Ab his morantem sæpe vel violaria
Odore jucundo avocant,
Quæ senticoso ex angulo propter viam
Prodente fragrant halitu;
Vel, irreprensus arbiter confinium,
Leni susurro rivulus,
Pecorique gratus, & incubus natantium
Nihil timendus Naïdum;
Vel blandientis Chloridi puerpera
Tepens FavonI spiritus,
Æquè & comatis arboribus immurmurans
Herbisque pullulantibus.
Tunc, fronde mota ubi pendulus ros decidit
Sitienti humo solatium,
Subsistit, anceps an caduci nectaris
Has esse relliquias putet,
Quem fortè, mensis jam remotis, ebrius
Conviva depluit Jovis:
Lachrymas-ne potius, queis suo Tithonia
Conjunx parentat Memnoni,
Ah misera! digna solus haud quam leniat
Maritus impotens senex.
Quod si propinquam placeat ad Tethyn via,
Rhenum sequi poterit ducem;
Qui nunc arenis pressus invidentibus
Ultrò impetentes obviis
Vetatur ulnis stringere Oceanitides,
Felicior quondam procus,

Cum

Cum tauri-formis impetu prorumperet
Etiam reluctantum in choros.
O quam juvabit ad arbores junctas via
Minurrientem exercitum
Audire parvarum volucrum, & hilari simul
Corvos ovantes gutture!
O quam juvabit, ubi arbores solum negat,
Cuniculorum per greges
Passim vagantes ingredi coloniam
Prisci Batonis ultimam
Proavis habentem nomen à Cattis adhuc!
Quæ gaudia hîc manent nova
Propter sonorum littus errantem! hic videt
Aut osculantes invicem
Conchas, & omen forsan hinc amans capit;
Aut explicare retia,
Suæque prædam devovere Cochlidi
Flagrantem in undis Myrtilum:
Aut (quam meretur prærogativam sacra
Vatum piorum natio,
Quæ non, profana ut turba, dente livido
Laurum momordit innubam)
Ipsas volentes inspicit Nereïdes,
Nosci suum cupidas decus,
Et prædicari. exstante nutricum tenus
Illæ vagantur pectore
Per cærula patris marmora, & formæ palàm
Fecisse dotes gestiunt,
Nec erubescunt præ pudore rustico
Nudæ licet. factum probat
Grandæva Doris, ausa jam generum sibi
Spondere non vanâ fide,
Variisque ludit cogitationibus
Dulci nepotum in nomine.
Hæc inter ipse, vix sui compos, diem
Nesciret elapsum, nisi
Optata anhelis cerneret jugalibus
Phœbi parare pabula
Tethyn benignam. monitus ad fidos Lares
Gratam remetitur viam;

Tan-

Tandemque fesso cœna non nimium gravis
Placida elaborat somnia.

D. Marco Boxhornio Zuerio, Moscovitarum Rempublicam restituenti; 1630.

SCAZON.

PErrumpit alta fervidus vigor mentis
Cœlestis orbis sidera, ac humum spernit,
Phœbo lucratus ille debitum nomen,
Fastigiato capite concutit stellas,
Et appetitu, terminum putat laudem
Hæc ipsa gloriæ aura, MARCE, *flagranti*
Ignes tuo sufflavit insitos cordi,
Et expolitas noctibus dedit chartas,
Et denuo MOSCOVIAM *stylo profert*
Annis tuis sapientiore corrasam,
Odore MOSCHO *gratiore spirantem,*
Ut temperati Solis hanc putes terram,
Quam tristis Arcti frigus urit
Extremum. J. TURCÆUS.

HENRICI BRUNONIS *In* BOXHORNII Historiam mundi Universalem.

CUm Mundi historiam omnis Universam
Ex isto cerebro, omnium capaci
Mundo protuleris, priora secla
In lucem revocaris hujus ævi,
Æternaveris & tua papyro,
Dioque ingenio, cupisne, Zueri,
Me, quantum tibi debeatur inde,
Uno versiculo loqui? Universum
Se debet tibi, Zueri, in universum.

FINIS.



Marco huic l. *Marco huic fuit* *à fortalalitiis* l. *in fortalitiis, ad hus* dele *tempus Curatoribus* l. *tempus à Curatoribus* *Gerard* l. *Gerardi* *quam & meritò* l. *quam meritò* *Indies sedulò* l. *Indies ita sedulò* *& mansit* l. *& mansit)* *profecit* l. *perfecit* *tentenda* l. *tegenda* *imigentur* l. *imitentur* *virtutes tuas* l. *virtutesque tuas*.

In Catal. libr. &c. I. *Historia.* l. I. *Historica.*

In Vincent. Fabr. &c. *Anos* l. *annos*.

In R. Hofferi &c. *Ad sponsam* l. *Ad sponsum*. *quastus* l. *questus* *prisca refert*, l. *prisca ætas*,

In Henr. Brun. &c. *Moverat)* l. *noverat)*

Errata in Poëmatis.

Pag. 1. *Miscellaneorum liber*, dele. p. 5. *Historitam* l. *Historiam* p. 15. *mori.* l. *mori?* p. 40. *Ad Wilhelmo* dele *Ad* p. 53. *queis aliis* l. *queis alii* p. 55. *Situmque* l. *Situm* p. 58. *J. U.* l. *J. C.* p. 76. *hund* l. *haud* p. 79. *Nihilque qui est*, l. *Nihilique qui est*, ibid. *Megara* l. *Mægera* p. 88. *Nam Sortis ita est* l. *Nam Sortis ira est* p. 91. *& bonum ac ovium* l. *& boum ac ovium* p. 95. *foto* l. *fato* p. 97. *noverca* l. *noverca.* p. 136. *fluctat*, l. *fluctuat*, p. 139. *Bellona* l. *Bellonæ* p. 146. *rubenti parent* l. *rubentis paret* p. 150. *fuit!* l. *fuit?* p. 153. *& ullum* l. *& nullum* p. 159. *nunc offertur*, l. *nunc effertur*, ibid. *nos hoc* l. *non hoc* p. 161. *inter Deus* l. *inter Deas* p. 165. *innoceneis* l. *innocentis* p. 166. *adversa* l. *adversæ* p. 190. *pænaque* l. *pænæque* p. 191. *plebs* l. *plebis* p. 197. *Scribimus*, l. *Scivimus*, p. 199. *quæstibus* l. *questibus* p. 201. *laudatur* l. *laudatum* p. 203. *desertus* l. *disertus* ibid. *obsederat* l. *obsideret* ibid. *mæniam* l. *mænia*, p. 206. *Marique* l. *Matrisque* p. 209. *dicti* l. *docti* ibid. *lices* l. *licet* p. 210. *resistendo Violentiaque* l. *resistendo Nimbisque cæli, motibusque terrarum, Violentiæque* p. 212. *Et sic* l. *Et sit* p. 213. *Britannia* l. *Britanna* ibid. *fata* l. *sata*.

